Hommage de l'Auteur.

ANALYSIS

ET

CONCORDANTIA MYSTICA SS. EVANGELIORUM

UBI

SS. PATRUM ET RECENTIORUM INTERPRETUM SENTENTIIS TEXTUS SACER ILLUSTRATUR

OPERA ET STUDIO

J. H. DE BOLLE

PRÆL. DOM. S. S.

IMPENSIS AUCTORIS.

EVERE PROPE A BRUXELLIS

IN CONVENTU S. JOSEPH.

MDCCCLXXXV

ANALYSIS ET CONCORDANTIA MYSTICA

SANCTORUM EVANGELIORUM

ANALYSIS

ET

CONCORDANTIA MYSTICA SS. EVANGELIORUM

UBI

SS. PATRUM ET RECENTIORUM INTERPRETUM SENTENTIIS TEXTUS SACER ILLUSTRATUR

OPERA ET STUDIO

J. H. DE BOLLE

PRÆL. DOM. S. S.

IMPENSIS AUCTORIS.

EVERE PROPE A BRUXELLIS

IN CONVENTU S. JOSEPH.

MDCCCLXXXV

Opus quod inscribitur *Analysis et Concordantia mystica Sanctorum Evangeliorum,* auctore J. H. De Bolle, Prael. Dom. S. S., examinatum a nobis deputato, cum fidei et bonis moribus nihil contrarium continere visum fuerit, imprimi potest.

Mechliniæ, 12 Junii 1880.

BOGAERTS, Vic.-Gen.

PRÆFATIO.

Mens auctoris est enucleare evangelicum S. Augustini systema adhucusque minus perpensum et quasi oblivioni traditum.

S. Pater, in primo libro de Consensu Evangelistarum, C. VI, N° 9, lucide suam exprimit opinionem circa inspirationem quatuor Evangeliorum : Juxta ipsum unusquisque sacrorum scriptorum sibi, ex inspiratione Spiritus sancti, proponit D. N. J. C. singularem describere characterem. Proinde S. Matthæus regem, S. Marcus magnum prophetam, S. Lucas sacerdotem et victimam, S. Joannes Verbum Incarnatum imprimis laudat.

Auctor antequam opus approbationi episcopali subjiceret, consilio usus est virorum in rebus theologicis maxime eruditorum.

Doctissimus P. Piat totum opus attente perlegit et probavit; sic enim dignatus est in epistola suum judicium exprimere : « J'ai lu avec intérêt le manuscrit que vous m'avez confié. L'idée de S. Augustin me paraît très plausible, et elle jette certainement de grandes lumières sur les Evangiles. J'approuve complètement votre ouvrage et je crois que sa publication serait très utile ; elle me paraît désirable sous tous les rapports. »

Clar^mus D. D. Can. Haine, professor apud Universitatem Lovaniensem sequens testimonium maxima charitate tradidit : « La lecture de *l'Analyse et Concordance mystique des quatre Evangiles*, dont vous m'avez communiqué le manuscrit, m'a vivement intéressé.

« Basée sur l'autorité de S. Augustin, cette œuvre consciencieuse, à laquelle vous avez travaillé durant de longues années, ne peut manquer d'attirer l'attention des savants, et d'être prise en sérieuse considération par tous ceux qui recherchent l'intelligence des divines Ecritures.

« Comme vous le voyez, Monseigneur, je partage entièrement, à l'endroit de votre travail, l'avis du savant Père Piat, dont le nom commande le respect, et je forme les vœux les plus sincères pour que votre importante étude puisse être sans retard livrée à la publicité. »

Tandem Rev. Pater Schouppe, S. J. notissimus operibus theologicis, et commentariis in sacram Scripturam, postquam legerat introductionem generalem et commentarium in S. Matthæum, sequentibus verbis benigne opinionem suam manifestavit :

« Ce commentaire de S. Matthieu n'est pas sans mérite : basé généralement sur les Pères et les bons interprêtes, il respire la piété et renferme des aperçus intéressants. Aussi le verrais-je publier avec plaisir. »

PRIMA PARS.

INTRODUCTIO GENERALIS

IN ANALYSIM MYSTICAM ET CONCORDANTIAM SANCTORUM EVANGELIORUM.

« Fons sapientiæ Unigenitum Dei Verbum residens in excelsis, per quod Pater sapienter fecerat et suaviter disposuerat universa, in fine temporum carnem sumere voluit, ut sub tegumento naturæ corporeæ splendorem ejus humanus intuitus posset inspicere, quem in celsitudine majestatis Divinæ attingere non valebat. » (*S. Thom. Urbano IV.*)

Ut autem possimus contemplari divitias Divinæ operationis Verbi Incarnati pro nobis, sacræ litteræ et præsertim quatuor Evangelia docuerunt nos proprietates quibus sese in carne Filius Dei manifestavit.

Juxta sanctos Patres Irenæum, Gregorium Magnum, Hieronymum, Athanasium, Ambrosium, Bedam et plures Sacræ Scripturæ interpretes, jam in antiquo testamento Propheta Ezechiël in visione quadruplicem Domini Nostri dignitatem viderat, eamque symbolicè descripsit.

« Ac prouti in antiquo testamento Deus Salvator sese notum fecit tanquam Regium, Propheticum, Redimentem et Divinum Dominum : sic apparuit etiam in Jesu in hâc quadruplici dignitate et proprietate.

Historiam igitur vitæ Jesu-Christi, narrationem atque expositionem quadruplicis hujus proprietatis esse oportet, et quadruplex historia fidelem imaginem quadruplicis proprietatis exhibere debet. » (*Allioli.*)

Sancti Patres juxta visionem Ezechiëlis, et etiam Sancti Joannis in Apocalypsi, unicuique Evangelistæ, seu scriptori Vitæ Domini Nostri Jesu-Christi Symbolum adscripserunt, quo scopus particularis singulorum Evangeliorum significaretur.

Sanctus Augustinus, in Opere suo « *De Consensu Evangelistarum,* » jecit fundamenta systematis Evangelici maximè admirandi. Sanctus Pater opinatur unumquemque sacrorum scriptorum specialem Domini dignitatem descripsisse per totum Evangelium, sub unicâ et uniformi Spiritus sancti inspiratione. Sic loquitur : (*Lib. I. Cap. VI. N°* 9.)

« Mihi videntur qui ex Apocalypsi illa quatuor animalia ad intelligendos quatuor Evangelistas interpretati sunt, probabilius aliquid attendisse illi qui Leonem in Matthæo, Hominem in Marco, Vitulum in Lucâ, Aquilam in Joanne intellexerunt. *Cæteri interpretes* « de principiis librorum quamdam conjecturam capere voluerunt, non de totâ intentione Evangelistarum, quæ magis fuerat perscrutanda. Multò enim congruentius ille qui Regiam Christi Personam maximè commendavit, per Leonem significatus accipitur : Unde in Apocalypsi cum ipsâ tribu Regiâ Leo commemoratus est, ubi dictum est : « Vicit Leo de tribu Juda. » (*Apoc. C. V.*) Secundum Matthæum enim et Magi narrantur venisse ab Oriente ad Regem quærendum et adorandum, qui eis per stellam natus apparuit : et ipse Herodes regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat.

Quod autem per Vitulum Lucas significatus sit, propter maximam Victimam Sacerdotis, neutri dubitaverunt. Ibi enim a sacerdote Zachariâ incipit sermo narrantis ; ibi cognatio Mariæ et Elisabeth commemoratur ; (*Luc. I.*) ibi Sacramenta primi Sacerdotii in infante Christo impleta narrantur ; (*Luc. II.*) et quæcunque alia possunt diligenter adverti, quibus appareat Lucam intentionem circa Sacerdotis Personam habuisse.

Marcus ergo qui neque Stirpem Regiam, neque sacerdotalem cognationem, vel consecrationem narrare voluit, et tamen in eis versatus ostenditur quæ homo Christus operatus

est, tantùm hominis figura in illis quatuor animalibus significatus videtur.

Hæc autem animalia tria, sive Leo, sive Homo, sive Vitulus, in terrà gradiuntur : unde isti tres Evangelistæ in his maximè occupati sunt quæ Christus in carne operatus est, et quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit.

At vero Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut Aquila volat, et lucem incommutabilis Veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. »

Ita scribit A Lapide : (*Edit. Vives pag.* 12. *Procæmium in Evangelia.*)

« Quatuor animalia symbolica, quatuor Christi attributa primaria, et quasi stemmata significant : nimirum Leo fortitudinem Regiam, quam vel maxime in resurrectione ex morte et sepulchro ostendit ; sicut enim Leo Rex est animalium, sic Christus Rex est fidelium, imo omnium hominum et Angelorum.

Vitulus notat ejusdem Sacerdotium, quod ipse in cruce se holocaustum et Victimam pro peccato Deo Patri offerens, peregit et consummavit.

Homo ejusdem humanitatem ex Virgine assumptam, ejusque dicta factaque.

Aquila Divinitatem et Ascensum in Cœlum. »

Sed in eodem loco idem auctor subjungit ex Ruperto : « Matthæus præcipuè commendat Regiam in Christi humanitate dignitatem, Marcus Propheticam, Lucas Sacerdotalem, Joannes Divinam ; Christus enim fuit Rex, Propheta, Sacerdos et Deus. »

Juxta hanc ultimam expositionem offerunt Sancta Evangelia completam imaginem Salvatoris Nostri.

Attentiùs meditando, et pervolvendo Vitam Jesu ; et scrutando ea quæ Sancti Patres et alii moderni interpretes docuerunt, mihi visum est Sancta Evangelia « ex totà eorum intentione, » ut Augustinus loquitur, hæc quatuor Domini attributa juxta Rupertum et A Lapide verissimè repræsentare : et ideo conatus sum Analysim et Concordantiam Mys-

ticam scribere, in quâ clariore luce quatuor signacula Dei Hominis exponi possent.

Ipsa historia originis Evangeliorum quasi logicè quatuor attributorum Domini evolutionem, juxta ordinem scriptionis eorum tradere videtur : Sanctus Irenæus eruditus a discipulis Apostolorum ordinem temporis nobis reliquit in Libro tertio contra hæreses : « Matthæus, Hebræus, hebraïce scripsit Evangelium suum, quando Petrus et Paulus Romæ prædicabant, et Ecclesiam fundabant. Post eorum mortem scripsit nobis interpres Marcus quod Petrus prædicaverat, et Lucas Pauli comes, Evangelium composuit juxta prædicationem Pauli. Finaliter dedit nobis etiam Joannes, discipulus Domini dilectus, quando erat Ephesi in Asiâ, scriptum Evangelium. »

Quem ordinem temporis sanctus Hieronymus cum plerisque interpretibus secutus est.

Piè autem atque attentius consideranti, menti obvenit hunc historicum esse etiam verum ordinem logicum a Deo ab æterno præparatum ad dandam plenam Filii Dei, seu Verbi Incarnati notitiam.

Divina Providentia quasi naturalem eventuum cursum secuta, juxta utilitatem instantem unumquemque Evangelistam direxit.

Ipse Jesus docuit se non esse missum nisi ad oves quæ perierant filiorum Israël : Judæi igitur erant prius erudiendi. Ipsi Messiam expectabant : sed falsò sperabant Regem hujus sæculi potentem. Dabatur igitur necessitas ipsos ante omnia docendi, Messiam et Regem suum in mundum venisse : « Filium Davidis ; Filium Abrahæ. » « Emmanuelem, » Deum cum hominibus. (Nobiscum Deum.)

Docendi erant circa Regnum ab eo condendum, et circa media ad hoc opus adhibita.

Hoc egit Matthæus primum Evangelium hebraïcè scribens.

Postquam Ecclesia inter gentiles etiam stabilita fuit, legis Regni interpres, et quasi mediator, qui in pluribus gressus legislatoris Regis sequeretur, requirebatur : et tunc scripsit Marcus ; et specialiter de signis et miraculis, atque de doc-

trinâ « Primi Doctoris Fidei, » ut S. Thomas (*De Incarnatione, Quæst. VII. Art.* 7) Dominum etiam nominat, Evangelium conscripsit.

Quibus duobus Evangeliis enotuit jam Dominus tum inter Hebræos, tum inter Gentes, tanquam Rex-Propheta, Novi Testamenti seu novi Regni spiritualis, id est, Ecclesiæ Catholicæ.

Glossa in prooemium Marci (catena aurea) hunc nexum logicum annotavit, quo Evangelium Marci, Matthæi Evangelio succedere oportebat : « Quia vero Evangelium oportuit non solùm prædicari propter præsentes, sed etiam scribi propter futuros, eadem distinctio est in scriptoribus Evangelii observata. Nam Matthæus Judæïs Evangelium Hebraïco sermone scripsit : Marcus autem primus Evangelium scripsit Gentibus. »

Gentes quæ a multis falsis doctoribus, seu etiam a falsis Diis illudebantur, a Marco adductæ sunt ad unum Verum Doctorem, seu Magnum Prophetam. Ipse enim iis scripsit « Evangelium Jesu-Christi Filii Dei. » (*Marc. I.* 1.)

Marcus Prophetam, quem Dominus Deus suscitavit in Israël, opponit Gentium idololatriæ et falsis prophetis. Juxta illud Deut. XVIII : 9-22.

« Gentes quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt : tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audies. » (*V.* 14. 15.)

Tertio loco Divina Providentia usa est diligentiâ sancti Lucæ ut Evangelium ederet quo Christianis tum ex Judaïsmo, tum ex Gentilismo mysteria misericordiarum Domini profundiora exponeret, luculentiùs docendo de passione Magnæ Victimæ Sacerdotis ; et de iis quæ sacerdotalis Victima sequentibus se in viâ crucis proposuerat. Hæc erant quasi solidum fundamentum super quod ædificium Ecclesiæ, ejusque doctrina ædificata erant. Omnes cum Theophilo Christiani ad majorem perfectionem anhelantes inveniunt in hoc libro diligentissime exarato « eorum verborum, de quibus eruditi sunt, veritatem. » (*Luc. I,* 4.)

Vel ut legitur in textu græco : (ἀσφάλειαν) certitudinem, firmitatem eorum quæ didicerunt.

Sanctus Lucas in suo Evangelio posuit Victimam Magni Sacerdotis tanquam verum thesaurum in agro Ecclesiæ ex circumcisione collectæ absconditum ; et tanquam pretiosam margaritam in mari profundo Ecclesiæ ex gentibus congregatæ immersam.

Dixerat ipse Dominus : « Necesse est ut veniant scandala : » et ecce Spiritus sanctus, quarto loco, hominum infidelitate utitur, ut occasionem arripiat docendi mysteria Divinitatis Jesu-Christi.

Præterea postquam perfectiùs eruditi jam erant Christiani in humilitate Crucis a tertio Evangelistâ propositâ : edocendi erant in Charitate, reginâ omnium virtutum et apice. Aquila Joannes hanc docuit, unâ cum doctrinâ Divinitatis Salvatoris, æqualis in omnibus Patri et Sancto Spiritui. Evangelium Divinitatis Christi simul est Evangelium Divinæ Charitatis diffusæ in cordibus nostris : « Deus enim est Charitas. » (I. Joan. IV, 8.)

Sic ordo temporis Sanctorum Evangeliorum cum ordine Divinæ Providentiæ logico perfectè convenire videtur.

Necnon ordo congruentiæ quidam in Sacris Scriptoribus forsan observatur.

Matthæus enim qui tributum Regibus terræ collegit, in Evangelio suo deservit Regi Domino.

Marcus Petri discipulus fit quasi Magistri sui et legis Novi Regni interpres : et scribit Evangelium Divini Prophetæ, seu « Primi Doctoris Fidei. »

Lucas medicus offert optimam medicinam animarum in mysteriis passionis « Victimæ Magni Sacerdotis : » ut etiam a Sanctis Patribus observatum fuit.

Joannes Evangelista, virgo et discipulus dilectus Domini, hausit e Divino pectore omnia quæ sublimitatem ejus Divinitatis hominibus patefacere poterant. Ipse etiam dilectus discipulus charitatem Jesu divinam, et ejus erga homines amorem in seipso magis expertum, promptius et ferventius poterat docere.

De Evangelistarum ordine ita scribit Ludolphus de Saxonià :

« Antequam ad Evangelii historiam accedamus, scias quod quædam per Evangelistas salubriter, directione Spiritus sancti, aliquando anticipando, vel præoccupando, quæ post dicenda erant ; aliquando rememorando, vel recordando quæ omiserant, et aliquando recapitulando vel repetendo quæ dicta fuerant, posita sunt : quamvis aliter scribi non deberent quam per eos summè utiliter sunt dictata : quia secundum Augustinum probabile est, quod unusquisque Evangelistarum, eo se ordine credidit debuisse narrare, quo Deus voluit ejus recordationi suggere. »

Juxta hanc Augustini sententiam, mystico incedens ordine Matthæus plures per series narrationem conducit : ut videre est in serie miraculorum post sermonem de Monte ; et in septem parabolis capite decimo tertio propositis. De regià potestate et de prærogativis Ecclesiæ sæpius et diversimodè scribit. Insinuat idem regius Evangelista regnum e duobus populis coadunandum inter gentes potissimùm erigendum esse. Plurima præoccupat quæ in futuro regno, seu Ecclesià post victoriam per passionem adipiscendam locum habebunt.

In hoc ordine sanctus Marcus, quamvis non ita per series procedat, Matthæum sequitur quoad doctrinam et fidem in Ecclesià ex gentibus præsertim congregandà spargendam : attamen ipsas regias prærogativas omittit. Similiter quando de Ecclesià loquitur non eam tanquam regnum considerat, sed magis ut institutionem doctrinalem eam habet.

Marcus quia Prophetam, seu « Primum Doctorem fidei » repræsentat, sæpius fit legis interpres, et ita legislatorem, seu regem a Matthæo repræsentatum sequitur. Aliqua etiam cum Matthæo præoccupat quæ tempus Passioni subsequens respiciunt.

Quoad ordinem factorum aliquando Lucam sequitur, sed ut postea ex mysticà sanctorum Patrum expositione videbimus, etiam in his, quando Victima sacerdotalis apud Lucam magis respicit « Pusillum gregem » electorum inter Judæos,

Marcus Ecclesiam tamquam ex gentibus congregandam plus considerat.

Sanctus Lucas qui Personam Victimæ Magni Sacerdotis repræsentat, magis inter limites historicos continetur. Vix Jesus Victima gloriam futuram post mortem obtinendam anticipat. Prouti magis observat antiquum rituale, sic magis etiam videtur cum actualibus discipulis gradatim incedere, eos ducere et docere.

Ita multa quæ in Matthæo sunt omnino generalia, quasi pro Universo Regno, sunt apud Lucam magis privata et tamquam ad actuales discipulos directa, vel ad populum Judæorum.

Ut Jesus Apostolis dixit : « Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati ; » (*Luc. XXIV : 46.*) et discipulis Emmaüs : « Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? » (*Luc. XXIV : 26.*) post mortem Victimæ factus est verè Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, quod est Rex justitiæ. Factus est etiam Rex Salem, quod est Rex pacis. (*Hebr. VII, 2.*)

Attamen postquam in gloriam intravit non exuit viscera misericordiæ specialissimæ erga Judæos, nam commendat Apostolis : « Prædicare in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, *incipientibus ab Jerosolymâ.* » (*Luc. XXIV : 47.*)

Lucas quamvis Spiritus sancti mysticam intentionem simul intenderet, visus est a plerisque magis ordinem historicum secutus esse. Quod ex ipsis sacri scriptoris verbis concludi posse opinantur. Nam in prooemio sic loquitur sanctus Lucas : « Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, Optime Theophile. » (*Luc. I, 3.*)

De ordine sancti Joannis, qui inivit viam omnino specialem, nihil est hic dicendum. Ipse sanctus Evangelista satis tempora annotavit. Cæteroquin divinis sermonibus Verbi Incarnati, paucis enarratis factis, maximè fuit intentus.

De utilitate hujus mysticæ expositionis sanctorum Evangeliorum pauca præmitti liceat :

1° Quum mala sint tempora, et infidelium numerus in dies crescat, non possumus non omnes conatus adhibere ad fidem

in mentes revocandam atque firmandam. Pià oratione animabus sanctis instandum est; et lumen divinæ doctrinæ diffundendum. Imploranda est maximè divina misericordia pauperculis illis qui Jesum purum hominem prædicant ejusque Evangeliis divinam originem negant. Opus est monstrare per divinæ methodum inspirationis, Evangelia verum esse miraculum litterarium, quo Deus usus est, quamvis tenerrimo amore parvulos ad se vocet; ut tamen etiam hujus mundi sapientes illuminaret.

Divinitùs sanè factum esse perspicuum est, quod quatuor homines genio diversi, diversis temporibus, sine litteris, si sanctum Lucam excipias; unicam scripserint historiam Deihominis Jesu-Christi.

Omnes de ipso prophetias exactè adimpletas esse monstrarunt: sed non confuse. Nam Spiritus sanctus scriptores dirigens, specialem unicuique characterem describendum suggessit, ad quem totam suam intentionem converteret.

Quatuor Evangelistæ sic Dominum nostrum signaverunt quadruplici signaculo Regis, Prophetæ, Victimæ sacerdotalis, et Verbi pro nobis Incarnati: ut dum unusquisque unam e quatuor Personis maximè commendaret, opus tamen perfectum et unicum ex quatuor historiis composuerint.

Sic omnibus manifestum apparere debet quod ipsi Evangelistæ suppositas ab impiis contradictiones, absurditates et falsitates Evangeliorum, quasi a priori et anticipatè per ipsam divinam unitatem totius operis refutaverunt et confuderunt.

2° Quidam etiam textus sanctorum Evangeliorum sensum offerent magis evidentem et magis determinatum, quando particulari attributo Domini justè applicantur, juxtà intentionem Evangelistæ unicam. Et ita fratres nostri errantes qui tamen nomen Christo dederunt, difficiliùs omnia ad privatum sensum distrahere valebunt.

Sed hoc quod etiam majoris est momenti: Ipsi qui semper ad Christum et ad ejus satisfactionem pro genere humano provocant, videbunt quomodo oporteat totum Christum amplecti: Regem scilicet, Prophetam, Sacerdotem et Verbum

Dei Incarnatum. Et quia christianus est alter Christus, clarè intelligent quomodo debeant in omnibus Ipsi conformari. Christus autem cœpit facere et docere. Ergo Regis mandato est obediendum ; Doctori Fidei in omnibus credendum ; in viâ crucis cum Victimâ sacerdotali quotidiè ambulandum ; cum Verbo Incarnato divinâ charitate amandum. Sed ante omnia oportet intrare in Regnum Cœlorum, Regnum Christi in terris; scilicet Unicam Summi Regis Ecclesiam.

3° Maximum autem et filii Ecclesiæ fructum referent ex hoc studio sanctorum Patrum. Ipsi enim Dominum Nostrum magis amarunt et melius cognoverunt.

Et ita in mysticâ suâ expositione quandoque sublimi, semper autem piâ : Jesum nobis tanquam Regem Ecclesiæ ; Doctorem divinæ scientiæ ; Sacerdotem immaculatam Victimam immolantem pro nobis; divinæ charitatis Verbum amantissimè et doctissimè repræsentaverunt.

Præterea, quod magis etiam practicam utilitatem attinet, studium Historiæ et Concordiæ Evangelicæ facilius fiet, exposita Evangeliorum inspirationis ratione : Sic enim nexus totius materiæ in evidentiore luce ponatur necesse est.

Nec publico exinde sermoni suum deerit commodum : dum enim quatuor attributa Domini præcipua enucleantur sacri codicis amplificantur contenta ; simulque methodo quandoque novæ dicendi antiqua via sternitur.

SECUNDA PARS.

INTRODUCTIO SPECIALIS.

Postquam ex sanctis Patribus collegimus quatuor Evangelia signare quatuor Domini Nostri Jesu-Christi characteres, atque etiam mirati sumus divinam Providentiam in disponendis singulorum Evangeliorum materiis : tum quoad personam ibidem repræsentatam, tum quoad successionem temporum quibus ob diversas rationes fuerunt a diversis hominibus, ac populis diversis conscripta : anteaquam ad specialia transeamus, delineationem cujusque Evangelii generalem ex ipso contextu præmittere juvabit.

Compendiose sic videbimus Dominum Jesum in Matthæo verum esse regem a Judæis expectatum, quem cunctis gentibus regnum condere spirituale oportebat.

Ipsorum autem Regni filiorum, ob infidelitatem atque proterviam, prædicta fuit exclusio, e futuro Messiæ Regno.

In Marci Evangelio Jesum sequemur Filium Dei, legis interpretem et mediatorem : lex autem Evangelica fuit apud Matthæum in sermone montis a Rege promulgata. (*C.* 5.6.7.)

Fidei subjectivæ virtutem tanquam legis obedientiæ fulcimentum Marcus Evangelista magis cæteris commendat : Magnum enim Fidei Doctorem Jesum repræsentat. Ideo sane duritiem cordis incredulorum discipulorum in Evangelio Marci Dominus severius carpit. (*Marc. c.* 16. *v.* 14.)

Lucas Medicus pium nobis commendat Samaritanum, seu Jesum Sacerdotem et Victimam.

Multis disserit argumentis de ejus misericordia. Et quia salus ex Judæis est, plerumque hanc misericordiam Judæis prius nuntiandam esse insinuat. Sæpius ideo Dominum in

ipsis scribarum et pharisæorum domibus conversantem exhibet. Quanta Jesus reluctantia populum dilectum deserat, quamvis severissime increpet eorum vitia, maximo doloris sensu exprimit dum flet super ingratam Jerusalem et futuram Judæorum ruinam deplorat : « Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros... Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ? » (*Luc*. 23, 28, 31.)

Cum ex omnium consensu et antiqua traditione in Ecclesia existente, pateat Joannem præsertim de Divinitate Christi adversus hæreticos tractare ; quamvis minus necesse videatur Evangelium ejus compendiose exponere, attamen nec hoc omittendum duximus, ut luculentius inde appareat quam solide et compacte omnia et singula Evangelia ad unitatem quadripartitæ Historiæ Domini Nostri Jesu-Christi concurrant. Præterea minus forsitan adhucusque animadversum est Joannem texere historiam Verbi Dei Incarnati : ita ut Divinam Naturam quandoque solam depingat, quandoque etiam utramque naturam in una Filii Dei persona consideret; vel Filium hominis Patre minorem ante oculos nostros exhibeat. Videtur igitur in Joanne Divina Providentia omnes circa Verbum Dei Incarnatum errores præsentes et futuros considerasse, et veram ejusdem Theologiam Ecclesiam Universam docuisse.

Inde non mirum videbitur, tanquam Aquilam, Joannem cum Domino suo sese in sublime extollere, et magnos eventus qui in Jerusalem « civitate Regis Magni » præsertim locum habuerunt, summa cura describere. Nam ibidem Deus-homo suam Divinitatem magis patefecit, atque divinam charitatem « Quia Deus est charitas, » tum Judæorum genti, tum præsertim Apostolis prædicavit. Filiæ Sion summo demonstravit amore Filium hominis, etiam esse vere Dei Filium : æterno Patri atque Spiritui sancto, qui etiam « de suo accepit » in omnibus æqualem.

S. MATTHÆUS.

Persona Regis.

C. I. A vero principio declarat Matthæus Jesum esse Messiam a Judæis expectatum : eorum enim quibus olim a Deo promissio facta est, nempe Davidis et Abrahæ filius est. Patrum suorum duplex jus hæreditavit : Jus sedendi super solium Davidis in æternum, et jus in Benedictionem Abrahæ : ipse enim est eminenter Semen in quo benedicendæ sunt omnes gentes.

Sed amplissima prærogativa, quæ tamen majori fuit populo infideli scandalo, erat sublimitas Divinitatis in filio Davidis et Abrahæ latentis : Vocatum est nomen ejus Emmanuel : quod est interpretatum : « Nobiscum Deus. » (1. 23.)

Thronum Davidis ipsum oportet elevare ad altissimam et antea incognitam dignitatem : divinis enim investitus attributionibus et Jesus vocatus, « Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » (1, 21.)

C. II. Hunc summum Regem Magi quærunt : « Ubi est qui natus est rex Judæorum ? » (*v.* 1.)

Trepidanti Herodi regni temporalis et localis Judæorum invasori nuntiant « Principes sacerdotum et scribæ in Bethlehem novum regem nasciturum : sic enim scriptum est per prophetam... ex te (Bethlehem) exiet Dux, qui regat populum meum Israel. » (2, 5, 6.)

Sed humili forma futuram regni gloriam abscondens coram tyranno, qui vitam pueri quærit auferre, aufugit in Ægyptum et post mortem Herodis revertitur in partes Galilææ et habitavit in Nazareth, unde etiam nomen desumeret abjectum Nazareni. (2, 13-15, 19-23.)

C. III. Joannes Baptista regnum appropinquans Cœlorum prædicat. Pharisæis et Sadducæis iram minatur regis et severi judicis. (*v.* 7.)

Ipse Jesus accedit ad baptismum Joannis ut omnem justitiam ambo adimpleant. (*v.* 15.)

C. IV. Postquam Rex Israeli sese manifestare incepit, insinuat Evangelista, ex loco quod habituale domicilium sibi elegerat, Jerusalem Novi Regni non ultra futuram esse sedem ; imo Regem, ex loco medio inter populum Dei antiquum, et novum populum gentium quem inhabitare cœpit, jam actu prænuntiare benedictionem Abrahæ super omnes gentes per ipsum esse extendendam : quare dicitur : « Terra Zabulon et terra Nephtalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. » (*v.* 15. 16.)

Paulo post ubique Regis fama per ipsam etiam Syriam pervulgatur. Miraculis suam probat missionem et undique ad eum populi concursant : « de Galilæa et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem. » (*v.* 24. 25.)

C. V. VI. VII. Ut Deus suam Judæis legem publicavit in monte Sinai, sic Dei Filius, Rex Judæorum omnibus gentibus in perpetuum legem novam etiam in monte promulgat : Non enim venit dissolvere legem et mandata ut ipse testatur, sed majorem ad perfectionem ea reducere ; dicit enim : « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere sed adimplere. Amen dico vobis : donec transeat cœlum et terra, iota unum aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. (5, 17. 18.)

Juste animadvertit S. Augustinus Dominum in sermone de Monte apud Matthæum legis totius compendium tradidisse.

C. VIII. IX. Pluribus deinde miraculis jus suum regium atque divinum publice demonstrat.

Sed quamvis in typo leprosi Rex prius Israeli mederi videatur, attamen postquam vidit magnam fidem centurionis, prædicit sequenti se turbæ gentes fore Judæis prælatas : « Dico autem vobis, ait, quod multi ex Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Jacob in Regno Cœlorum : filii autem regni ejicientur

in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium. » (8, 11. 12.)

Quominus populi duces ad Deum convertantur, pharisæos obdurant Jesu miracula, nam ipsi aiunt : « In principe dæmoniorum ejicit dæmones. » (9, 34.)

Dominus ex tanta perversitate concludit summam instare necessitatem immutandi statum Judæorum ; odibilis enim facta est malitia ducum populi : « Videns autem turbas, misertus est eis : quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. » (9, 36.)

C. X. Tempus igitur advenit adjungendi sibi Apostolos in opera prædicationis regni : ideo duodecim dat Missionem Universalem. Quamvis enim eis prohibeat actualiter civitates ingredi Samaritanorum ; et etiam ipsis gentes interdicat : attamen monita addit omnibus futuris temporibus valitura. « Ad præsides et ad reges ducemini propter me in testimonium illis et gentibus. » (18.) Ita confirmans per omnes gentes Regnum prædicatum iri.

C. XI. Postquam Jesus fundamenta novi regni posuit, sociatis etiam sibi ministris Apostolatus ; interna voce impulsus Joannes sentit urgere tempus ut proprios discipulos provocet ad agnoscendum Regem, ideoque eos mittit ad Jesum, ut sciant « an ipse est qui venturus sit, an alium expectent ? » (3.)

Qua occasione exprobrat Jesus civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Simul protestatur quod in die judicii remissius erit civitatibus Gentilium. (20-24.)

Patefacit etiam palam novum Regnum distare toto Cœlo a regno temporali a Judæis concupito.

Emmanuel enim venit stabiliens regnum humilitatis qua superbiam condemnationis antiquæ debellare valeat : « Confiteor, ait, tibi, Pater, Domine Cœli et terræ quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis ! » (25.)

Rex qui cum Patre verus est Deus, cui tradita sunt omnia a Patre, quem nemo novit nisi Pater ; induit viscera mise-

ricordiæ parvulis quos ad se allicere gestit : « Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos... » (28. 29.)

Nihil formidandum est tyrannidis ; imitari regis humilitatem atque mansuetudinem subditis satis erit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est et onus meum leve. » (29. 30.)

C. XII. Requiem populi Dei, seu verum sabbatismum, de quo agit Apostolus ad Hebræos, incipit Judæis exemplo Apostolorum et proprio laudare : Pharisæi autem Dominum arguunt quia esurientes discipuli die sabbato spicas vellunt ; Ipsumque odio habent quia in sabbato manum aridam curat : imo consilium ineunt eum perdendi (*v.* 1-14.) « Jesus autem sciens recessit inde : et secuti sunt eum multi et curavit eos omnes. » (15.) Qua occasione Matthæus introducit prophetiam Isaiæ mansuetudinem Messiæ laudantem, et prædicentem conversionem gentium : nam propter incredulitatem rami olivæ excidentur, et etiam contra naturam oleastri rami fient olivæ pinguedinis participes : « In nomine ejus gentes sperabunt. » Rex in monte posuit « paupertatem spiritus » seu humilitatem tanquam legis articulum fundamentalem ; deinde sese dedit in exemplum maximæ humilitatis : « discite a me quia mitis sum et humilis corde ; » iterum hic Rex humilis apparet : « Non contendet, neque clamabit.... et linum fumigans non extinguet.... » (18-21.) Loquitur hic tanquam humillimus doctorum seu prophetarum Rex Magnus. « Qui ejiciet ad victoriam Judicium. » (20.)

Interea meram Judæorum populi consanguinitatem carnalem respuit : subditos agnoscit, eosque matrem, fratrem et sororem nominat, illos solos « qui fecerint voluntatem Patris ejus qui in cœlis est. » (46-50.)

C. XIII. Septem proponit parabolas in quibus Regni, seu Ecclesiæ universalitatem atque perpetuitatem clare asserit : ita Judæis demonstrat et futuris generationibus se esse Filium illum Davidis de quo scriptum est : « Stabiliam thronum regni ejus usque in æternum. » (II. *lib. Regum c.* 7, 13.)

Et iterum, « Dominabitur a mari usque ad mare: et a flumine usque ad terminos orbis terrarum. » (*Ps.* 71, 8.)

In consummatione sæculi Rex segregabit bonos a malis, utrosque juste judicans : « Mali mittentur in caminum ignis ubi erit fletus et stridor dentium. » (42-50.) « Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum. » (43.)

C. XIV. Finitis legis temporibus, mortuo Joanne, Jesus secessit in navicula, in locum desertum, transitum parans ad novum testamentum, ibique pavit quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis, quinque panibus et duobus piscibus, sublatis duodecim reliquiarum cophinis: et super mare ambulans discipulos tempestate agitatos confortat, Petrumque a submersione liberat. In terra Genesar varii curantur languores tactu vestimenti ipsius.

C. XV. In monte legem Rex promulgavit: nunc etiam corrigere oportet falsa præcepta quæ introducta fuerunt et de quibus jam in monte locutus erat. Falsas hominum traditiones condemnat ; antiquam Dei legem perficiens Judæorum spiritum qui evanuerat restituere conatur. (1-20.) Deinde in muliere Chananæa, futuræ Ecclesiæ gentium typo, humilitatem et fidem miratur : « Mulier, magna est fides tua, exclamat, fiat tibi sicut vis. » (21-28.)

C. XVI. Adversus falsam pharisæorum et scribarum doctrinam Apostolos præmunit. (1-12.) Et quo securius ipsos docere possit quanta privilegia Novam Ecclesiam manent, quantisque prærogativis successor suus in Regno fruetur ; conducit duodecim in partes Cæsareæ Philippi ; ibique promittit fidei Petri, indefectibilem ipsi et successoribus Primatum. Confirmat simul Ecclesiæ infallibilitatem: « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » (13-19.)

C. XVII. Transfiguratio. « Resplenduit facies ejus (Regis) sicut sol. » (*v.* 2.) — Cura lunatici. — Secunda vice in Capharnaum in solutione didrachmatis, Petri Primatum actione symbolica Dominus insinuat, dicens: In ore piscis « Invenies staterem : illum sumens da eis pro me et te. » (26.)

C. XVIII. Et quia Apostolorum ambitio inde læditur, revocat eos ad primam Beatitudinem, quæ legis totius est quasi

petra angularis: exemplum igitur parvuli proponit, ne scandalizent novos Regni subditos, qui sane multum mirabuntur si Ecclesiæ Duces ambitione æstuantes mundana viderint. (1-14.) Nihilominus simul omnium eorum dignitatem collegialiter signat: sub Primatu Petri jam antea promisso: « Quæcumque alligaverint super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solverint super terram, erunt soluta et in cœlo. » Jam præmiserat: « Si autem Ecclesiam (quis) non audierit sit tibi sicut ethnicus et publicanus. » (17. 18.) Singulariter Apostoli tanta etiam prærogativa gaudebant ut discimus exemplo Apostoli qui Corinthium satanæ tradidit: (1 *Cor.* V, 4. 5.)

C. XIX. Morte Domini magis instante, incipit ea docere quæ novæ legis perfectionem spectant. Reducit matrimonium ad pristinam unitatem et virginitatem commendat. (1-12.) Benedicendo parvulos duces Ecclesiæ docet humilitatem. (13-15.) Voluntariam paupertatem laudat. (16-24.)

Ipsis Apostolis, qui omnia reliquerunt ut Dominum sequerentur, promittit, fore ut cum Rege suo, in fine sæculi, judicent duodecim tribus Israel. Ait enim: « Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, quum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel. » (28.)

C. XX. Parabolam proponit de operariis in vineam conductis, quorum ultimis idem datur denarius cum primis: Jesus discipulis passionem ac resurrectionem suam prædicit: et occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos quod non potestate, et ostensione Dominii, sed officio ministerii debeant esse majores: egrediens vero Jericho duos cæcos illuminat: figuram, aiunt sancti patres, Judæorum et Gentilium.

C. XXI. Post triumphalem Regis ingressum in Jerusalem, propositis Judæis duabus parabolis, quibus eorum iniquitas palam declaratur, condemnationem eorum pronuntiat, et Regni finem: « Ideo dico vobis quia auferetur

a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » (43.)

Hic videmus Davidici regni continuationem : ast in Rege Messia juxta prophetiam Nathanæ superius adductam fit Divino-humanum : est enim Messias Emmanuel, Deus nobiscum. Extensio Regni ad omnes gentes, videtur per translationem de Judæis ad Ethnicos ; quia generalitas perfidæ gentis abjicit verum Regem suum Davidis et Abrahæ filium.

C. XXII. Parabola nuptiarum filii regis exclusionem Judæorum e novo Regno iterum insinuat. (1-10.)

In ipso Messiæ regno condemnabuntur peccatores : quod significatur symbolo hominis vestem nuptialem non habentis. (11-14.)

Tentatur Jesus a Pharisæis super censu dando Cæsari, et a Sadducæis super resurrectione, quorum redarguit inscitiam, mortuorum evincens resurrectionem : rursumque a legis doctore tentatur super magno legis mandato : vicissim quoque interrogat Pharisæos, cujus filius sit Christus. (15-46.)

C. XXIII. Solemniter deinde Rex in templo Jerosolymitano populi duces objurgat, coram omni populo ; suosque ad veram humilitatem rursus adhortatur. Pluries in cæcitatem et hypocrisim principum populi Judæorum Væ intonat. Homicidæ Jerusalem nolenti sese regi suo submittere ultimam prædicit desolationem. « Ecce, ait, relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis non me videbitis amodo, donec dicatis : benedictus qui venit in nomine Domini. » (*v*. 38. 39.)

C. XXIV. Prædicit ruinam templi et Jerusalem ; etiamque mundi finem et apparitionem « Signi Filii hominis » ; (*v*. 30.) nempe Signi Crucis, seu triumphalis regis vexilli.

C. XXV. Priusquam ad passionem procedat de novo docet Regni christiani compositionem, in parabolis decem Virginum, et distributionis variæ talentorum :

1° Erunt Virgines prudentes et fatuæ : Boni christiani et mali. (1-13.)

2° In Regno, gratiæ varie distribuentur « Juxta uniuscujusque virtutem. » Merces vel condemnatio consequetur bonum vel malum gratiarum usum. (14-30.)

Finaliter ut terribilis et justus judex omnibus in fine sæculi Rex apparebit : « Cum autem venerit Filius hominis in Majestate sua et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis ; et statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei.... Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : discedite a me maledicti in ignem æternum.... (31-46.)

C. XXVI. Consultant principes Sacerdotum de occidendo Jesu. (1-5.) Unguento pretioso a muliere perfunditur. (6-13.) Venditur a Juda. (14-16.) Præparatio Paschatis. (17-19.) Instituit Jesus ministerialiter, quà homo, sanctissimum sacramentum Eucharistiæ, hic in Matthæo (*v.* 20-30) — In Marco, *C.* XIV, 17-26. — In Luca, *C.* XXII, 14-20.

Dum tempus passionis appropinquaret, Rex in Matthæo, et in Marco Propheta Filius Dei prædicunt momentaneam subditorum Regni Spiritualis (quod etiam Prophetici, propter doctrinam in eo communicandam, appellari potest,) dispersionem et subsequentem cum Domino suo communionem. « Tunc dicit illis Jesus : omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim : percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. » (31. 32. *Marc.* 14, 27. 28.)

Initio passionis suæ miremur mansuetudinem Regis Nostri cui etiam Angeli obediunt : amputanti auriculam servi summi Sacerdotis Petro ait : « Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum. Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri ? » (52-54.)

C. XXVII. In mediis opprobriis Regis incipit triumphus.

1° De Juda traditore : qui « projectis argenteis in templo, recessit, et abiens laqueo se suspendit. » (5.)

2° De iniquo judice Pilato. Commotus uxoris suæ visione, sese a sanguine justi hujus innocentem confitetur, ita manifeste propriam injustitiam et ignaviam proclamans : « Accepta aquâ lavit manus suas coram populo, dicens : innocens sum a sanguine justi hujus : vos videritis. » (19-24.)

3° De Judæis qui propriam prophetizant maledictionem : « Et respondens universus populus, dixit : sanguis ejus super nos, et super filios nostros. » (25.)

4° In ipsa morte triumphat de tota natura et mortuos ipsos ad vitam revocat : « Terra mota est et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis. » (51-53.)

5° De prudentia principum sacerdotum et pharisæorum, qui fraudem suspicantes obsignant lapidem sepulchri Dominici, illudque muniunt cum custodibus. (62-66.)

C. XXVIII. Dum illico, die dominica summo mane, « Terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de Cœlo : et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum : erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. » (2-4.)

6° De mendacio Judæorum : Nam : quanquam divulgatum est usque in hodiernum diem apud Judæos, quia discipuli ejus nocte venerunt et militibus dormientibus furati sunt eum : (13-15.) totus mundus post Jesum Nazarenum Regem Judæorum abiit.

Rex proclamat suam, in mundum universum, summam et perpetuam potestatem :

Etenim apparens Apostolis in monte Galilææ « Locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in Cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti : Docentes eos

servare omnia quæcumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. » (18-20.)

AMEN.

S. MARCUS.

Persona Prophetæ.

Marcus discipulus et interpres Petri, ut eum nominat S. Hieron., Filium Dei Magnum Prophetam et Doctorem repræsentans, omittit Genealogiam, sacram infantiam et vitam privatam Domini.

Ipso initio Evangelii sui insinuat scopum magis doctrinalem quem sibi sub inspiratione Spiritus sancti proposuit. Nec regia Majestas, nec dignitas sacerdotalis apud ipsum insinuantur.

C. I. « Initium Evangelii Jesu-Christi Filii Dei. » (*v.* 1.)

Rapide et summatim loquitur Evangelista de prædicatione Joannis Baptistæ, de baptismo Jesu, de ejus, in deserto, tentationibus : ubi « erat cum bestiis. » (1-13.)

Prosequens leviter tangit prædicationem Jesu in Galilæa. (14. 15.)

Memorat cum Matthæo vocationem quatuor Apostolorum Simonis et Andrææ ; Jacobi Zebedæi et Joannis. (16-20.)

Deinde cum Luca narrat ingressum Jesu in Capharnaum ubi « statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut scribæ. » Postea expulit dæmonem ab homine qui erat in synagoga : « Comminatus est ei Jesus dicens : obmutesce et exi de homine... Et mirati sunt omnes ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc ? quænam doctrina hæc nova ? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei... » (21-28.)

S. Marcus sine cunctatione nobis exhibet Jesum zelo cœlestis doctoris ardentem in doctrina et miraculis. Vi magistrali ex ipso divino fonte doctrinam promebat, et jugi miraculorum fulgore confirmabat, fidei fundamenta jaciens.

Curat socrum Petri, et alios qui variis languoribus et dæmoniis vexabantur. (29-34.)

Mundat leprosum. (40-45.)

C. II. Paralyticum sanat; (1-12.) cui et peccata remittit Filius hominis.

Matthæus post sermonem de Monte exhibuit immediate leprosum mundatum et deinde servum centurionis curatum: Jesu sic iter faciente de Judæis ad gentes.

In Marco manifestatur scopus doctrinalis: prius mundatur lepra corporalis in leproso, deinde morbus corporalis simul cum lepra peccati in paralytico.

Rex apud Matthæum docet transitionem de regno Judæorum, ad Ecclesiam quæ magnâ ex parte ex gentibus constituetur.

Propheta apud Marcum docet curæ corporali quæ erat solummodo figura curæ spiritualis animæ, successuram in Ecclesia Christi veram et realem animæ curam.

Notare possumus S. Lucam, a tempore quo Jesus desertum reliquit usque ad electionem Apostolorum, eumdem ordinem secutum esse quem S. Marcus. In Luca Jesus insinuavit, finitis antiqui testamenti figuris in ipsius persona, merita sacerdotalis Victimæ fore directe tum in corporis medelam, tum animæ applicata in remissionem peccatorum.

Animadvertere hic oportet sanctum Lucam ordinem S. Marci sequendo (*Luc. c.* 4, 14 usque ad *Luc. c.* 6, 16,) aliqua sacerdotali characteri propria quæ Marcus omittit, narrationi inseruisse. 1° (*Luc. c.* 4, 16-30.) Prædicationem in Nazareth. 2° (*Luc. c.* 5, 1-11.) Piscationem miraculosam.

Quorum sensus mysticus in commentario traditur. Hæc dixisse sufficit ut intelligamus divina arte cuncta in Evangeliis esse concatenata.

S. Marcus post curam paralytici, narrat vocationem

Matthæi. Dominus mensæ accumbens in ejus domo, docet quanta futura sit differentia inter novam doctrinam et doctrinam antiquatam Judæorum; suorum jejunia antiqua Pharisæorum et Joannis discipulorum jejunia longe superabunt. (13-22.)

Cœlestis Doctor discipulos introducit in sabbatum christianum, ubi erit saturitas et requies a laboriosa lege Judaica. Ibi synagogæ languor sanitati restituetur, quod præfiguratur in cura manus aridæ, die sabbato, in ipsa Synagoga. Unde Pharisæorum iræ: exeunt separantes se a Domino, perdere eum cupientes: « statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent. » (*c.* 2, 23-28; *c.* 3, 1-6.)

C. III. « Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare, » multa fecit miracula, « et spiritus immundi cum eum videbant, procidebant ei: et clamabant dicentes: Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis ne manifestarent illum. » (7-12.)

Marcus hic omittit quæ Matth. in loco parallelo (*c.* 12, 15-21.) tradit: nempe prophetiam Isaiæ quæ insinuat humilitatem Regis Israel et futurum ejus dominium super populos gentiles.

Pharisæis jam abalienatis a Jesu, hic ad mare cum suis secesserat, ut vidimus. Cum autem animadverteret Cœlestis Doctor quanta sit messis erudiendorum in divina doctrina, « Fecit ut essent duodecim cum illo et ut mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates et ejiciendi dæmonia. » (13-19.)

Independentiam Filii Dei eligentis Apostolos notat solus Marcus: (*v.* 13.) « Et ascendens in montem vocavit ad se quos ipse voluit: et venerunt ad eum. »

Circa electionem Apostolorum non possumus non videre differentiam motivi in Evangelista regio Matthæo, et in Marco qui Magnum Prophetam intuetur.

Apud Matthæum (*c.* 9, 36-38.) Rex misertus est populi vexati et jacentis sicut ovium sine pastore. Ideo compulit Apostolos rogare Dominum messis ut mittat operarios in

messem suam. Deinde (*c.* 10, 1) convocat Apostolos. Hic autem apud Marcum miramur Cœlestem Doctorem qui infidelibus ministris synagogæ, Pharisæis scilicet, substituit Apostolos. « Qui cum ipso essent : et quos mitteret prædicare Evangelium. » (14.)

Electis Apostolis, « veniunt ad domum, et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : quoniam in furorem versus est. » (20, 21.)

Mire signatur hic defectus fidei in propinquis cœlestis Doctoris. De incredulitate parentum Jesu ait Joannes (*c.* 7, 5): « Neque enim fratres ejus credebant in eum. »

Ex interpretatione verborum : « Quoniam in furorem versus est, » colligimus quare S. Marcus hæc retulerit. Ita loquitur Calmet : « Mitior significatio quæ his vocibus valeat appingi, ea est, ut innuant, extra se rapi, Prophetarum instar eo temporis momento, quo actu superiori numine afflantur. » Jesus qui ordinarie etiam ut Propheta totaliter sui conscius erat, forsitan etiam raro et libere se subjecit statui exstatico, qui aliis prophetis, dempto Moyse, in actu prophetandi habitualis erat.

Marcus cum Matthæo et Luca exponit qui sint parentes Jesu : « Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea et mater est. » (31-35.)

Revera qui voluntatem Dei facit obedit Regi, fide Prophetæ amplectitur doctrinam ; et sacerdotalis Victimæ misericordiam « crucem quotidie portando ; ut ait Sacerdos in Luca. » (9, 23.)

C. IV. Matthæus (*c.* 13) per septem parabolas descripsit Regnum Christi in terris. Hic autem Marcus in tribus parabolis seminantis, seminis, et grani sinapis exponit incrementum fidei in Ecclesia considerata tanquam institutione doctrinali. (Sic exponit sensum litteralem Ill. Beelen in hunc locum.) (1-34.)

Ad doctrinam confirmandam sequuntur diversa miracula : nempe tempestas sedata. (35-40.)

C. V. Expulsio dæmoniorum ex homine « in spiritu im-

mundo, » in terra Gerasenorum. Porcorum immersio in mare. (1-20.)

Cura hemorrhoissæ, et resurrectio filiæ Jairi. (21-43.)

C. VI. Post tot prodigia revertitur Propheta Magnus in patriam : « Et non poterat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit : et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat castella in circuitu docens. » (1-6.)

Mire connectit Matthæus (*c.* 13) incredulitatem parentum Jesu in patria, parabolis Regni ; quatenus ipsis difficile erit in regnum Dei intrare. Marcus autem annectit hanc miraculis præcedentibus : quatenus ita Propheta testatur nulla valere ut ad fidem amplectendam moveat parentes.

Hic potior Prophetæ missio est, jacere fidei fundamenta, et confirmare doctrinam etiam operatione signorum : ideo non sine causa tanta admiratio Christo ob parentum incredulitatem adscribitur.

Missio Apostolorum. (7-13.)

In Matthæo annectebatur hæc missio misero statui populi Judæorum, hic autem, si aliqua cum præcedentibus connexio admittatur, videtur in Marco Propheta magis mederi voluisse defectui fidei. Et revera in Marco solo quæstio est de signo fidei speciali ; etenim Apostoli « ungebant oleo multos ægros, et sanabant. » (13.)

In administratione sacramenti extremæ unctionis quod hic adumbratur, etiam « Oratio fidei salvabit infirmum. » *Epist. S. Jac.* 5, 15.

Nota. In Marco separatur electio apostolorum concredita sapientiæ Cœlestis Doctoris et eorum missio.

In Matthæo magis agitur de convocatione duodecim Apostolorum, quorum nomina collegialiter referuntur ante missionem. (*c.* 10, 1-4.)

14-29. A morte Joannis usque ad resurrectionem Domini Matthæus et Marcus quoad relationem factorum eodem ordine incedunt.

Plura tamen omittuntur ab uno, quæ ab alio narrantur. Et sic utriusque modificatur diversimode connexio idearum.

Quæ ab uno describuntur et ab alio omittuntur signant etiam plerumque diversitatem characteris Regii in Matthæo, vel characteris Prophetæ in Marco. (*Vide Matth. c.* 14-27. *Marc.* 6, 14 *ad c.* 15.)

Secessus in desertum, miraculum quinque panum, transitus maris, diversæ curæ. (30-56.)

In transitu maris quem soli Matthæus, Marcus et Joannes narrant, apud Matthæum Petrus « ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum ; » timet ventum validum et increpatur a Domino. (*Matth. c.* 14 *v.* 29. 30.) Hic in successore Jesu Regis contemplamur sublimitatem dignitatis, humanæ infirmitati creditæ.

C. VII. De lotionibus et traditionibus humanis. (1-23.)

In hac parte doctrinali diffusior est Marcus quam Matthæus.

De Judæorum superstitionibus ait : « Pharisæi enim, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum : et a foro nisi baptizentur, non manducant ; et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata calicum, et urcæorum, et æramentorum et lectorum. » (3. 4.)

Cum agatur de Regno spirituali non mirum est eadem verba in ore Regis simul et Prophetæ poni. Attamen et hic aliqua in Matthæo adduntur quæ magis Regiam Majestatem Judicis decent :

Matth. c. 15, 11-14. Dixerat Jesus : « Non quod intrat in os coinquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli ejus, dixerunt ei : scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos : cæci sunt, duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. »

Theophyl. « Postquam de escis Dominus docuerat, videns incredulos esse Judæos, fines ingreditur gentium, »

Chrys. « Sic venit ut adventus suus Tyriis et Sidoniis non

appareret. Nondum enim tempus advenerat ut cum gentibus habitaret et eas ad fidem adduceret.»

Cura filiæ Chananææ. (24-30.)

Marcus maximam diligentiam notat Chananææ, cujus fidem Jesus apud Matthæum et Marcum laudat :

« Nam (Jesus) ingressus in domum, neminem voluit scire, et non potuit latere. » (24.)

Fidei hujus mulieris magnitudo, ait Calmet in locum hunc Marci, devotionis fervor, constantia et perseverantia omnes superarunt difficultates.

Miraculum sanati-surdi et muti quod immediate sequitur, a solo Marco narratur. (31-37.)

Hic signis omnino specialibus Cœlestis Doctor utitur : nam « Apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens, tetigit linguam ejus : et suspiciens in cœlum, ingemuit, et ait illi : Ephpheta, quod est adaperire. » Ecclesia utitur hac oratione in cæremoniis præparatoriis Baptismi solemnis. Baptismus autem est sacramentum fidei.

C. VIII. Post miraculum septem panum a Matthæo et Marco narratum ; queritur Jesus de malitia Pharisæorum signum de cœlo quærentium : « Et ingemiscens spiritu, ait : quid generatio ista signum quærit? Amen, dico vobis, si dabitur generationi isti signum. Et dimittens eos ascendit iterum in navim, et abiit trans fretum. » (1-13.)

Reprehenduntur Apostoli : (14-21) « Quid cogitatis, quia panem non habetis ? nondum cognoscitis, nec intelligitis ? adhuc cæcatum habetis cor vestrum ? oculos habentes non videtis ? et aures habentes non auditis? nec recordamini ? » et iterum : « quomodo non intelligitis ? »

Magis videtur Propheta apud Marcum, quam Rex apud Matthæum, urgere ut intellectum suorum discipulorum aperiat. (*Vide Matth. c.* 16, 1-12.)

Visus restituitur cæco Bethsaidæ. (22-26.) « Et veniunt Bethsaidam et adducunt ei cæcum, et rogabant eum ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum : et expuens in oculos ejus impositis manibus suis in-

terrogavit eum si quid videret. Et aspiciens, ait: Video homines sicut arbores ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: et cœpit videre; et restitutus est, ita ut clare videret omnia. »

Juxta sanctos Patres hic videmus quomodo Magnus Propheta gratiæ virtutem fidei magnitudini aptet. « Hæc primum infirma erat et labans: prout vero deinceps crevit, ita et oculi videndi facultatem obtinuerunt. » (Plures apud Calmet in hunc locum.)

Confessio Petri sequitur. (27-30.)

Quominus Jesus hic laudet Petrum, postquam dixit: « Tu es Christus. » Comminatus est eis ne cui dicerent. (*v.* 29-30.) Nullum habetur verbum de dignitate Petri, nec de Ecclesiæ prærogativis. Hic locus insignis est ad probandum scopum diversum Matthæi et Marci.

Sequitur prædictio passionis et traduntur rudimenta vitæ christianæ (31-38), ut apud Matthæum et Lucam in loco parallelo. (*Vide Matth.* 16 *Luc.* 9.)

C. IX. Transfiguratio. Cura lunatici. 1-28. Hic fides maxime commendatur a Jesu « Primo Doctore Fidei, » ut eum nominat S. Thomas. Jesus enim ait patri pueri:

« Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis, aiebat: Credo, Domine: adjuva incredulitatem meam. » (22. 23.)

Iterum prædicatur passio et adhortatur Jesus Apostolos ad humilitatem et ad pacem ad invicem. (29-49.) Ita terminat allocutionem: « Bonum est sal; quod si sal insulsum fuerit: in quo illud condietis? habete in vobis sal, et pacem habete inter vos; » ut decet Doctoribus Ecclesiæ. *v.* 49. i. e. Contentionem effugite, et præsertim ambitionem, atque superbiam abominamini. Qui in vobis princeps est, adnitatur aliorum servus fieri. Hæc est conclusio eorum, quæ dixit Apostolis suis, arrepta occasione contentionis, quæ de primatu in via fuerat oborta. (*Calmet in Marcum.*)

Notandum est in hoc loco Marcum omnia tacere de prærogativa Petri figurata in solutione didrachmatis, et simul, de

prærogativis Ecclesiæ atque Collegii Apostolici : de quibus solus agit (*Matthæus. c.* 17, 26 ; 18, 17. 18.)

C. X. Novum edictum Regis (Matt. 19) de unitate matrimonii ; etiam post ipsum legis mediator, seu Propheta luculentissime explicat. (1-12.)

Ex s. Marco clare percipimus semper illicitum esse dimittere uxorem et aliam ducere ; et vice versa. « Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. » (11. 12.)

In Marco declaratur quinam vere periclitentur divitiarum causa : « Filioli, quam difficile est, confidentes in divitiis, in regnum Dei introire. » (24.)

Cœlestis Doctor sequentibus se promittit in hac vita mercedem specialem, nempe : securam in persecutionibus protectionem. (30.)

Omittit autem in Marco regiam prærogativam Judicantium cum Rege suo, de qua Matthæus in hoc loco parallelo C. 19, 28 et etiam Lucas C. 22, 30 ; altera occasione.

Una honorantur Rex et Sacerdos ; quod videtur fluere ex communi encomio : « Vos estis... Regale Sacerdotium : » quod in Apostolis *stricte* verificatur.

Nota. A capite undecimo usque ad caput decimum quintum inclusive Marcus multa communia annotat præsertim cum Matthæo, quem tamen cum sequi videatur omittit ea quæ magis characterem Domini regium signant, et ejus Ecclesiæ constitutionem. De Victoriis Domini super inimicos etiam tacet. Partem doctrinalem et narrationem factorum sequitur. Nec de iis quæ Lucas specialiter narrat circa passionem Jesu sacerdotalis Victimæ, verbum ullum Marcus facit.

C. XVI. In ultimo sui Evangelii capite init rationem omnino particularem loquens de resurrectione Domini et de ejus ad Apostolos instructione in fine Evangelii.

Jesu-Christi character doctoralis, in ultima apud Marcum, Apostolis apparitione, maxime apparet. (14-20.)

« Novissime recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis ; quia

iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. » (14. 15.)

Severam increpationem, propter defectum fidei in ipsis Apostolis, hic adhibet Propheta quem in Marci Evangelio magis incumbentem vidimus jaciendo fidei fundamenta.

Jubens prædicationem Evangelii omittit loqui de servanda lege, quod jussit Rex in Matthæo :

«Docentes eos servare quæcumque mandavi vobis.» (*Matth.* 28, 20.)

Sequitur ; « Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit ; qui vero non crediderit condemnabitur. » (*v.* 16) De novo necessitas fidei summopere commendatur.

Deinde : « Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis. Serpentes tollent, et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent et bene habebunt.» (17. 18.)

Gratiæ gratis datæ quæ in hoc loco christianis promittuntur, juxta S. Thomam (de Incarnatione), pertinent modo speciali ad Jesum ut Magnum fidei Doctorem. (Quæst. VII. Art. 7.)

Evangelium terminatur his verbis :

« Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. » (19. 20.)

Cœlestis Doctor ad dexteram Dei sedens, ad fidem promulgandam adjutor et protector erit ; etiam infidelibus signa Apostolorum et discipulorum suorum promittens.

AMEN.

LUCAS·

Persona Sacerdotis Victimæ.

C. I. Caput primum exhibet quasi prooemium in Evangelium « Victimæ Magni Sacerdotis. » Quamvis in hoc exordio quatuor Domini characteres signentur, omnia tamen magis referuntur ad magnam Dei misericordiam quam nobis promeruit Jesus per passionem suam, reconcilians ima summis, terram cœlo conjungens. Quo etiam character Victimæ Sacerdotalis hic primas tenet.

Lucas post præfationem quam quatuor primis versiculis expedit, non sine motivo notat genus Zachariæ et Elizabeth qui ambo ad familiam Aaronicam pertinent. A sacerdotio igitur liber initium habet et terminatur benedictione ipsius Magni Sacerdotis Apostolis impertita, et eorum laudibus in ipso templo; ut videre est. (*Luc.* 24, 50-53.)

Zachariæ in templo ministranti promittit Angelus Domini fore ut Præcursor Messiæ ab ipso et uxore Elizabeth nascatur. (5-25.)

Subsequitur annuntiatio ab eodem Archangelo Gabriele Mariæ Virgini. Prima ad ipsam Archangeli verba sunt prælibatio et quasi primitiæ misericordiarum Messiæ ex ipsa nascituri : « Ave, gratia plena, Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. »

Deinde nuntiatur Universi Mundi salus : « Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit Magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in Domo Jacob in æternum, et Regni ejus non erit finis. » (26-38.)

Hæc annuntiationis narratio omni modo pertinebat ad S. Lucam, tum ut opus Misericordiæ Divinæ excellentissimum, tum ut Divina Origo Sacerdotis in æternum ab Evangelista Sacerdotii Christi exponeretur : Est enim Sacerdos in æternum ; simulque Rex Pacis et Rex Justitiæ. Imo regnum spirituale Christi in terris conjungitur cum æterno Sacer-

dotio, ut docemur Ps. 109 : « Tu es Sacerdos in æternum.... Dominus a dextris tuis, confregit (confringit) in die iræ suæ reges. »

Vix Jesus in Maria personaliter operatus est misericordiam, dum eam impellit ut cum festinatione cœlestem præcursori ejusque matri benedictionem communicet. Ex tanta benignitate stupet Elizabeth et exclamat : « Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me? ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo.... » (39-45.)

Ipsa Maria cantat humilitatis suæ canticum, quod est vere canticum infinitæ misericordiæ Dei : « Quia fecit mihi magna qui potens est.... Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.... » (46-56.)

Nativitas Joannis, et ipsius circumcisio : « Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto : et prophetavit. » (57-67.)

Canticum Zachariæ de misericordi liberatione Israel. (68-79.)

Prouti Zacharias in hoc cantico videtur magis salutem Israel attendere ; ita etiam in Lucæ Evangelio Jesus ut Sacerdos Victima videtur maximas prærogativas Israeli concedere.

Ut sæpius fit in prophetiis de Messia, in hoc Evangelio Israel est quasi Typus in quo figuratur totius mundi salus, vel saltem consideratur Israel tanquam fons unde gentium salus manat.

C. II. Ut Matthæus Regiam Jesu infantiam et originem tradidit, sic Lucas Victimæ sacerdotalis nativitatem describit, postea genealogiam ejus sacerdotalem traditurus.

Maria « peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. » (1-7.)

Dum in humilitate Victima nascitur salutis, ex altera parte Angeli, tum gloriam Orientis ex Alto, et Sacerdotis in æternum ; tum etiam Victimæ humilitatem solemniter laudant, et pastoribus nuntiant. (8-20.)

Temporibus a lege statutis, in circumcisione pueri, et

matris purificatione, leges implentur antiqui Sacerdotii, (21-24.)

Gratitudo in Deum, ob gloriam Israel, et lumen ad revelationem gentium, cœlesti æstu cor Simeonis implet. Sanctus senex Mariam salutaris Victimæ passioni consociat: « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. » (25-35.)

Et erat Anna Prophetissa: « Et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. » (38.)

Duodennis, in templo inter doctores invenitur. Docet parentes Mariam et Joseph in rebus æterni Patris oportere se versari: « Et descendit cum eis.... et erat subditus eis... » (41-52.)

Ita Jesus, a minori incipiens, accingit se puer ad obedientiam postea vovendam Æterno Patri, quando factus fuerit « Obediens usque ad mortem : mortem autem Crucis. »

C. III. Joannes Baptista ut præcursor Victimæ salutaris, maxime insistit in deserto prædicans, divinæ misericordiæ magis miseris applicandæ; præterea: « Videbit omnis caro salutare Dei. » (1-14.)

Baptismus et Genealogia Sacerdotis traduntur. (21-38.) In verbis Evangelistæ: « Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph, qui fuit Heli... qui fuit Adam, qui fuit Dei, » videtur existere allusio ad generationem Melchisedech, qui erat sine Patre, etc. Hæc postea in commentario exponentur.

C. IV. Sanctus Lucas, narratis Jesu in deserto jejunio et tentationibus, peculiari cura memorat futuros Victimæ sacerdotalis agones. Ut Victima Jesus remanet expositus modo speciali ictibus satanæ, et ideo hic prænuntiatur ejus reditus, ad torquendum Jesum, quod maxime fiet passionis tempore: « Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. » (1-13.)

Apud Matthæum et Marcum Jesus in initio prædicationis, sequitur modum magis generalem Joannis Baptistæ, prædicans nempe pœnitentiam et non ita aperte declarans se esse Messiam. E contra in Luca incipit hac ipsa declaratione apud concives Nazareth legens Isaiam Prophetam de Messia·

tractantem : et asseruit in sua persona prophetiam adimpletam esse. Propter severa monita volunt ipsum morti tradere. (14-30.)

In prophetia Isaiæ apparet Mansuetudo Victimæ sacerdotalis ; cujus ob pervicaciam populi sui dilecti character immutabitur in rigorem Regis Justitiæ ; quod in prælatis Naamane et vidua Sareptana super Israel, tanquam gentium typis, præfiguratur.

Deinde diversis miraculis et prædicationibus, eodem quo Marcus ordine, Lucas Divinam Jesu Missionem commendat. (31-44.)

C. V. In piscatione miraculosa a solo Luca narrata, misericordia salutaris Victimæ cor Petri tangit, ita ut exclamet : « Exi a me quia homo peccator sum, Domine. » Cui bonus Samaritanus replicat : « Noli timere : ex hoc jam homines eris capiens. » (1-11.)

Leprosum curat et varios alios. Inde : « Ipse secedebat in desertum et orabat. » Postea curat corporaliter paralyticum, peccata ipsi simul dimittens. (12-26.)

Sic transitum facit a morbis corporalibus, figuris peccatorum, curandis, ad directam meritorum passionis suæ applicationem in remissione peccatorum.

Vocatio Matthæi a tribus æque narratur Evangelistis, Matthæo, Marco et Luca. (27-39.)

C. VI. Defendit apostolos die Sabbato spicas vellentes, manum aridam alio Sabbato in Synagoga curat; perdere eum volunt Pharisæi. (1-11.)

Pernoctat in oratione Dei antequam eligat Apostolos, quod magis Sacerdoti decet ut notant Sancti Patres in Lucam. (12-19.)

Sermo in monte. (20-49.)

Hunc sermonem multi interpretes cum Illmo Beelen longe diversum habent a sermone montis in Matthæo.

In Luca Jesus sacerdotalis Victima magis sui sequelam videtur urgere in præsentibus discipulis.

Quatuor beatitudines propositæ respiciunt propriam abne-

gationem, quam reipsa fecerunt discipuli quotidie Jesu crucem portantes.

Oppositas quatuor maledictiones, seu Væ! pronuntiat contra absentes inimicos, condemnans illos qui viam crucis contemnunt. (20-26.)

Loquens de amore inimicorum et de misericordia erga proximum, nullam instituit comparationem inter legem veterem et novam, quod in Matthæo Rex legifer præstitit: hic solummodo suos discipulos ad propriam imaginem misericors Sacerdos Victima informat. « Commendat judicium Deo relinquere, et dimittere aliis peccata. » (37.)

Mercedem charitatis in proximum eximiam fore docet: « Date et dabitur vobis: mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. » (38.)

In fine orationis discipulos præmunit contra cæcos synagogæ duces; et monstrat cui similis est is qui sermones ejus audit. Rex terminando sermonem de Monte in Matthæo eamdem introducit comparationem. Sed in Luca minus generalia sunt in applicatione verba Sacerdotis et magis determinata: inculcant enim actualem sequelam Domini: « Omnis *qui venit ad me,* et audit sermones meos, et facit eos: ostendam vobis cui similis sit.... » (39-49.)

C. VII. Centurionis servus sanatur. (1-10.) Apud Lucam mediate centurio cum Jesu communicat; servatur rituale antiquum, integræ servantur Judæorum prærogativæ: donec victimæ immolatione separationis murus diruatur. Sæpius hanc differentiam notamus inter modum Regis, et modum agendi Sacerdotis Victimæ: Rex per prolepsin videtur jam admittere gentes ad se, cum Sacerdos remaneat « in via » cum filiis populi sui, donec eum per mortem compellant fieri adversarium et judicem rigorosum. (*Vide Luc.* 12, 58. 59.)

Ideo legimus hic in Luca: « Et cum audisset (centurio) de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad

Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : quia dignus est ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram : et synagogam ipse ædificavit nobis. » (3-5.)

Quantam suavitatem spirat miraculum resurrectionis filii viduæ Naim ! « Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super illam, dixit illi : « Noli flere. » (11-17.) Viscera misericordiæ salutaris hostiæ mire loquuntur.

Joannes Baptista audiens misericordias Domini mittit ad eum discipulos qui Salvatorem agnoscant. (18-23.)

Improperia in Judæos post reditum nuntiorum ad Joannem. (24-35.)

Misericordia Jesu in peccatricem publicam, in domo Simonis Pharisæi. (36-50.)

Quantum allaboret saluti suorum, apparet ex eo quod tantis bonitatis exemplis conetur eos ad se attrahere per humilem peccatorum confessionem. In propriis eorum domibus amoris prodigia pandit erga maximos peccatores : « Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. » (47.)

C. VIII. In parabolis apud Matthæum docti sumus Regnum Christi. In Marco Magnus Propheta parabolis docuit quomodo fides in Ecclesia crescat et in cordibus fidelium. Hic in Luca parabola seminum docet Sacerdos quomodo per merita sua possimus summam perfectionem attingere. (1-15.) (*Vide Matth.* 13 ; *et Marcum* 4, 1-34.)

Dicitur enim : « Et aliud semen cecidit in terram bonam : et ortum fecit fructum centuplum. » (8.) Et « quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. » (15.) Qua patientia summam interpretes perfectionem intelligunt.

Ad normam Regis et Prophetæ apud Matthæum et Marcum, Sacerdos etiam doctrinam suam miraculis subsequentibus confirmat. Sequuntur igitur miracula tempestatis sedatæ, expulsionis legionis dæmoniorum in terra Gerasenorum, curæ hemorrhoissæ, et resurrectionis filiæ Jairi. (23-56.)

C. IX. Missio Apostolorum apud Lucam est omnino ac-

tualis : repræsentant Sacerdotem Victimam in vita mortali. Rex in Matthæo mittendo Apostolos respexit perpetuitatem Ecclesiæ.

Hic annectuntur missioni Apostolorum dubia Herodis circa causam prodigiorum de quibus audit. (1-9.)

Post Apostolorum reditum secedit cum eis in desertum Jesus et quinque panibus nutrit quinque millia virorum. (10-17.)

Sequitur sine ullo nexu cum præcedentibus confessio Petri : locus confessionis omittitur ; sed hic notatur circumstantia orationis solitariæ Sacerdotis discipulos interrogantis: « Et factum est, cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli ; et interrogavit illos dicens : Quem me dicunt esse turbæ.... Respondens autem Simon Petrus, dixit : « Christum Dei. » (18-20.)

Nihil hic, nec apud Marcum de promissione facta Petro et Ecclesiæ. Regi soli apud Matthæum hæc servata fuerunt.

Propter futuram passionem impedit ne Apostoli notum eum faciant : omnibus sequentibus se etiam passionem proponit et magis perfecte quam fecit in Matthæo et Marco ; additur hic Vox quæ signat perpetuam immolationem christiani in via crucis : « Dicebat autem ad omnes : si quis vult post me venire, abneget semetipsum : et tollat crucem suam *quotidie*, et sequatur me. » (21-26.)

Transfiguratio. (27-36.)

Solus Lucas, qui eam cum Matthæo et Marco narrat, introducit Moysen et Eliam *cum Jesu de passione dicentes* : « Visi (sunt) in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. » (31.)

Ubique character Victimæ apparet. Sequuntur cura lunatici, adhortationes ad humilitatem, ad misericordiam erga proximum. Circumstantiam perseverantiæ specialiter hic Jesus inculcat : « Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. » (37-62.) Paulo ante dederat ipse exemplum constantiæ in verbis quæ notantur ab Evangelista : « Factum est autem dum complerentur

dies assumptionis ejus (Sacerdos Victima videtur magis passionem ante oculos habere) : et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. » (51.)

C. X. Missio 72 Discipulorum. (1-24.)

Hæc missio insinuatur esse omnino actualis : bini mittuntur in omnem civitatem et locum quo est ipse venturus. Hæc missio data a Sacerdote, Lucæ specialis est : In hac de novo elucet quanta cura et benignitate Israelem amplectatur. Sacerdotis zelus videtur crescere quo magis allaborat saluti suorum per majorem numerum operariorum ; nam dicebat illis : « Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. » (2.) Sunt eadem verba quæ protulit Rex ante missionem universalem Apostolorum. (*Vide Matt.* 9, 37. 38.)

Mittens 72 discipulos minatur civitates quæ abutuntur misericordia Redemptoris sui ejusque zelo. (12-15.)

Monito generali contemptores suorum operariorum arguit : « Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. » (16.)

Reversis discipulis humilitatem commendat, gratias agens Patri quia tanta parvulis revelavit, quæ multi reges et prophetæ voluissent videre et non viderunt, audire et non audierunt. (17-24.)

Hæc apud Matthæum proponuntur modo generali sine mentione de præsenti applicatione discipulis. (*Vide Matt.* 11, 25-30.)

Animadvertimus differentiam analogam inter duos « Sermones de Monte, » apud Matthæum et Lucam.

Amor proximi commendatur sub figura boni Samaritani, qui est ipse sacerdotalis Victima. (25-37.) Discipuli ejus similiter faciant misericordiam : « Vade, et tu fac similiter. » (37.)

Martha et Maria. Videntur figurare spiritum laboriosum Synagogæ in Martha, et spiritum contemplativum Junioris Ecclesiæ in Maria.

Revera Jesus Sacerdos Victima a Martha, i. e., a Synagoga

excipitur, sed soror junior Maria, seu Nova Ecclesia præmium amoris refert, in ipsa Synagoga incipiens. (*V.* 39-42.) « Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. » (42.)

C. XI. In promulgatione legis tradidit Rex formulam orationis generalem, qua etiam defectibus gentilium remedium attulit : « Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici : putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. » (*Matt.* 6, 7.)

Hic autem in Luca pius Sacerdos iterum discipulos in particulari docet instantem orationem, addita summa fiducia. (1-13.)

Ejicit dæmonium mutum ; inde blasphemiæ Pharisæorum et Judæorum, et Jesu in eos improperia. (14-26.)

Et v. 27 sequenti : « Factum est autem, cum hæc diceret : extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ succisti. »

Inde novam occasionem arripit gentem suam postponendi Ethnicis : apud Judæos lucernam frustra accendit : « Videant ne lumen quod in ipsis est tenebræ fiant. » (35.)

Retineant sincere lucem, « et sicut lucerna fulgoris illuminabit eos. » (36.) Invitatus apud Pharisæum qui scandalizatur « quia non baptizatus esset (Jesus) ante prandium, » avaritiam et hypocrisim eorum accusat ; necnon homicidia a sanguine Abel requiret ab hac generatione. Pronuntiat etiam væ legisperitis : « Quia, ait, tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis : et eos qui introibant, prohibuistis. » (52.) Propter hanc justam in eos severitatem « insidiantes ei, quærunt aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. » (27-54.

Sic videmus sæpe sæpius Jesum Sacerdotem in domibus eorum qui religioni præpositi sunt ut eos adducat ad justitiam quam alios ex vocatione Dei docere tenentur.

C. XII. Et quia magna turba circumstat magis eorum hypocrisim confundit, adhortans omnes ne timeant hypocritas, sed fiducialiter agant confitentes eum coram omnibus. (1-12.)

Contra avaritiam, pauper Sacerdos Victima, utitur para-

bola hominis divitis qui facere voluit majora horrea ; introducit Deum sic alloquentem hunc divitem : « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt? Sic est qui sibi thezaurizat, et non est in Deum dives. » (13-21.)

Non sit discipulis sollicitudo circa victum et amictum ; « Verumtamen, ait, quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. » Deinde tenere alloquitur bonus Samaritanus discipulos dicens : « Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.... »

Adhortatur eos ad vigilandum et maximam mercedem promittit ; e contra minatur servum infidelem. Sic 22-48 intime discipulos admonet.

Proprio deinceps exemplo ad pugnam Christianam suos stimulat ; anhelat Victima propriam passionem : « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? Baptismo autem habeo baptizari : et quomodo coarctor usque dum perficiatur? Putatis quia veni pacem dare in terram? Non dico vobis, sed separationem : » Erunt in eadem domo divisi.... (49-53.)

Transit ad turbas increpandas, quarum carpit hypocrisim. Videant ne justum judicium in se provocent, quia non reconciliati sunt cum pio Sacerdote in via. Adhucusque est misericors adversarius qui increpat eorum vitia ut convertantur : postea fiet Rex justitiæ et scelerum vindex : « Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. » (54-59.)

C. XIII. Subjungit exempla Galilæorum qui jubente Pilato perierunt, et eorum super quos turris in Siloe cecidit : « Si pœnitentiam non egeritis, ait pius Sacerdos, omnes similiter peribitis. » (1-5.)

Postea refert exemplum ficulneæ circa quam maxima cura foditur et stercoratur : si in futurum non fecerit fructum succidetur. (6-9.)

Mulier curvata in Synagoga misericorditer die Sabbato curatur, et Archisynagogi confunditur hypocrisis. (10-17.) Hæc mulier, juxta sanctos Patres, typus est electorum inter Judæos. Inde incepit Ecclesia tanquam granum sinapis quod in magnam arborem excrevit; vel etiam tanquam fermentum mulieris quod totam massam fermentaturum erat; quia salus ex Judæis est. (18-21.) Quam apte annectantur duæ illæ parabolæ præcedentibus nemo non videt.

De paucitate salvandorum, (22-30,) in hoc loco, præsertim cum Judæis sui temporis agit, ut etiam notat Ill^mus Beelen, ita ut eumdem, ac in præcedentibus scopum, Sacerdos Victima prosequatur.

Apud Matthæum, in Sermone de Monte (7, 13. 14), Rex in lege publicanda omnibus generatim proposuit doctrinam de parvo numero electorum, et pro omnibus temporibus. Juxta morem suum ibi intuetur indefectibilem Ecclesiam omnium temporum. Apud Lucam omnia sunt actualia : « Tunc incipietis dicere : manducavimus coram te et bibimus, et in plateis nostris docuisti. » En veram intimitatem quam Victima « in via » anhelabat ; sed noluerunt pœnitentiam agere ; inde factus est verus Melchisedech, Rex Justitiæ ; quia Regem Salem, i. e., pacis rejecerunt : et consequenter inexorabilis factus est Judex. Ideo sequitur : « Et dicet vobis nescio unde sitis : discedite a me, omnes operarii iniquitatis. Ibi erit fletus et stridor dentium : cum videritis Abraham, Isaac et Jacob, et omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. » Tandem, consummata eorum prævaricatione, videbunt gentes locum Israeli destinatum in cœlis occupare : « Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro et accumbent in Regno Dei. Et ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi. »

Rex in Matthæo hæc dixit occasione fidei centurionis, typi gentilium qui Ecclesiam maxima ex parte efformabunt, interea dum plenitudo Judæorum intret.

Hic in Luca magis videmus sollicitudinem Victimæ sacerdotalis, qui provocat « carnem suam » i. e. Judæos, quorum salutem ante omnia procurare satagebat.

(Tantum, pro salute Judæorum, Apostolus Gentilium postea zelum exercuit, ad exemplum Jesu-Christi. (*Rom.* 11, 13. 14.)

Sed quamvis tanto amore cor ejus æstuet, et commoveantur viscera in favorem populi Israel, attamen occasione nuntiantium quod mortem ejus meditetur Herodes : prænuntians se libere, tempore a se determinato moriturum esse in Jerusalem ; simul prophetizat integram Deicidæ Civitatis ruinam. Noluit enim ut Jesus misericors filios ejus congregaret, ut avis sub pennis nidum suum congregat. (31-35.)

C. XIV. Iterum pius et patientissimus Samaritanus apud Pharisæum discumbit die sabbato et hydropicum sanat. O amabilis hostia ! cujus beneficentia ab hypocritis sub specie Religionis observatur ! (1-6.) Convivas ad humilitatem hortatur, invitantem autem ad charitatem erga pauperes. (7-14.)

Subjicit parabolam de homine « qui fecit cœnam magnam : » cum aliquis de convivis dixisset : « Beatus qui manducabit panem in Regno Dei. » (15.) Judæi generatim juxta sensum parabolæ, contemnunt panem manducare in Regno Dei, et vacant negotiis mundanis. « Tunc iratus paterfamilias dixit servo suo : exi cito in plateas et vicos civitatis : et pauperes ac debiles et cæcos, et claudos introduc huc. » (21.)

Ita infimæ plebis Judæorum quidam venient ad cœleste convivium. Ast, declaranti servo, « quia adhuc locus est, » ait Dominus : « Exi in vias, et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. » (15-24.) Juxta Sanctos Patres hæc ultima invitatio spectat gentes, ideo etiam Judæi damnantur quia de loco suo sacrilege deciderunt ; ac cum Esau mensæ cœlesti « coctionem rufam » prætulerunt.

Ne veri discipuli Dominum suum deserant, « cum turbæ multæ irent cum eo, » iterum duobus exemplis commendat perseverantiam in ardua militia Sacerdotis Victimæ. Etenim pro ipso oportet omnia relinquere, bajulare crucem, eumque sequi fideliter.

Quam doctrinam confirmat exemplo volentis turrim ædi-

ficare et etiam regis ituri committere bellum adversus alium regem. (25-33.)

Sublimem præsentant hæc exempla ideam de Regia Via Sanctæ Crucis ; vere hic videtur quia regnum Cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud, præeunte Victima Summi Sacerdotis.

Perseverantia in via crucis bene hic comparatur sali cujus est virtus continua et indeficiens : ideo dicitur : « Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur ? neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat. » (34. 35.)

C. XV. Obmurmurant Pharisæi et Scribæ quia appropinquantes publicanos et peccatores pius Sacerdos suscipit.

Unde arripit Jesus occasionem monstrandi quam pretiosa sit conversio peccatoris ; arduæ pugnæ vitæ christianæ videtur hic oblivisci ut totus liquefiat in mellitam misericordiam : quod illustrat prius exemplo pastoris qui totum linquit gregem ut ovem errantem reducat ; deinde parabola drachmæ perditæ quam diligenter quærit mulier. Gaudebunt Cœli, gaudebunt Angeli Dei ob unius peccatoris conversionem : quasi conversio unius peccatoris pretiosior foret, quam multorum innocentium vera justitia. (1-10.)

Signatur hæc doctrina signaculo immolationis sacerdotalis Victimæ sub figura Vituli saginati quem Pater familias immolat filio prodigo.

Murmurent Pharisæi adversus publicanos et peccatores ; murmuret populus Judæorum adversus gentes impuras ! Deus est Deus peccatorum ! qui propria justitia nituntur ab eo longe abigantur ! « Epulari et gaudere oportet, quia frater (adolescentior) mortuus erat, et revixit ; perierat, et inventus est. » (11-32.) O salutaris hostia, quæ peccatori cœli pandis ostium ! Hic unanimiter Sancti Patres et Doctores Victimam Jesum agnoscunt.

C. XVI. Amorosissime peccatoribus susceptis, discipulos oportet novisse quam prudenter salus sit operanda ; exemplo æconomi infidelis hoc illustratur. (1-9.)

Qui infidelis est in usu temporalium, ad spiritualia non

pertinget : « Nemo enim potest duobus Dominis servire.... » (10-13.)

Quia Pharisæi avari hanc doctrinam irrident, proclamat Sacerdos quanto sit perfectior nova lex, lege Mosaica ; cujus nec apex cadet, sed potius omnia præcepta ad majorem perfectionem redigentur : ideo dicitur : « Lex et prophetæ usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit. » (16.) — Uno exemplo matrimonii ad antiquam unitatem redacti demonstrat quantum nova lex super antiquam emineat : « Omnis qui dimittit uxorem suam et alteram ducit mæchatur : et qui dimissam a viro ducit, mæchatur. » (18.)

Damnatis hucusque spiritu avaritiæ, Pharisæorum hypocrisi, et in matrimonio luxuria ; nunc luxum et commessationes condemnat exemplo Epulonis qui miserum contemnit Lazarum. (19-31.)

C. XVII. Monet discipulos ne aliis scandalo sint, et erga fratres perfectam misericordiam exerceant. Nec de virtute superbiant. (1-10.)

Curantur decem leprosi. (11-19.) Unus ex eis gloriam dat Deo et agnoscit Sacerdotem, qui non solum judicat num morbus curatus sit, sed qui ipse a lepra mundat. Alienigena figura Ecclesiæ gentium, Sacerdotium Christi per fidem glorificat ; dum populus Israel sæpius a lepra mundatus, ingratus remanet et a vero Sacerdote alienus.

Interea Pharisæi ipsum de regno Dei interrogant : « Quando venit regnum Dei ? Respondens eis ait : Non venit regnum Dei cum observatione : neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim Regnum Dei intra vos est. » (20-21.)

Cum Jesus noverit Pharisæos de Regno mundano loqui quo succutiant jugum alienum, præmunit discipulos ut actualem ejus præsentiam inter illos, et pusillum electorum gregem qui fideliter Dominum suum sequitur, tanquam regnum Dei accipiant, ne cum Pharisæis falsum regnum exoptent quod nunquam veniet : ideo « ait ad discipulos suos : venient dies quando desideretis videre unum diem

filii hominis, et non videbitis. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. » (22. 23.)

Quasi diceret : Utimini igitur præsenti misericordia : inter vos hoc regnum nunc existit etiam signis divinis firmatum. Nihil amplius expectetis. Etiam in futuris angustiis de hoc tempore misericordiæ meæ memores estote ad robur atque ad solatium. Revera redibo in gloria et regnabo super vos ; et subito veniam, sed ad perdendos illos qui voluerint animam salvam facere expectatione gloriæ mundanæ, atque deliciarum hujus vitæ.

Postquam multa passus fuero, veniam ulturus scelera populi mei destruens civitatem et populum internecioni devovens.

Hoc visibile regnum justitiæ, figura ultimi judicii, præcedet secundum adventum ad judicium universale. Quando super universum mundum ultio veniet opera mortua corporis peccati destructura. Et « ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. » (24-37.) In utroque adventu Domini.

C. XVIII. Ut tanta mala discipuli præcaveant necesse est orationi attendant : « Dicebat autem parabolam ad illos, quia oportet semper orare et non deficere : » in exemplum sit importuna vidua apud judicem iniquitatis : Quamvis futura sint tempora mala et angustiis plena, Deus electos suos vindicabit. Sed pauci erunt vere electi et vere credentes tum in adventu ad puniendos Judæos, tum in ultimo adventu. Hinc est quod pusillus electorum grex gravissima patietur ante utrumque adventum : « Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra. » (1-8.)

Non solum instanter oportet orare, sed et humiliter : sint in exemplum Pharisæus et Publicanus. (9-14.)

Diligant cum Jesu parvulos, ipsique parvuli fiant. (15-17.)

Oportet omnia relinquere propter Jesum ; multa plura in hoc tempore reddentur propter hoc sacrificium, et in sæculo venturo merces erit vita æterna. (18-30.)

Prædicit Sacerdos Victima passionem : et appropinquans Jericho reddit visum cæco. (31-43.)

C. XIX. Novum exemplum misericordiæ Jesu Sacerdotis miramur in Zachæo et ejus domo. (1-10.)

In parabola decem mnarum iterum e somno excitat discipulos; et præsertim perfidum Israelem minatur. Quia est prope Jerusalem iterum cogitant de actuali Regno mundano a Jesu instaurando.

Discipulos hortatur ut gratia ipsis concessa bene utantur : hæc mna erit ad mercedem vel ad condemnationem. Hoc est vere regnum in cordibus singulorum latens. Regnum manifestum non erit nisi ad vindictam exercendam in cives ingratos qui pium Samaritanum volentem eorum vulnera curare rejecerunt. Ast brevi post resurrectionem redibit gloria circumdatus Rex Justitiæ, et jubebit dicens : « Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me. » (11-27.)

« Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam.... Et cum appropinquaret jam ad descensum montis Oliveti cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus, dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cœlo, et gloria in excelsis. » (28-38.)

En subditos Regalis Sacerdotii Jesu-Christi : « pusillum gregem » cui complacuit Patri dare Regnum !

Pharisæis murmurantibus, et parvulis tacentibus, « Lapides clamabunt » quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. (*Luc.* 3, 8.)

O infinitam Victimæ sacerdotalis misericordiam ! « Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo, etc.... (39-44.)

Victimam Judæi pertinaces in Regem justitiæ immutaverunt.

Vendentes ejicit Jesus de templo ; docentem quotidie in templo principes Judæorum non audent aggredi ad perden-

dum eum : « Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. » (45-48.)

C. XX et XXI. Evangelista communia cum Matthæo et Marco tradit.

C. XXII. Instituens SS^{mum} Eucharistiæ Sacramentum, in solo Luca, exprimit desiderium passionis iterato (15), et dicit Jesus in consecratione panis : « Hoc facite in meam commemorationem. » (19.) Sacerdos sacerdotes consecrat. Conc. Trident.

Beatis in Cœlo de novo fiet Jesus quasi hostia et servus, iis qui Victimam ipsum fideliter secuti fuerint : « Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo : et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. » (29. 30.) — Jam antea in Luca suavis Victima hanc mensam beatis proposuit. (*Luc.* 12, 37.)

Post tentationes in deserto (*Luc.* 4, 13) legimus : « Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. » Cum nunc tempus passionis advenit crudelissime Victimam suam torquet : « Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. »

Hæ circumstantiæ in solo Luca leguntur. (43. 44.)

Signa maximæ bonitatis in passione exhibet pius Sacerdos : Sanat auriculam servi summi sacerdotis quam amputavit Petrus. (51.)

Petrum aspectus optimi Jesu ad pœnitentiam revocat : « Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini.... et egressus foras flevit amare. » (61. 62.)

C. XXIII. Apud solum Lucam legimus Dominum fuisse ad Herodem missum : « Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. » (11. 12.)

Hanc ignominiam Victima sacerdotalis patitur. Vestis alba qua induitur Jesus revocat ad memoriam tunicam sacerdotalem ; et amicitia Herodis et Pilati insinuat murum separationis inter Gentiles et Judæos in passione Christi dirutum.

Luget et miseretur filiarum Jerusalem ; sicuti super ipsam miseram civitatem flevit. (28-31.) (*Vide Lucam* C. XIX, 41.)

Verba Jesu in cruce vere sunt sacerdotalis Victimæ miseris indulgentis peccatoribus et seipsum pro nobis voluntati Patris tradentis :

1° « Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. » (34.)

2° « Amen, dico tibi : hodie mecum eris in Paradiso. » (43.)

3° « Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » (46.)

Victimæ mors dolore pungit Judæorum pectora : « Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. » (48.)

C. XXIV. Post resurrectionem Jesu locuti sunt Angeli ad sepulchrum de morte et resurrectione Victimæ : « Quid quæritis viventem cum mortuis ? non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, dicens : quia oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. » (5-7.)

Ipse discipulos Emmaus de passione et de gloria per eam acquisita allocutus est : « O stulti, et tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ ! nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? » (25. 26.)

Probabiliter tradit ipsis Sanctissimam Eucharistiam mortis suæ memoriale : « Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum et cognoverunt eum : et ipse evanuit ex oculis eorum. » (30. 31.)

Apparens discipulis veritatem carnis quæ passa est demonstrat et coram illis manducat. (39-43.)

Testatur etiam passionem ex sacris litteris : « Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die. » (46.)

Commendat prædicationem passionis; nec obliviscitur prædilectionis suæ erga Deicidam Jerusalem : « Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die : et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. Vos autem testes estis horum. » (46-48.)

Benedictionem Sacerdotalem Apostolis impertitur. (50.)

« Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in Cœlum. » (51.)

Conveniens est ut a S. Luca graphice tradatur Ascensio Sacerdotis in Æternum, postquam illum Viatorem tanquam Vermem contritum contemplati sumus.

O religiosa Apostolorum corda quæ secum in cœlos Rex Salem asportavit ! « Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno : et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen. »

Ita terminat Lucas Evangelium cum templo unde exorsus est.

JOANNES.

Persona Verbi Incarnati.

C. I. (*V.* 1-5.) A vero principio noster Evangelista prædicat Verbum Dei esse Deum verum, creatorem, et lucem omnium hominum.

(*V.* 6-8.) Joannes Baptista venit ut testimonium perhiberet de Verbi Divinitate.

(*V.* 9-13.) Dedit Verbum potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus... qui ex Deo nati sunt.

(*V.* 14.) « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis : » et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, » plenum gratiæ et veritatis. »

In hoc versu Evangelista proponit quasi analysim totius Evangelii.

In C. XX : 30, 31 declarat explicite sui Evangelii scopum fuisse, hanc gloriam de qua (*C. I. v.* 14.) dixit, inter homines manifestare, ut credant in Filium Dei et salvi fiant. « Multa quidem et alia signa fecit Jesus.... quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. »

(*V.* 15.) Refert Evangelista implicitum testimonium Baptistæ de Divinitate Messiæ : « Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me erat. »

Deinde (*V.* 16-18) ipse Evangelista iterum testimonium reddit Divinitati « Unigeniti Filii, qui est in sinu Patris. » (*V.* 19-28.) Testimonium Joannis in Bethania, ubi baptizabat, coram Sacerdotibus et Levitis ad eum missis ab Jerosolymis, vix differt a testimonio plebi dato juxta tres alios Evangelistas.

Non tamen sine mysterio videtur hæc missio Sacerdotum et Levitarum ab Jerosolymis Evangelistæ divinitatis Christi reservata. Præcursor apud Joannem reddit testimonium « de Lumine » quod specialissime sanctam civitatem illuminare

oportet, juxta illud Isaïæ : « Surge, illuminare Jerusalem : quia venit lumen tuum et gloria Domini super te orta est. » (*Isaias LX : 1.*)

(NOTA. Quia Jerusalem est « Civitas Regis magni, » (*Matth. C.* 5, 35.) Jesus Filius Dei ibidem plerumque versatur ut lumen Divinitatis diffundat, et fidem in Filium Dei ad salutem exigat.)

Si tantum obscurè reddit testimonium coram legatis « Civitatis Magni Regis, » hoc videtur factum propter eorum indignitatem, qui non erant dispositi ut apertam confessionem Divinitatis Christi acciperent : hanc publicam professionem Baptista servavit veris discipulis ut patet *ex C. I. v.* 29, 33, 34, 36 *et C. III :* 31-36.

(*V.* 29-36.) Testimonia Baptistæ coram Jesu et discipulis implicite vel explicite divinitatem signant.

(*V.* 37-51.) Aliqui discipuli Jesum sequuntur : Nathanaël, quamvis probabiliter non esset conscius de verâ divinitate Christi, ut opinatur Ill[mus] Beelen, exclamat : « Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israël. » (*v.* 49.)

Jesus ipse promittendo majora prodigia propriam Divinitatem insinuat. « Videbitis Cœlum apertum et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis. » (*v.* 51.)

C. II. (*V.* 1-11.) Miraculo facto in Canâ Galilææ « manifestavit Jesus gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. » (*v.* 11.)

« Manifestavit gloriam suam : » id est divinitatem suam, ait Menochius.

(*V.* 13-25.) Ejiciendo e templo Jerosolymitano vendentes et nummularios sese declarat esse Filium Dei : « Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. » (*v.* 16.)

Ut ostendat divinæ missionis veritatem, prædicit Dominus propriam resurrectionem : « Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. » (*v.* 19.)

Interea « non credebat seipsum multis qui crediderunt in nomine ejus, videntes signa quæ faciebat... ipse enim sciebat quid esset in homine. » (*v.* 23-25.)

« Cum ille, quippe Deus, omnes optime nosset, » ait Menochius.

C. III. (*V.* 1-21.) Jesus docet *Nicodemum* arcana baptismi et propriæ passionis. Aperte divinitatem declarat: « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » (*v.* 16)

(*V.* 22-36.) Occasione zelotypiæ discipulorum Joannis, quia Jesus baptizabat in terrâ Judææ, Baptista magnificè testimonium reddit Messiæ divinitati: « Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus Spiritum. Pater diligit Filium: et omnia dedit in manu ejus. » (*v.* 34, 35.)

Subjungit præcursor necessitatem credendi in Filium Dei: « Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. » (*v.* 36.)

Notandum est quod apud Joannem Evangelistam semper sit quæstio de fide in Filium Dei. Apud Marcum Evangelistam Cœlestis Doctoris agitur potius de Fide in doctrinam Christi, cui etiam salus adscribitur: « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit condemnabitur. » (*Marc. XVI*, 16.)

C. IV. (*V.* 1-42.) *Samaritana.*

Christus Samaritanam mulierem docet quæ sit aqua viva, quæ vera adoratio, eidemque aperit se Messiam esse; multos Samaritanorum convertit:

« Samaritanæ dicit Jesus: Ego sum (Messias) qui loquor tecum. » (*v.* 26.)

Samaritani autem quos mulier ad Jesum adduxerat, postquam ipsum audierant, exclamant et dicunt mulieri: « Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus, quia hic est verè *Salvator Mundi.* » (*v.* 42.)

Nota. Cum salus mundi sit pretium infinitorum meritorum Christi, ideoque Dei hominis: Agnitio Samaritanorum in Joannis Evangelio recte describitur.

(*V.* 43-54.) Jesus curat miraculosè filium aulici, ita ut

« credat pater : » « Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus et ibat. » (*v*. 50).

Revertenti autem et interroganti servi annuntiant : « Quia heri horâ septimâ reliquit eum febris.

Cognovit ergo pater quia illa hora erat, in quà dixit ei Jesus : « Filius tuus vivit : et credidit ipse, et domus ejus tota. » (*v*. 52, 53.)

Prius Jesus patrem juvenis increpaverat, dicens : « Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. »

Quasi dicat Christus, ait Maldonatus : « Cogor propter incredulitatem vestram signa facere, quia si non facerem mihi non crederetis. Opponit Christus Judæos Samaritanis, qui statim illo prædicante, nullis visis signis, aut miraculis crediderunt. »

C. V. Paralyticus ad Bethsaïdæ piscinam curatur. Obmurmurant Judæi, eo quod curatus ille Sabbato auferret grabatum suum. Jesus illius causam agit, pharisæos murmurantes confutat, et divinam virtutem suam multis argumentis confirmat : Deus atque Joannes Baptista Salvatori testimonium perhibent. Judæorum ambitionem atque obdurationem in fine capitis severe increpat.

« Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in Sabbato. » (*v*. 16.) Occasione tantæ malitiæ Jesus de divinitate clarissimum testimonium reddit : « Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere : quia non solùm solvebat Sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. » (*v*. 17, 18.)

Jesus in sequentibus confirmat se esse veraciter Deum et Patri æqualem : cum divina opera unâ cum Patre perficiat. Ita argumentatur a *v*. 19. usque ad *v*. 30. In hoc loco notat Allioli : « Christus non negat se esse Deo æqualem, quod sane facere debuisset, nisi hoc esset verum ; dicit autem opera divina Filii etiam esse opera Patris. Filius non potest facere nisi hoc quod in naturâ divinâ, quam a Patre accepit contemplatur ; et sic omnia quæ facit Pater, Filius

similiter facit, quia Filius per virtutem ejusdem divinæ naturæ operatur, sicut Pater. « Operantur eodem modo, ait S. Cyrillus, quia sunt ejusdem naturæ; solùm ubi non habetur naturæ æqualitas, non potest dari æqualitas operationis. »

Quod in hoc loco non agatur nisi de operationibus divinis omninò patet; nam ea opera divina Filii, quæ sunt simul humana, ut V. G. ejus passio, non sunt opera Patris nisi in quantum sint ejus voluntati consentanea; Pater enim non factus est homo, sed solus Filius. Et quia per Incarnationem Verbi facta est aliqua differentia inter Patrem et Filium simul Deum et hominem, non poterànt amplius opera divina humana esse propria Patris. »

Ex hoc ratiocinio Allioli bene intelligimus quanta argumenta hic Jesus congessit ad probandam propriam divinitatem coram Judæis. Testimonium Joannis Baptistæ etiam invocat: « Vos misistis ad Joannem: et testimonium perhibuit veritati. » (*v.* 33.)

Sed quod præstat ait Dominus: « Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me: et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me. » (*v.* 36, 37.) Scripturæ « testimonium perhibent de me. » (*v.* 39.)

« Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. » (*v.* 43.)

C. VI. Evangelista Joannes narrat multiplicationem quinque panum et duorum piscium cum reliquis Evangelistis: « Sed videtur hoc ideo hic de novo narrare, ait Allioli, ut Jesus inde occasionem arripiat alloquendi Judæos de divinitate et de Sacramento corporis et sanguinis sui. »

Post miraculum multiplicationis quinque panum Judæi inveniunt Jesum trans mare in Capharnaum: Hic Dominus carnalem populum objurgat « quia non operantur cibum qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit ipsis. » (*v.* 27.)

« Dixerunt ergo ad eum: quid faciemus ut operemur opera Dei?

Respondit Jesus et dixit eis : hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. » (*v*. 28, 29.)

Quibus auditis Judæi audacter Moysen Domino Jesu praeferunt. (*v*. 30, 31.)

Tunc incipit Jesus insinuare « se esse panem vitæ » et Filium Dei a Patre missum ut salvet omnes qui credunt in eum : « Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me : ut omnis qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego ressuscitabo eum in novissimo die. » (*v*. 40.)

Propter nova convicia Judæorum dicentium : « Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus novimus patrem et matrem ? quomodo ergo dicit hic : quia de cœlo descendi. » (*v*. 42.)

Jesus iterum confirmat doctrinam suæ divinitatis(*v*.43-51.) et concludit: « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. » (*v*. 51.)

Jam (*v*. 52) proponit novum argumentum de sacratissima Eucharistia : quod ita tractat ut ubique videamus Sacramentum Corporis et Sanguinis Domini suam efficaciam ex divinitate Jesu derivare : sic igitur ratiocinatur : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. »

Ex verbis : « Panis quem ego dabo, » ait Allioli, patet Christum loqui de futuro cibo reali, et non de sola susceptione ejus personæ per fidem ; de quo argumento egerat usque ad *v*. 48 ubi dixerat : « Ego sum panis vitæ. »

Et iterum (*v*. 51.) : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. »

Propter novam litigationem Judæorum (*v*. 53), in sequentibus (*v*. 54 ad 59) agit de necessitate veri usûs Sacramenti Corporis et Sanguinis sui : « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. » (*v*. 54.)

Fructus veræ manducationis corporis et veræ potationis sanguinis, iterum iterumque commendat (*v*. 56-59.)

Scandalizantur multi ex Judæis, sed propterea Jesus sermonem non immutat : etiam cum multi discipulorum ex hoc

abierint retro : « Dixit Jesus ad duodecim : numquid et vos vultis abire ? » (*v.* 68).

Respondit ergo ei Petrus : « Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. » (*v.* 69, 70.)

« Sanctus Petrus hâc confessione, ait Calmet, omnem Jesu Christi doctrinam confirmat. »

C. VII. Festum tabernaculorum.

Scenopegia, seu festum tabernaculorum erat futurorum figura : vera postea erant tabernacula construenda, seu tabernaculum Dei cum hominibus.(*v.* 1-13.)Agitur de figurâ, seu de festo Judæorum. Jesus est in festo latens tanquam in mysterio, ait Augustinus. Ideo dicitur : « Ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto. » (*v.* 10.)

Figuræ succedit veritas : (*v.* 14-36.)

Jesus ipse apparet, « Tabernaculum Dei cum hominibus : Ideo dicitur : « Jam die festo mediante ascendit Jesus in templum et docebat. » (*v.* 14.)

Proclamat Jesus suam divinitatem diversis argumentis, et multi credunt in eum.

Cæteris declarat Dominus se modico tempore cum ipsis esse remansurum ; et postea futurum esse ut non ultra possint eum invenire : « Dixit ergo eis Jesus : adhuc modicum tempus vobiscum sum : et vado ad eum, qui me misit. Quæretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos non potestis venire. » (*v.* 33, 34.)

(*V.* 37-39.) Jesus in *v.* 33 et 34 locutus est de sua glorificatione : hic autem loquitur de regno Spiritus sancti in fidelibus postquam glorificatus fuerit : « Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. » (*v.* 38, 39.)

(*V.* 40-53.) Hic fit scissio in plebe. Illi qui credunt in Jesum habentur a Pharisæis ut maledicti.

Nicodemus tuetur causam Jesu.

C. VIII. (*V.* 1-11.) Historia mulieris adulteræ. Hic apud

Joannem Jesus ministerialiter ut Filius hominis non dimittit peccata, ut apud tres alios Evangelistas fecerat. Paralytico dicens : « Remittuntur tibi peccata. »

Auctoritative loquitur mulieri adulteræ tanquam Judex : « Nec ego te condemnabo : Vade, et jam amplius noli peccare. » (*v.* 11.)

(V. 12-59.) Disputat Christus de suâ Divinitate : sese vocat lucem mundi ; proprium et Patris testimonium invocat : « Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso : et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. » (18.)

Propter obstinationem eorum Judæos condemnat divina auctoritate : « Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris : Si enim non credideritis *quia ego sum*, (Messias, Filius Dei. —Allioli.), moriemini in peccato vestro. »(*v.*24.)

« Dicebant ergo ei : tu quis es? Dixit eis Jesus : Principium qui et loquor vobis. »

« Multa habeo de vobis loqui, et judicare : sed qui me misit verax est : et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. » (25-27.)

In nova altercatione Judæis exprobrat illos ex diabolo esse quamvis ipsi : « Se unum Patrem habere Deum » exclament. « Dixit ergo eis Jesus : si Deus Pater vester esset, diligeretis utique me. Ego enim ex Deo processi, et veni : neque enim a meipso veni, sed ille me misit. » (*v*, 41. 42.)

Postea scandalizantur Judæi quia majorem Abraham se facit, sed impia ora obturat asseverans : « Amen, amen, dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. » (*v.* 58.)

Notat S. Aug. apud Allioli : « Non dicit : priusquam fieret, ego factus sum ; quia factus non est, sed est. Agnosce Creatorem, et distingue creaturam ! qui loquebatur revera factus est semen Abrahæ, sed ut Abraham fieret, fuit ante Abraham. »

« Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. » (*v.* 59.)

« Tulerunt lapides » ut illum occiderent, quasi blasphemum, quod se Deum æternum faceret. Lex autem Levitici

(c. XXIV : 16.) blasphemos jubebat lapidari, sed legitimo judicio, non populari furore damnatos.

Subduxit se Jesus quia nondum venerat hora passionis ejus. Menoch.

C. IX. Cæcum natum Jesus illuminat : « ut manifestentur opera Dei in illo. » (*v*. 3.)

Jesus venit ad illuminandum genus humanum, cujus hic cæcus est typus.

Murmurant Pharisæi et cæcum illum ejiciunt. Hunc Jesus-Christus erudit, qui in ipsum credit et Salvatorem adorat.

« Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei? Respondit ille et dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait : Credo, Domine. Et procidens adoravit eum. » (*v*. 35-38.)

« Et dixit Jesus : In judicium in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. » (*v*. 39.)

In fine obstinatam et voluntariam Pharisæorum cæcitatem Jesus condemnat : « Si cæci essetis, non haberetis peccatum : nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet. » (*v*. 40-41.)

C. X. (*V*. 1-16.) Caput hoc connectitur cum præcedenti. Pharisæi ejecerant cæcum qui credebat in Jesum ; et sic sese malos pastores esse probaverant, qui oves dispergunt et mactant, quin ipsas custodiant et in unum gregem colligant. Inde Jesus occasionem arripit utendi similitudine boni et mali pastoris ; atque gregis ovium.

Jesus Christus unum tantum ovile constituet : « Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor. » (*v*. 16.)

(*V*. 17. 18.) Jesus profitetur se esse Verbum Incarnatum : «.... Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam..... Potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre. »

Mandatum, i. e., ponendi vitam et iterum sumendi eam. Ut

homo accepit mandatum a Patre, et obedivit. Et adimplevit illud per virtutem divinæ naturæ.

(*V.* 22-39.) In festo Encæniorum iterum Jesus disserit de sua divinitate, quare ut blasphemum eum lapidare volunt Judæi : sed quod dixit probat blasphemiam non esse.

« Ego et Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus : multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? » (*v.* 30-32.)

«..... Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis : quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum? si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio : et si mihi non vultis credere, operibus credite ut cognoscatis, et credatis, quia Pater in me est et ego in Patre.» (*v.* 36-38.)

Scilicet, ait Menoch. « Nos unum esse, et individua societate alterum alteri cohærere. »

C. XI. Mors et resurrectio Lazari. (*v.* 1-45.)

Legimus apud Calmet : « Mirum est sane, historiam adeo insignem ab aliis Evangelistis prætermissam. » — Sed pleraque contenta in Evangelio Joannis sunt maximè insignia quamvis ab aliis prætermissa. Videtur igitur hæc narratio magis scopum generalem spectare, divinitatem Christi illustrandi, in Jerusalem et in locis adjacentibus : « Surge illuminare Jerusalem ! » Præclara hic etiam dat Jesus testimonia divinitatis suæ et ideo Evangelium Joannis narratio spectat. Legimus enim : quod Jesus Marthæ declarat : « Ego sum resurrectio et vita ; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. » (*v.* 25, 26.)

Etiam in fine historiæ narrat Evangelista fructum quem Dominus retulit, fidem in suam divinitatem excitans apud multos :

« Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. » (*v.* 45.)

Præterea quædam quæ sequuntur etiam divinitatem Christi illustrant, et connexa sunt cum præcedenti miraculo.

Maxime solemnis est prophetia Caïphæ qui in nomine Dei aperit ora ut Deum suum ad mortem condemnet:

« Unus autem ex ipsis, Caïphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a seipso non dixit; sed cum esset pontifex anni illius prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente. » (*v.* 49-51.)

Et adjungit Evangelista, ut merita Christi extollat: « Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum. » (*v.* 52.)

C. XII. (*V.* 1-11.) Maria unxit pedes Jesu in Bethania ubi Salvator cum Lazaro mensæ discumbebat.

Quia propter Lazarum multi « credebant in Jesum » cogitaverunt principes sacerdotum ut Lazarum interficerent.

(*V.* 12-19.) « In crastinum autem » Jesus triumphaliter ingreditur, in « civitatem Regis Magni » Jerusalem :

« Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit, in nomine Domini, rex Israël...... Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos: videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit. »

Nota. Sic impii homines invidiâ obcæcati, coguntur a Spiritu sancto, qui de Filio Dei accepit, prædicere propriam ruinam et conversionem mundi ad Jesum, nescientes quid dicant.

(*V.* 20-22.) Quasi prophetia Pharisæorum immediate esset adimplenda, « Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderent in festo ut adorarent, qui rogabant Philippum dicentes: Domine, volumus Jesum videre.....»

(*V.* 23.) « Jesus autem respondit eis dicens: Venit hora ut clarificetur Filius hominis. » Quasi dicat, ait Menoch., jam tempus adest quo ego a Pharisæis abjectus et neglectus, a

populis gentilium, qui in me credent, cognoscar et glorificabor, et ut Deus adorabor.

Deinde annuntiat quod morte suâ procurabit salutem gentium : dummodo etiam illi qui volunt discipuli ejus fieri et cum ipso in vitam æternam ingredi etiam peccatis renuntient: (*v.* 25.) « Qui amat animam suam perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. »

« Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, ibi et minister meus erit. » (*v.* 26.)

Hic animadvertit Calmet : « Salvator alibi jam hæc eadem præcepta proposuerat ; (*Matth.* X, 39. XVI, 25. *Marc.* VIII, 35, *Luc.* IX, 24. XVII. 33.) In Evangelio non desunt plures sententiæ, quas variis subinde occasionibus usurpavit. (*Theodor. Theophyl.*)

Nota. Sententias (*v.* 25. 26.) quatuor Evangelistæ rite proponunt, quia oportet amplecti totum Christum.

(*V.* 27-36.) In hoc loco sese Jesus vere Verbum-Incarnatum manifestat. Omnipotentiam, divinitatem et sapientiam simul cum humanitatis debilitate conjungens : Exempli gratiâ : « Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam ? Pater, salvifica me ex hâc horâ. Sed propterea veni in horam hanc. » (*v.* 27.)

« Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. Et ego si exaltatus fuero a terrâ, omnia traham ad meipsum. » (*v.* 31, 32.)

(*V.* 37-43.) « Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum.... Verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagogâ non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. »

Nota. Uti solus Joannes sæpius loquitur de fide explicitâ in Filium Dei : ita ipse solus aliquoties memorat timorem confitendi Filium Dei.

(*V.* 44-50.) Iterum disserit Dominus de divinitate sua ; deinde de salute credentium, et de judicio eorum qui spernunt eum. Omnia refert in Patrem : « Et scio quia manda-

tum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. » (v. 50.)

C. XIII. Jesus abluit pedes discipulorum, exhortans ut idem invicem faciant. Prædicit traditionem Judæ, qui post buccellam abit impulsus a satana. Immediate post egressum Judæ, Jesus prophetizat mortem suam et gloriam suam: « Nunc clarificatus est Filius hominis: et Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso: et continuo clarificabit eum. (v. 31-33.) Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. »

« Quia Deus charitas est » Joanni Evangelistæ Verbi reservabatur doctrina charitatis, seu novi mandati: « Mandatum novum do vobis: ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, et ut vos diligatis invicem. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. » (v. 34, 35.)

Nota. Charitatem etiam specialiter commendat S. Joannes in Epistolis.

(V. 36-38.) Jesus prædicit negationes Petri, et simul futuram mortem Apostoli in cruce, ut Dominum suum postea in cœlum sequatur: « Quo ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. » Ita post conversionem Petrus animam dabit pro Salvatore ac Deo suo: Diliget multum quia prior Jesus dilexit illum.

C. XIV. XV. XVI.

Sermo Domini post cœnam.

C. XIV. Apostolos tristes variis argumentis consolatur: Divinitatem suam, et fructum mortis suæ prolixe exponit: promittit se Spiritum sanctum missurum, et pacem suam omnibus pollicetur.

In fine hujus capitis quà homo auctoritatem Patris agnoscit: « Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite eamus hinc. » (v. 31.)

Sic apud Joannem alternatim audimus Filium Dei, et Fi-

lium hominis. Vel Deum — hominem. « Et Verbum caro factum est. »

C. XV. Vitis et palmitum similitudine ostendit quomodo discipuli fructum ferre possint : perseverantiam in fide et justitia, et dilectionem mutuam commendat, et ad patientiam exemplo suo hortatur.

De *charitate* suavissime loquitur :

« Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præcepta servavi, et maneo in ejus dilectione. » (*v.* 9, 10.)

« Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos...... Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumquæ audivi a Patre meo, nota feci vobis. » (*v.* 12-15.)

(*V.* 18-27.) Adversus inimicos et persecutores Jesu et discipulorum « cum venerit Spiritus sanctus..... ille testimonium perhibebit » de Filio Dei et ipsi Apostoli per virtutem ejusdem Spiritus testimonium perhibebunt.

C. XVI. Pergit animos addere discipulis et eos consolari : promittit Spiritum sanctum et resurrectionem suam quâ recreentur.

Divinitatem suam docet Apostolos, monstrando Spiritum sanctum a se procedere et se esse æqualem Patri.

« Ille me clarificabit : quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : Quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. » (*v.* 14.15.)

(*V.* 23-28.) Loquendo de oratione ad Patrem in nomine Jesu-Christi et de fiducia in hoc nomine, addit : « Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis quia a Deo exivi. Exivi a Patre et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. » (27, 28.)

C. XVII.

Oratio Christi ad Patrem, post cœnam, in fine sermonis.

1° (*V.* 1-5.) Pro utriusque glorificatione.
2° (*V.* 6-19.) Pro actualibus discipulis.
3° (*V.* 20-26.) Pro Ecclesia.

(*V.* 4, 5.) Singulare dat Jesus testimonium Verbo Incarnato :

« Ego te clarificavi super terram ; opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud teipsum, claritate, quam habui, prius quam mundus esset, apud te. »

Sic etiam (*v.* 11.), ubi simul divinam charitatem in Apostolos patefacit : « Ego jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi : ut sint unum sicut et nos. »

« Ut sint unum sicut et nos, » scilicet voluntate et amore sint unum, simili modo, ac nos unum sumus divinâ naturâ. » Allioli.

(*V.* 21.) Jungit charitatem Dei et proximi eidem testimonio incarnationis Verbi Dei pro salute mundi : « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu misisti me. »

Vult etiam ut electi gloriam Verbi Dei incarnati in cœlis agnoscant : (*v.* 24.) « Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia dilexisti me ante constitutionem mundi. »

C. XVIII, XIX.

Passio Jesu-Christi. Sepultura.

C. XVIII. (*V.* 1-12.) Tacet Joannes ea quæ fiunt in horto ante traditionem Judæ : hæc magis sacram humanitatem spectant et ideo narrantur a Matth. Marco et Lucâ. Priusquam Dominus sese credat hominibus qui missi sunt ut apprehen-

dant illum, manifestat suam divinitatem : Quærentibus Jesum Nazarenum dixit : « Ego sum : abierunt retrorsum et ceciderunt in terram. » (*v.* 6.)

Deinde discipulos divinitus liberat e manibus satellitum : Postquam dixerant secundò : Jesum Nazarenum quærimus : (*v.* 8, 9.) « Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. »

(*V.* 13-28.) Jesus ad Annam et Caipham ducitur : respondens interroganti Pontifici, alapa cæditur : ter a Petro negatur : ducitur in prætorium.

(*V.* 36, 37.) Jesus coram Pilato fatetur se regem esse, sed regnum ejus esse divinum :

« Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate audit vocem meam. »

De regno Christi ait Menochius : Non est tale qualia sunt regna mundi, sed regnum cœleste et æternum, quod spirituali modo incipit in hâc vitâ et perficitur in æternâ.

Deinde : « ... Ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » Id est, ut palam et libere veritatem prædicem, et imprimis hanc, me Christum regem esse et me regnum non hujus mundi habere. »

« Omnis qui est ex veritate » i. e., omnis qui ex Deo est, quem elegit Deus, qui est prima veritas ; « audit vocem meam, » i. e., dictis meis fidem accommodat.

C. XIX. (*V.* 4, 5.) Pilatus adducit Jesum foras ad multitudinem :

« (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum). Et dixit eis : Ecce homo. »

Hic et in sequentibus (*v.* 6-30.) miramur Verbum Dei post tot divina opera, non solum ut « caro factum est : » sed

ut opprobrium hominum et abjectionem plebis ; juxta illud : « Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo : sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. » (*Philip.* II ; 6-8.)

(*V.* 25-27.) Joannes non omisit eximia exempla charitatis Mariæ matris Jesu erga Filium ; nec officia charitatis Filii erga matrem et dilectum discipulum : « Stabat autem juxta crucem Jesu mater ejus..... Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. »

(*V.* 28.) « Sitio. » Joanni erat proprium hoc Jesu verbum notare in testimonium sacræ humanitatis : « Et Verbum caro factum est. »

(*V.* 30.) Apud Joannem Augustinus et S. Joann. Chrys. mortem Filii Dei mirantur : Perficit opus divinum-humanum salutis mundi ; et mortuus est libere quomodo voluit :

« Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. »

(*V.* 38-42.) Sepulchrum ejus erit gloriosum.

(*V.* 38. 39.) Jam expulit timorem confitendi Jesum publice, e cordibus Josephi et Nicodemi, gratia et robur Verbi Dei.

C. XX, XXI.

Resurrectio Jesu-Christi.

C. XX. (19-23.) Manifestat Jesus divinitatem Apostolis : « .... Dixit eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. »

(*V.* 28.) S. Thomas agnoscit Jesu divinitatem : « Dominus meus et Deus meus. »

Hominem tetigit : Deum confessus est.

(*V*. 31.) Ipse Joannes scripsit ut credant homines quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes vitam æternam mereantur : « Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus. »

C. XXI. Missio Petri est missio charitatis Filii Dei. Ut Jesus a Patre omnem potestatem accepit, et ex charitate animam posuit pro salute mundi : ita Petrus gubernabit Ecclesiam et animam pro grege ponet clarificaturus Deum ad instar Domini et Magistri Jesu-Christi. (15-18.)

« Cum ergo prandissent, dicit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his ? Dicit ei : etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio : Amas me ? et dixit ei : Domine tu omnia nosti : Tu scis quia amo te.

Est nova confessio divinitatis Christi : « Omnia nosti. » « Dixit ei : Pasce oves meas. »

« Amen, amen, dico tibi ; cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. »

(*V*. 25.) Claudit Evangelista multitudinem operum Christi extollens.

ANALYSIS MYSTICA

EVANGELII REGII

SECUNDUM MATTHÆUM.

C. I : (*V.* 1-17.) *Genealogia.*

Historiæ Evangelicæ Sti Matthæi, ait Illmus Beelen, inest intentio dogmatica : intendit Evangelista probare Jesum Nazarenum esse verum Messiam promissum et diu expectatum. Hic, ait, est scopus Matthæi præcipuus, et verum est hunc Evangelistam ab aliis tribus hâc intentione clarissimè distingui. (*Præf. in Matth. p.* 15, 16.)

Aliqui sanctorum Patrum opinantur quod Matthæus regiam Christi dignitatem præ cæteris explicet.

Ita S. Augustinus, Ven. Beda, Petrus Damianus, Rupertus èt alii. Juxta hanc sententiam necessarium erat Evangelistam convincere Judæos demonstratione concordiæ prophetarum cum vita et actionibus expectati Messiæ, Jesum esse Regem populo Israëlitico a Deo promissum. Cum autem errarent in eo quod expectarent dominatorem potentem qui liberaret eos ab inimicis, oculos miserrimi populi conatus est aperire, monstrando Filium hunc Davidis et Abrahami, « Ducem esse a propheta promissum, qui regeret populum Dei Israël. (*Matth. II.*)

Non autem Messias regnum terrenum conditurus erat, sed regnum spirituale : sicuti Angelus Josepho declaravit :

« Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. » (*Matth. I.* 21.)

Ut omnem dubitationem e mentibus Judæorum auferret, incipit Matthæus genealogiâ Jesu-Christi, « Filii David, filii Abraham. » Quia ad ambos, ait Chrysostomus, de Christo nascituro ex eis promissio fuerat facta : ad Abraham quidem sic : (*Gen. XXII.*) « Et in semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. » Ad David autem sic : (*Psalm. CXXXI.*) « De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. »

Omnis populus ex prophetiâ Geneseos noverat tempus adventûs Messiæ, regnante Herode alienigenâ supra Judæam, jam adimpletum esse. Nam ibi scriptum erat : (*Gen. XLIX :* 10.) « Non auferetur sceptrum de Judâ, nec dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est. » (*Heb. Shilo, pacificator.*) (Vide *Christol. p.* 100-102.)

Sperabant fore ut Christus sceptrum inique per Herodem ablatum Judæ restitueret. Et ita videbantur oblivisci promissionis Abrahæ factæ : (*Genes. XXII :* 17, 18.) « Benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, et velut arenam quæ est in littore maris : possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum, et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. »

Hoc erat regnum in terris promissum filio David : scilicet Regnum spirituale super orbem universum. Regnum in longè sublimiorem statum elevatum : ut ex corporali faceret spirituale, ex terrestri cœleste, ex temporali æternum. Ut Fr. Lucas et alii apud A Lapide interpretantur.

Hanc Regni transmutationem videtur Evangelista insinuasse in primo versiculo genealogiæ Jesu-Christi, dicens : « Filii David, filii Abraham. » Incipiens enim genealogiam ab Abraham, intimat hunc Patriarcham spiritualis Regni Messiæ esse caput. Ipse David in genealogiâ Abrahæ, enumeratur tanquam omnes cœteri ut filius benedictionis et pater Messiæ.

Hoc modo evidenter ante oculos Judæorum posuit Matthæus qualis erat Messias ipsis a Deo promissus : Filius scilicet Davidis « cui dedit Dominus sedem David Patris

ejus; » ut dicitur Lucæ I. et filius Abrahæ, « semen » scilicet in quo omnes gentes terræ erant benedicendæ. (*Genes. XXII.*)

Ne filium Davidis Regni Judaïci hæredem rejicere possint, Matthæus tradit genealogiam Josephi, qui juri paterno succedebat. Et sicut Joseph habebat in Christum jus paternum, puta omnia jura quæ habent patres in filios; sic vicissim Christus habebat erga Josephum jus filiale, scilicet omnia jura quæ habent filii respectu parentum, ac consequenter jus quoque Regni Judaïci post mortem Josephi. Unde *C. II, Matthæi, v.* 2, aiunt cum veritate Magi : « Ubi est qui natus est Rex Judæorum ? »

Quod cum demonstrare vellet S. Matthæus, qui, ut ait S. Augustinus, præ cæteris Evangelistis Regiam Christi dignitatem persequitur, idcirco illi fuit genealogia Josephi texenda, non B. Virginis, utpotè quæ viris superstitibus (qualis erat Joseph) ex Davide et regibus prognatis, regni hæres esse non poterat. » Ita Fr. Lucas apud A Lapide.

Hùc enim ordinavit aptèque disposuit Deus omnes hasce generationes, uti et cætera omnia, ad majorem scilicet Christi gloriam ac regni jus regiamque ejus dignitatem. Ut idem auctor loquitur.

Nec videtur prætereunda methodus quà Matthæus genealogiam disposuit ut veritatem personæ Messiæ in Christo-Jesu luculenter demonstraret. In hunc finem tres enumeravit tesseradecades generationum. Quarum triplicem scopum apud A Lapide legimus : (Partim ex Chrys. concinnata sunt.)

1° Per has voluit triplicem populi Judaïci statum recensere : primum quasi democraticum sub singulis patriarchis et judicibus, quales fuere Othoniel, Gedeon, Samson, Heli, Samuel, etc., qui præfuerunt Israeli ab Abraham usque David : secundum quasi monarchicum sub regibus, qualis fuit sub David ejusque posteris usque ad captivitatem Babylonicam ; tertium quasi aristocraticum sub ducibus et pontificibus, ut fuere Judas, Jonathas, Simon cæterique Machabæi, qualis fuit a captivitate Babylonica usque ad Christum.

Significat ergo Matthæus triplicem hunc populi statum et regnum tertio immutatum, quartum debuisse per Christum mutari ; et in Christo, qui regnum attulit æternum, terminari. Ita passim Patres et interpretes.

2° Matthæus enumerat 42 generationes per tres tesseradecades, ut probabilem lectori conjecturam faciat debuisse Christum, post exactum hunc numerum generationum venire. Sicut enim fuerunt generationes quatuordecim ante Regnum Judæorum stabilitum, quatuordecim in Regno, post quas per quatuordecim generationes sensim planè defecit, ita verisimili conjectura potuit colligi, post quatuordecim hasce generationes Regnum hoc deficiens et labascens a Messiâ in melius fore restituendum. Sicut enim fuerunt quatuordecim generationes ante Regnum, et totidem in Regno, ita totidem fuerunt post Regnum Israelis usque ad Christum. Rursùm ante Regnum facta est Christi promissio Abrahæ, Isaac et Jacob : in Regno David et Salomoni ; post Regnum eadem repetita est per Aggæum, Zachariam, Malachiam, etc., ut sensus sit, q. d. : omnes prophetiæ factæ de Christo tam ante Regnum quam in Regno, et post Regnum terminatæ et adimpletæ sunt in Christo.... qui est finis legis, totiusque populi et mundi captivi liberator. Ita Fr. Lucas.

Judæi enim ex defectu et lapsu suæ Reipublicæ ac præsertim ex eo quod ablatum esset sceptrum a Juda per Herodem, ex prophetia Jacob (*Genes. XLIX : 10*), sciebant certòque expectabant adventum Messiæ. Unde Messiam jam venisse, nec alium esse quam Jesum-Christum docet hìc S. Matthæus, ut Judæis fidem in Christum persuadeat.

NOTA. Quamvis regnum Judæorum temporale Christus non restituturus esset, Matthæus sane præ oculis habuit modum loquendi prophetarum, qui regem sæpius, imo Messiam ut alterum Davidem promiserunt. (*Ezech.* 34, 23. *Osee.* 3, 5.) Veritatem docens, simul infirmitati gentis suæ consulit.

Ideo a Spiritu sancto edoctus est genealogiam Messiæ, per seriem regum qui ex Davide orti sunt, texere, diverse a S. Luca.

3° Symbolicè Origenes, Hom. 27 in Num. : et S. Hieronymus, Epist. ad Fabiolam, de 42 mansionibus ; notant has 42 generationes respondere 42 mansionibus Hebræorum in deserto, quibus ipsi ad terram Chanaan Abrahæ a Deo promissam pervenerunt. Simili enim modo per hasce 42 generationes ad Messiam, sive Christum, eidem promissum pervenitur, et per eum ad terram viventium, sanctis in cœlo promissam.

C. I : 18-25. C. II.

Annuntiatio, Nativitas et Sacra Infantia.

Videtur Matthæus eam partem annuntiationis, nativitatis, et infantiæ Jesu descripsisse quæ magis convenit ei « qui natus est Rex Judæorum. » (*Matth. II.* 2.)

S. Augustinus docet, (*Lib. I. C. VI.* 9.) de consensu Evangelistarum, non solùm de principiis Evangeliorum quamdam conjecturam esse capiendam, sed de totâ intentione Evangelistarum esse accuratè perscrutandum. Spiritus sanctus in Matthæo Regem præcipuè indigitat, ast simul Regem Emmanuelem (q. e. Deum nobiscum,) Jesum proclamat. Ideo, juxta Aug. in Serm. de Nativitate, « nascitur etiam ab intactâ feminâ Christus, quia fas non erat ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, incorruptio per corruptionem, nasceretur ; nec poterat nisi novo ordine adventare de cœlo, qui vetustum mortis destruere veniebat imperium. » Angelus de cœlo mittitur qui hoc mysterium Josepho aperiret, dicens : « Joseph fili David noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in eâ natum est, de Spiritu sancto est. Pariet autem filium : et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. » (*Matth. I* : 20-23.)

« Post miraculum Virginei partûs...., ait Aug. in Serm.

de Epiph., inter obscuras cubiculi latebras et præsepis angustias, in quibus infinita Majestas membris contractioribus stabulabat, dum pendet ad ubera, et vilium patitur Deus involumenta pannorum, repente novum de cœlo sidus terris affulsit, et totius mundi dissipatâ caligine, noctem convertit in diem, ne dies celaretur in nocte. Unde Evangelista dicit : « Cum ergo natus esset Jesus in Bethlehem Juda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum ? Vidimus enim stellam ejus in Oriente, et venimus adorare eum. » (*Matth. II : 1, 2.*)

« Isti autem Magi quid fuerunt, rogat Aug. in Serm. de Epiph. Serm. 4., nisi primitiæ gentium ? Israelitæ, pastores, Magi gentiles ; illi prope, isti longe ; utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt. »

Magi primitiæ gentilium quærunt regem juxta illud Ps. XXI : 29, 30. « Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. Manducaverunt et adoraverunt *omnes pingues terræ :* in conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in terram. »

(In Lucâ autem pastores adorant Victimam Israël, ut electi Judæorum pauperes et infimi : Victima pertinet ad Israel primùm et præcipuè.)

Hoc universale Regnum post resurrectionem, Ipse Victor, Leo de Tribu Juda, in monte Galilææ coram Apostolis solemniter proclamabit, dicens : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. Euntes ergo docete omnes gentes.... » (*Matth. XXVIII:* 18, 19.)

Nec ulla astutia, vel crudelitas humana novum Regem vincere poterit : « Magi narrantur venisse ab Oriente, ait S. Aug. (*Lib. I. C. VI.* 9 *de consensu Evang.*), ad Regem quærendum et adorandum, qui eis per stellam natus apparuit : et ipse Rex Herodes Regem formidat infantem, atque ut eum possit occidere, tot parvulos necat. » Sed divina prophetia adimplebitur : « Sic enim scriptum est.... Ex te, Bethlehem, terra Juda, exiet Dux, qui regat populum meum Israel. »

(*Matth. II* : 5, 6.) Aufugiet Regis Herodis iram infirmus et pauper, « qui natus est Rex Judæorum. »

Et postquam Pater cœlestis vocaverit Filium suum ex Ægypto, (*Matth. II* : 15, *Osee XI* : 1.) ut olim populum Israel, postquam « defuncti sunt, qui quærebant animam pueri, » (*Matth. II* : 20.) secedet Joseph « in partes Galilææ propter timorem Archilaï regnantis in Judæâ pro Herode patre suo, et habitabit Nazareth, ut illud adimpleatur quod dictum est per prophetas : quoniam Nazaræus vocabitur. (*Matth. II* : 22, 23.)

Quæ annotat Ill^mus Beelen in verba : « quoniam Nazaræus vocabitur, » iterum ostendunt falsam esse expectationem Judæorum, cupientium Regem in hoc mundo præpotentem : « considerandum est, ait, Nazareth a reliquo populo despici : (*Joan. I* : 46.) prophetæ autem (*Ps. XXI* : 7 *et Isaïas LIII.*) prædixerant fore ut Messias contemneretur a suis : quæ prophetia eo ipso adimplebatur quod Jesus incola factus sit civitatis Nazareth. »

Convenienter Matthæus agit de fuga in Ægyptum et de reditu ex hac regione. Nam ut exponit Allioli in Osee XI. 1. prænuntiabatur hic in figura victoria Regis : « Ut vocatio Israel ex Ægypto erat imperfecta figura liberationis mundi a servitute satanæ, et simul figura vocationis Jesu ex Ægypto : ita vocatio Jesu ex Ægypto est perfecta figura liberationis generis humani a servitute diaboli. »

Si Spiritus sanctus nexum mere historicum apud Matthæum intendisset, fuga in Ægyptum a S. Luca fuisset narranda : nam post purificationem B. Virginis in Jerusalem locum habuit. Post narrationem autem purificationis, sequitur reditus in Nazareth, *C. II.* 30, apud Lucam.

Despectum a Judæis, Magi « invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus. Et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera : aurum, thus et myrrham. » (*Matth. II* : 11.)

« Si regem terrenum quærentes venissent, ait Chrys. super Matth. in opere imperfecto, magis fuissent confusi quam gavisi ; quia tanti itineris laborem sine causâ susce-

pissent. Nunc autem quia cœlestem Regem quærebant, etsi nihil regale videbant in eo, tamen solius stellæ testimonio contenti, gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum aspicere ; quia Spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat : unde « procidentes adoraverunt eum : » vident enim hominem, et agnoscunt Deum. »

Ipsa stella fuit manifestatio præsertim Regis Messiæ, ex Num. *C. XXIV. v.* 17 et futuri ejus triumphi : « Videbo eum, sed non modo : intuebor illum, sed non prope. Orietur stella ex Jacob, et consurget virga de Israel : et percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth... »(Vide *Christol. p.* 110-113) Jesus stella vocatur : (Apoc. *C. II* :28; *XXII:* 16.)

« Obtulerunt ei munera. » « Aurum igitur solvitur quasi Regi magno ; thus immolatur ut Deo ; myrrha præbetur, quasi pro salute omnium morituro : » ait Aug. in Serm. de Epiph. Ita Magi testimonium reddiderunt tribus Domini nostri characteribus præcipuis : scilicet, Regio, Sacerdotali et Divino. Aurum forsitan tamquam munus Regi congruens, primum ponitur ab Evangelista qui Regiam Domini personam principaliter repræsentat.

C. III ; IV : 1-11.

Prædicatio Joannis Baptistæ. — Jesu Baptisma. — Jejunium et tentationes in deserto.

Chrys. super Matth. in opere imperfecto. « Sol appropians, antequam appareat, mittit radios suos, et facit albescere orientem, ut præcedens aurora adventum diei demonstret : sic Dominus natus in mundo, antequam appareat per doctrinam, Spiritûs sui fulgore transmisso illuminavit Joannem, ut præcedens ille adventum annuntiet Salvatoris. »

Novimus autem Salvatoris esse quadruplicem characterem : est enim Filius Dei, Verbum incarnatum ; est Rex, Sacerdos et Propheta. Quadruplex igitur ex hoc sole, in Aurorâ (Joanne) præcedere radius supponitur in quatuor Evangelistis.

Apud Matthæum, ubi Joannes Baptista tanquam Regis præcursor magis apparet, directè et severissimè invehit in Pharisæos et Sadducæos qui corde perverso ad baptisma accedunt. Dicit enim : « Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a venturâ irâ ? » (*C. III :* 7.) Illorum malitiam Lucas testatur : « Pharisæi autem et legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati a Joanne. » (*C. VII :* 30.) Perversis istis hominibus Baptista minatur futurum judicium Regis qui « statuet oves suas a dextris suis, et hædos a sinistris. » (*Matth. XXV :* 33.)

Attamen, « In ipso principio Joannes Baptista manifestat, ait Chrys. super Matth., quia benigni Regis est nuntius : non enim peccatoribus (verè pœnitentibus, ut ex Lucâ *C. III :* 10-14, apparet :) minas intendebat : sed indulgentiam peccatorum promittebat. Solent Reges nato sibi filio indulgentiam in Regno suo donare, sed ante transmittunt acerbissimos exactores. Deus autem nato sibi Filio volens donare indulgentiam peccatorum, præmisit quasi exactorem exigentem et dicentem : « pœnitentiam agite. » O exactio quæ non facit pauperes, sed divites reddit ! nam cum quis debitum suæ justitiæ reddiderit, Deo nihil præstat, sed sibi lucrum suæ salutis acquirit. Pœnitentia enim cor emundat, sensus illuminat et ad susceptionem Christi, præparat humana præcordia : unde subjungit, « Appropinquavit enim regnum cœlorum. » (*Matth. III :* 2.)

Glos. « Postquam prædicatione sui præcursoris Christus mundo prænuntiatus est, tandem qui diu latuerat, hominibus se manifestare voluit, unde dicitur : « Tunc venit Jesus a Galilæâ in Jordanem ad Joannem ut baptizaretur ab eo. » (*Matth. III :* 13.)

« Ad hoc autem baptismum venit, ait Chrysost., ut qui humanam suscepit naturam, totum humanæ naturæ inveniatur implevisse mysterium : nam quamvis ipse non erat peccator, tamen naturam suscepit peccatricem, propterea etsi pro se baptismate non egebat, tamen in aliis carnalis natura opus habebat. »

Notandum est Christi Baptismum narrari a tribus Evan-

gelistis qui, ut ait Aug. (*Lib. I. C. VI.* 9.), « in his maximè occupati sunt quæ Christus in carne operatus est, et quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. » Qui Evangelistæ sunt Matthæus qui personam Regiam, Marcus qui personam Prophetæ Doctoris, Lucas qui personam sacerdotalis Victimæ maximè commendat. Ut igitur Christus « totum humanæ naturæ inveniatur implevisse mysterium, » ut supra Chrys. dixit: Baptismum accepit ut Rex, ut Propheta, ut Sacerdos. « Quæ tria officia Christi (ait Mœhler, Symbolica, p. 230 ed. Germ. Cincinnati), similiter in christiano, ut in ipso Salvatore necessaria sunt: si unum tollitur reliqua remanent cum inintelligibilia, tum incohærentia. » Christianus enim alter Christus est: Christi Baptisma est forma baptismatis omnium christianorum.

In hoc exemplo quasi typum habemus quo cætera loca interpretemur Evangelistarum, quando eamdem materiam plures eorum, vel omnes concorditer narrant: Signum est Christum in his locis plerumque diversos characteres induere; quamquam tamen aliquando fit ut ipsa actio vel oratio sit unicuique characteri communis.

Sic in systemate Evangelico Sancti Augustini sæpius invenitur ratio quare tale factum ab uno, vel pluribus omittitur, dum ab alio Evangelista narratur. In præsenti exemplo Joannes Evangelista omittit baptisma Christi quod ad sacram humanitatem pertinet: « Porro autem Joannes, ait Aug. de Cons. Evang. (*L. I. C. IV.*), ipsam maxime divinitatem Domini, quâ Patri est æqualis, intendit; eamque præcipuè suo Evangelio, quantùm inter homines sufficere credidit, commendare curavit. » Ex hoc intelligimus illum potuisse baptisma Christi omittere.

Quando « venit Jesus a Galilæâ in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo, » Matthæus solus narrat quod « Joannes prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? » et quod « respondens Jesus, dixit ei sine modò: sic enim decet nos implere omnem justitiam. » Nonne hic habemus exemplum ipsius Regis et legislatoris qui cœpit

facere et docere? Apud eumdem Evangelistam Matthæum Rex proclamat legis perfectionem, dicens: « Nolite putare quoniam veni solvere legem aut Prophetas : non veni solvere, sed adimplere. » (*Matth. V*: 17.) Æquum igitur erat ut Jesus Rex et legifer noster simul cum Joanne voluntati æterni Patris sese conformaret. « Erat enim Dei voluntas, ait Ill^mus Beelen in hoc loco, ut Jesus baptizaretur, et ut Joannes hoc baptisma conferret. »

« Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aquâ. Et ecce aperti sunt ei cœli, et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se. » (*Matth. III*: 16.) Sicut Christus secundum dispensationem humanam baptizatus est, quamvis ipse propter se baptismo non indigeret; sic etiam secundum humanam dispensationem « aperti sunt ei cœli: » secundum autem naturam divinam semper erat in cœlis.

« Oportuit etiam, ait August., Serm. de Epiphaniâ, Christi baptismo ea designari, quæ per baptismum consequuntur fideles. »

Jungentes hic quæ tres Evangelistæ diversimodè tradiderunt de cœlis apertis, pulcherrimè fructus baptismatis a fidelibus consequendos addiscimus. Matthæus ait: « Aperti sunt ei cœli, » tanquam Regi triumphaturo per crucem. Post ejus victoriam portæ cœli non amplius claudentur; ut legimus: (*Apoc. C. XXI*: 25.) « Baptizatis etiam aperiuntur cœli, ait Chrys. super Matth. in opere imp., et vident ea quæ sunt in cœlo, non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo.... Omnibus propter eum cœli aperti sunt, sicut si Imperator alicui pro alio petenti dicat: « hoc beneficium non illi do, sed tibi, id est, pro te illi. » — Juxta illud quod scriptum est in Isaiâ XXVI, 2: « Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. »

Marcus ait: « Vidit cœlos apertos. » (*I*: 10.)

Tanquam exemplar nostrum cœlestis Fidei Doctor cœlestia inspicit.—S. Thomas sum. Theol. de Incarn. Quæst. XXXIX, art. V. ait: « Baptismus dicitur fidei sacramentum. Per

fidem autem inspicimus cœlestia, quæ sensum et rationem humanam excedunt. »

Lucas ait : « Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum. » (*III* : 21.) Ait S. Thomas eodem loco quo supra : « Ut vel detur intelligi quod hoc ipsum quod per baptismum aperitur cœlum credentibus, est ex virtute orationis Christi. » Pontifex noster in cœlis etiam perpetuò intercedit pro nobis. (*Hebr.*)

Pergit Matthæus scribendo : « Et ecce vox de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. » (*III* : 17.) Marcus et Lucas dicunt : « Tu es Filius meus dilectus. » Ait S. Hil. : « Ut ex his quæ consummabantur in Christo cognosceremus post aquæ lavacrum et de cœlestibus portis sanctum in nos Spiritum involare, et cœlestis nos gloriæ unctione perfundi, et Paternæ vocis adoptione filios Dei fieri. » Hier. Mysterium autem Trinitatis in baptismate demonstratur : Dominus baptizatur, Spiritus descendit in habitu columbæ, Patris vox Filio testimonium perhibentis auditur. » Aug. in Serm. de Epiph. « Nec mirum si in Dominico lavacro mysterium non defuit Trinitatis, cum nostrum lavacrum Trinitatis compleat Sacramentum : voluit enim Dominus primò circa se exhibere, quod erat postea humano generi præcepturus. »

Postquam baptizatus est Dominus a Joanne in aquâ, ducitur a Spiritu in desertum, ut baptizetur igne tentationis. « Joannes, ait Origenes, quia a Deo exordium fecerat, dicens: « In principio erat Verbum : » tentationem Domini non descripsit, quia Deus tentari non potest, de quo ei erat sermo. Quia vero in Matthæi Evangelio, et in Lucâ generatio hominis scribitur, et in Marco : homo autem est qui tentatur : ideo Matthæus, Lucas et Marcus tentationem Domini descripserunt. »

S. Aug. de Consensu Evang. L. II. C. XVI dicit: « Totum hoc similiter Matthæus narrat et Lucas, sed non eodem ordine : inde incertum est quod prius factum sit, utrum regna terræ prius demonstrata sunt ei, et postea in pin-

nam templi levatus sit, an hoc prius et illud postea : nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum est. »

Ad scopum nostrum pertinet animadvertere quod Spiritus sanctus in Matthæo Regis victoriam de insidiis satanæ retulit, juxta verba Apocalypsis : « Vicit leo de tribu Juda. » Post ultimam enim tentationem Jesus « dicit ei : VADE SATANA ; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Tunc reliquit eum diabolus*, et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. » (*Matth. IV:* 10, 11.)

Videbimus postea quomodo victimam sacerdotalem in Luca solùm « *usque ad tempus* » tentator deserat. (*Luc. IV:* 13.)

C. IV : 12-17.

Jesus transfert habitationem in Capharnaüm et incipit prædicare.

Rab. « Postquam Matthæus de quadraginta dierum jejunio, et de tentatione Christi et de Angelorum ministerio narravit, continuo subjecit, dicens : « Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam. » (*v.* 12.) « Recedit de Judæâ, ait Chrys., Judaicam invidiam mitigans, simul quidem prophetiam complens, et magistros orbis terrarum piscari studens, qui in Galilæâ morabantur. Attende etiam qualiter ad Gentes abiturus a Judæis accepit causam : etenim cum præcursorem in vincula misissent compellunt Jesum transire ad Galilæam gentium. »

« Galilæa gentium, est Galilæa superior, ait Ill^mus Beelen, quæ gentium nominatur quia multi gentiles eam immixti Judæis incolebant. »

« Addit Evangelista, ait Glossa, in finibus Zabulon et Nephtalim, » (*v.* 13.) ubi prima captivitas Hebræorum fuit ab Assyriis. Ubi ergo prima legis oblivio est, ibi est prima Evangelii prædicatio : ut et de loco quasi medio difflueret ad Gentes et Judæos. » « Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » (*v.* 16.)

« In regione umbræ mortis, ait Chrys., sedebant gentiles, qui colebant idola et dæmones. Judæi autem qui legis opera faciebant, in tenebris erant : quia Dei justitia nondum erat eis manifesta. »

Juxta Rabanum, Matthæus in hoc loco insinuat intentionem Novi Regis, uniendi utrumque populum in unum, sub Regno Veritatis. « Secessit in Galilæam » ubi Ecclesiam erexit. « In finibus Zabulon et Nephtalim » sita est, id est Judæis communis et Gentibus : Zabulon enim habitaculum fortitudinis dicitur, quia Apostoli qui de Judæâ electi sunt, fortes fuerunt ; Nephtalim dilatatio, quia gentium Ecclesia per orbem dilatata est. « Maritima » est regio, quia juxta fluctus sæculi posita, quotidie tunditur Ecclesia procellis persecutionum.

Hieron. « Misticè autem Joanne tradito Christus incipit prædicare : quia desinente lege, consequenter oritur Evangelium. » — Sic tempus et locus eliguntur apta ad jacienda fundamenta Ecclesiæ, Regni Spiritualis Christi !

« Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. » (*v.* 17.) In hæc verba notat Ill^mus Beelen : « Non statim prædicavit Jesus quod ipse esset promissus Messias. In principio erat ejus prædicatio ut illa Joannis Baptistæ, admonitio ad conversionem, et annuntiatio, quod Regnum Messiæ in eo erat ut erigeretur. »

Notandum est hæc verba doctissimi auctoris esse potissimum applicanda Evangeliis Matthæi et Marci, in quibus præcipuè agitur de Regno stabiliendo et de doctrinâ Regni spargendâ. Nam primo anno prædicationis Jesus apud Joannem, qui ejus divinitatem præsertim demonstrat, in Jerusalem (*Joan. C. II* : 13-25 et *C. III* : 1-21) in templo, et coram Nicodemo de suâ divinitate palam locutus est. Et Samaritanæ dixit : « Ego sum (Messias) qui loquor tecum. » (*IV* : 26.) Ipse Joannes Baptista apud eumdem Evangelistam aperte testatus est divinitatem Jesu : « Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. » (*Joan.* I : 34. et *III* : 27-36.)

Apud Lucam ubi Jesus ut Sacerdos repræsentatur, legimus etiam eum in Nazareth, eo tempore quo dicitur a Matthæo « in Galilæam secessisse » ; in Synagogâ ut Messiam Judæos severissime increpasse, et divinitùs sese eorum manibus eripuisse. » (*Luc. IV:* 16-30.)

C. IV; 18-25.

Vocatio Petri, Andreæ, Jacobi et Joannis. Continuatio prædicationis per Galilæam.

Chrys. (in opere imperf. super Matth. hom. 7.) ait : « Antequam Christus aliquid dicat vel faciat, vocat Apostolos, ut nihil illos lateat, nec verborum Christi, nec operum ; ut postmodum fiducialiter dicere possint : « Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui. » (*Act. Ap.*)

Hinc est quod dicitur : « Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores); et ait illis : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum. Et procedens ille, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, in navi... et vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. » (*v.* 18-22,)

Chrys. in opere imperf. super Matth. ut supra : « Super charitatem etiam fraternitatis, Ecclesiæ recte posuit fundamenta; ut ex radicibus charitatis exuberans quasi humor ascendat in ramos ; et hoc super naturalem charitatem ut non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur : unde dicit « fratres. » Sic enim fecit Deus et in veteri testamento super Moysen et Aaron fratres ponens ædificationis initium. Quoniam autem abundantior est gratia Novi Testamenti quam Veteris, ideo primum populum ædificavit super unam fraternitatem, hunc autem super duas. » Quod maxime conveniens est, si quidem in novo Testamento in unum adunandi sint Judæi et Gentiles : ut ex duplici

fraternitate unam Ecclesiam constituant. Juxta hunc sensum Rabanus animadvertit : « Duæ naves e quibus Apostoli vocantur duas Ecclesias figurant, eam quæ ex circumcisione, et eam quæ ex præputio vocata est. »

« Alia navis, ait Ambr., est Judæa, ex quâ Joannes et Jacobus eliguntur. Hi igitur de Synagoga ad navim Petri, hoc est ad Ecclesiam convenerunt, ut implerent ambas naviculas. »

Videtur sensus mysticus Sanctorum Patrum in hoc loco verè inniti sensui litterali : In Luca enim legimus piscationem miraculosam de nave Petri. Et quia tam copiosa erat multitudo piscium, « annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur... In fine ait ad Simonem Jesus : « Noli timere ; ex hoc jam homines eris capiens. » (*Luc. V* : 1-10.)

Notat hic Ven. Beda : « Hoc ad ipsum Petrum specialiter pertinet : exponit enim ei Dominus quid hæc captura piscium significet : quod scilicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines. Totusque facti hujus ordo quid in Ecclesiâ cujus ipse typum tenet, quotidie geratur ostendit. »

Sententia S. Ambrosii quam supra exposuimus lucem effundit super verba quæ Jesus dixit in Matthæo Petro et Andreæ : « Faciam vos fieri piscatores hominum. » Joannes et Jacobus de Synagoga transeunt ad Ecclesiam, in qua Rex facit piscatores hominum. Ecclesia est navis Petri ; et ideo Joannes et Jacobus commissionem piscandi non accipiunt ; Dominus tantùm « vocavit eos. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. » (*Matth. IV* : 21, 22.)

Utpote de synagoga venientes, « dimiserunt mortuos sepelire mortuos suos, » ut jussit Jesus alium de discipulis, (*Matth. VIII* : 22.) « et secuti sunt eum. » Apud sanctum Lucam vidimus quod facti sunt Joannes et Jacobus coadjutores Petri et sociorum. Petro soli dictum est : « Ex hoc jam homines eris capiens. » Petro et Andreæ dictum est : « Faciam vos fieri piscatores hominum. » (*Matth. IV* : 19.)

Petrus navi præest: extra navim Petri non capiuntur homines. Piscatores hominum fiunt omnes collegæ Petri, tanquam membra sub capite.

Sequitur Jesu prædicatio per Galilæam: (*Matth. IV:* 23-25.)

« Omnis rex, ait Chrys., super Matth., pugnaturus contra adversarium prius congregat exercitum, et sic vadit ad pugnam: sic et Dominus contra diabolum pugnaturus prius congregat (exercitum) Apostolos, et sic cœpit Evangelium prædicare. Considerandum autem, ait, quod ubicumque legis cujusdam introductio fit, signa facere Deus assuevit, pignora suæ virtutis tribuens legem suscepturis. Quoniam autem regnum quod prædicabatur non apparebat, ab apparentibus signis ipsum manifestavit: « Sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. » (*v.* 23.) « Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes malè habentes, variis languoribus et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paralyticos; et curavit eos. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæâ, de Decapoli et de Jerosolymis, et de Judæâ, et de trans Jordanem. » (*v.* 24, 25.)

Rabanus ait: « Turbæ quadripartitæ sunt: alii propter cœlestem magistratum, ut discipuli; alii ob curationem infirmitatum; alii solâ fama et curiositate, volentes experiri an verum esset quod dicebatur: alii per invidiam, volentes eum in aliquo capere et accusare. »

C. V, VI, VII.

Sermo in monte: seu publicatio legis Novi Regni.

(*C. V:* 1-3.) « Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et aperiens os suum docebat eos, dicens: « Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cœlorum. Beati mites... »

Postquam Dominus congregavit elementa novi Regni ascendit in montem quasi legem laturus ut olim in monte

Sinaï factum est. Universalitas curarum quas præstitit in corporibus multorum, est quasi figura universalitatis remediorum spiritualium quæ animabus præscribenda sunt in novâ lege.

« Ascendit in montem, ait Chrys., ut ostendat, quod omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem Ecclesiæ debet ascendere, de quo Propheta : « Mons Dei, Mons pinguis. » Et Hilarius : « Ascendit in montem, quia in paternæ majestatis celsitudine positus cœlestia vitæ præcepta constituit. »

« Quod sedens docebat, ait S. Aug. in Serm. Domini in monte, pertinet ad dignitatem Magistri. » Discipuli qui ad eum accesserunt, sunt tanquam futuri ministri, *assessores Regis*.

Uti nunc *Rex sedet in monte* publicans legem ; ita « cum venerit Filius hominis in majestate suâ, et omnes Angeli cum eo, *tunc sedebit super sedem Majestatis suæ*, et congregabuntur ante eum omnes gentes. » (*Matth. XXV : 31*, 32.) Ut verè Rex (*v.* 34.) judicium exercebit : « *Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : Venite, etc...* »

Sermo in monte apud Matthæum est compendium totius legis Christianæ, juxta Augustinum : ita loquitur Sanctus Pater, de sermone Domini in monte N° 1 : « Sermonem quem locutus est Dominus noster Jesus-Christus in monte, sicut in Evangelio secundum Matthæum legimus, si quis pie sobrieque consideraverit, puto quod inveniet in eo, quantum ad mores optimos pertinet, perfectum vitæ christianæ modum : quod polliceri non temerè audemus, sed ex ipsis Domini verbis conjicientes. Nam sic ipse sermo concluditur, ut appareat in eo præcepta esse omnia quæ ad informandam vitam pertinent. Sic enim dicit : « Omnis ergo qui audit verba mea hæc et facit ea, similabo eum viro sapienti qui ædificavit domum suam supra petram. » Et omnis qui audit verba mea hæc et non facit ea, similabo eum viro stulto qui ædificavit domum suam supra arenam : descendit pluvia, venerunt flumina, flaverunt venti et offenderunt in domum illam et cecidit et facta est ruina ejus magna. » Cum ergo

non dixit : « qui audit verba mea » tantum sed addidit, dicens : « qui audit verba mea hæc ; » satis ut arbitror, significavit hæc verba quæ in monte locutus est, tam perfecte instruere vitam illorum qui voluerint secundum ea vivere, ut merito comparentur ædificanti supra petram. Hoc dixi ut appareat istum sermonem omnibus præceptis quibus christiana vita informatur esse perfectum. »

Ill^mus Beelen (*P.* 343 *Nota* 1,) credit cum Card. Toleto et aliis, sermonem Domini in Matthæo diversum esse a sermone Domini in monte apud Lucam. « Sermo Jesu qui hìc sequitur, ait in Luc. (*C. VI* : *v.* 20-49), quamvis sit brevior quam sermo in Matthæo, in multis est ei simillimus ; opinamur tamen, quod minus rectè consideretur ut abbreviatio, vel sermo excerptus ex sermone Matthæi. Apud Matthæum Jesus ascendit quando in eo est ut loquatur in monte ; apud Lucam e contra descendit de monte. Apud primum alloquitur turbam et discipulos sedens in monte ; apud secundum stat in loco campestri. Etiam multa habentur in sermone Jesu apud Lucam, de quibus nullo modo loquitur Dominus apud Matthæum. Circa ea quæ in duobus sermonibus simillima sunt, dici potest Dominum hæc sæpius docuisse. »

In Matthæo Jesus ut Rex tulit legem suam ut æquivalenter ait Augustinus : Ideo allocutus est modo generaliori totam turbam præsentem. Ut Ill^mus Beelen etiam notavit, pauca tantùm apud Matthæum dicuntur specialius discipulis : uti sunt ea quæ habentur. (*C. V* : 11-16.) Postea iterum Legifer totum populum alloquitur. Nec sine causâ annuntiat perfectionem novæ legis quæ debet totam vitam christianam informare : « Nolite putare, ait, quoniam veni solvere legem aut prophetas : non veni solvere sed adimplere. » (*C. V. v.* 17.) De ipsâ perfectione in adimplendâ lege continuat dicendo : « Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra, plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. » (*C. V* : 19, 20.) In sequentibus Jesus

demonstrat quomodo perficit legem veterem, dicens: « Audistis quia dictum est antiquis: non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennæ ignis. » (*C. V*: 21, 22.) Quasi auctoritatem habens Rex explicat et perficit cætera præcepta antiquæ legis in sequenti sermone.

Menoch in V. 21 ait: « Perficit Christus legem veterem, additis iis quæ ad perfectionem Evangelicam desiderabantur, non quod lex in suo genere perfecta non fuerit, sed quod minus perfecta quam Evangelium. »

In Luca Jesus Sacerdos videtur alloqui pusillum gregem discipulorum, eosque ad sui sequelam adhortari. Illos directe alloquitur. Et pronuntiat quatuor væ adversus illos qui illum sequi nolunt. Etiam, ut notavit illustrissimus Beelen, (*P.* 346 *Nota* 4 *in Luc.*) Dominus præmunit actuales discipulos adversus Scribas et Pharisæos ut fecerat sæpius alibi, (*Matth. C. XV*: 14; *XXIII*: 16, 17, 19, 24) nominando eos cæcos et duces cæcorum. In sermone montis apud Lucam sic de illis locutus est: (*Luc. VI*: 39-45.)

« Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? non est discipulus super magistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut Magister ejus. » (In *Matth. X*: 24 Jesus applicat hæc verba « non est discipulus super magistrum » sibi et propriis discipulis: hic autem in Luca spectant magistros cæcos et eorum discipulos. Ita Ill[mus] Beelen.) « Quid autem vides festucam in oculo fratris tui.... Hypocrite, ejice primum trabem de oculo tuo: et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris. » (In *Matthæo VII*: 1-5, his verbis commendatur charitas erga proximum, ut nemo severè fratrem judicet. Ergo applicatio est generalis et pars legis.) Sequitur in Luca: « Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos: neque arbor mala, faciens fructum bonum..... bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia cordis os loquitur. » Omnia hic Scribis et Phari-

sæis applicantur, qui ut bonum fructum conversionis in aliis operarent, ait Illmus Beelen, prius opus habebant fieri arbores boni, quod nullatenus erant. In Matthæo adversus Pharisæos hæc dicit C. XII quia in Spiritum sanctum blasphemabant. (*v.* 33-37.) Apud Matthæum Dominus hìc in promulgatione legis hæc applicat « falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces... Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. » (*Matth. VII:* 15-20.) Iterum applicatio omninò generalis est. Dirigitur monitio contra omnes qui volunt Regnum Christi falsâ doctrinâ, vel quibuscumque operibus malis coïnquinare. Spectat etiam omnia tempora. Falsi prophetæ, ait Menoch. in Matth., sunt falsi doctores, ut sunt hæretici, et ii omnes qui aliud opere exhibent, aliud habitu et sermone promittunt.

Ut etiam melius scopum diversum sermonis in Luca intelligamus, non abs re erit considerare sensum mysticum quem exponit S. Thomas loquens de Deo : « Dicitur sedens propter suam immobilitatem et auctoritatem, et stans propter suam fortitudinem ad debellandum omne quod adversatur ei. » Et S. Greg. (*hom.* 29 *Breviarii feria* 3 *post Domin. Ascensionis*) : « Sedere judicantis est, stare verò pugnantis, vel adjuvantis. » Ita S. Stephanus in suo martyrio vidit Jesum stantem : « Ecce video cœlos apertos et Filium hominis stantem a dextris Dei. »

Concludamus igitur : In Matthæo Rex in monte quasi in throno sedens legem suam populis promulgat.

In Luca Jesus ut Sacerdos et Victima stat quasi vir pugnator, et incedere videtur ante discipulos, victoriam « pusillo gregi cui Pater regnum paravit, » in sui sequelâ promittens. Prima verba sermonis victoriam insinuant, ut ea interpretatur Illmus Beelen : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. » (*Luc. VI:* 20.) Directe Jesus alloquitur apostolos et alios discipulos, non directe multitudinem ibi præsentem. Jesus hic cogitat de paupertate voluntariâ, quæ a discipulis in actum erat reducta, qui ipsi dicere poterant : « Nos reliquimus omnia et secuti sumus te, » (*Matth. XIX :* 27.), et vocat eos beatos, propter firmam spem, quam pote-

rant nutrire, se futuros participes Regni Dei, seu salutis æternæ, quæ talibus pauperibus voluntariis promissa est. (*Comp. Matth. XIX* : 21.) « Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. » In fine, ait Illmus Beelen, notandum est, etiam, quod hæc prima beatitudo apud Lucam, diversa est ab ea quæ prima ponitur a Matthæo : « Beati pauperes spiritu... » sunt humiles corde : tales qui sentiunt et cognoscunt quod secundum spiritum sunt infirmi et pauperes. Ut interpretatur idem auctor in Matth. *P*. 35 *Nota* 2.

Instituendo comparationem inter initium sermonis Matthæi et Lucæ invenimus Regem quasi pro lege fundamentali ponere veram humilitatem spiritus. Rex de seipso dicit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » *Matth. XI* : 29.)

Et Sacerdotem Victimam in sequelâ sui, quasi primam virtutem ponere paupertatem voluntariam, ut Domino suo et cruci ejus discipuli fideliter inhæreant.

In conclusione Rex assimilavit viro sapienti omnem qui audivit omnia verba totius legis, et adimplevit ea, dicens : « Omnis ergo, qui audit *verba mea hæc*, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram. »

Sacerdos autem in Lucâ etiam assimilavit viro sapienti, omnem verum et fidelem discipulum qui Dominum audit et facit quæ dicit, sequens eum postquam venit ad eum. Ideo sic pius Sacerdos concludit : « *Omnis qui venit ad me*, (ut doceatur quod rectum est, ait Menoch.) et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis quibus similis sit : similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum et posuit fundamentum supra petram. »

« Qui fodit in altum, » et scrutatus fuerit abyssum exinanitionis Victimæ sacerdotalis, domum suam immobilem construet, supra firmam petram Crucis Domini sui, et Pontificis Jesu !

C. VIII ET IX : 1-34.

Sequuntur diversa miracula et vocatio Matthæi. Sancti Patres vident in hâc serie quomodo et e quibus elementis novum Regnum in mundo stabilitur.

Hier. « Post prædicationem atque doctrinam signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula præteritus apud audientes sermo firmetur. » « Quia enim, ait Chrys., quasi potestatem habens docebat, ut non æstimaretur ostentationem esse hunc doctrinæ modum, operibus hoc idem facit, quasi potestatem habens curare. »

Duo prima miracula respondere videntur universalitati legis in monte a Rege publicatæ. Curat 1° Jesus leprosum, typum populi, seu electorum Israelis ; 2° curat servum centurionis, tanquam primitias salutis gentilium. (*C. VIII : 1-13.*)

Ait Chrys. super Matth., « Postquam Dominus docuit in monte, leprosum autem sanavit sub monte ; venit Capharnaum in mysterio, quia post Judæorum munditiam venit ad gentes. »

In curâ leprosi mirari possumus Regem qui venit adimplere legem, ut populum suum salvet a peccatis eorum. Lepra erat figura peccati quod lex mundare non poterat : dabat lex notitiam peccati. Gratiâ autem Salvatoris peccata mundantur. Hoc in figurâ demonstravit Dominus leprosum tactu suo sanando. « Cum autem voluntate et sermone purgare posset, ait Chrys., manus apposuit et tactum : ut ostendat quoniam non subjacet legi, et quoniam mundo jam nihil est immundum. Elisæus autem observans legis diligentiam, non exivit et tetigit Naaman, sed mittit eum ad Jordanem lavandum. Dominus autem monstrat quoniam non ut servus, sed ut Dominus curat et tangit : non enim manus a leprâ facta est immunda, sed corpus leprosum a manu sanctâ constitutum est mundum. »

Hier. « Mittit autem eum ad Sacerdotes, primum propter humilitatem, ut Sacerdotibus deferre videatur ; deinde ut

videntes leprosum mundatum, si crederent Salvatori, salvarentur ; si verò non crederent inexcusabiles fierent ; et simul ne (quod in eo sæpissimè criminabantur) legem infringere videretur. »

« Vel mittit ad sacerdotes, ait Orig., ut cognoscant quia non per legis consuetudinem mundatus est, sed per gratiæ operationem. » Sic in figurâ Rex demonstrat quod per gratiam suam salvandus sit populus ejus, ut possit munus suum Deo offerre.

Quamvis prior Judæorum populus vocetur ad novum Regnum, insinuat tamen Dominus, in centurione, quod fides gentium fidei Judæorum præponenda sit. S. Aug. ait : « Sicut Dominus domum centurionis corpore non intravit, sed absens corpore, præsens majestate puerum ipsum sanavit. Sic et in solo Judaico populo corpore fuit, (*Et extendens Jesus manum, tetigit eum.*) apud alias autem gentes, nec de Virgine natus est, nec passus est, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit, et tamen impletum est quod dictum erat : « Populus quem non cognovi, servivit mihi, (*Ps. XVII :* 45) in auditu auris obedivit mihi. Judæa enim gens cognovit et crucifixit : orbis terrarum audivit et credidit. »

Eodem modo loquitur Chrys. « Centurio autem iste primus fructus ex gentibus, ad cujus fidei comparationem omnium Judæorum fides infidelitas est inventa : qui neque Christum audivit docentem, neque leprosum cum mundaretur aspexit : sed auditâ tantùm sanitate leprosi, plus credidit quam audivit, erat enim in mysterio Gentium futurarum, quæ neque legem aut prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderunt. »

3° Curat socrum Petri. (*VIII :* 14, 15.)

Ut leprosus typus est populi Israel, sic socrus Petri typus est Synagogæ, vel legis antiquæ.

Remig. « Per socrum Petri potest intelligi lex, quæ secundum Apostolum infirmabatur per carnem, id est, carnalem intelligentiam. Sed cum Dominus per mysterium incarnationis visibilis in Synagoga apparuit, et opere legem implevit, et spiritualiter intelligendam docuit, mox ipsa sauciata

gratia Evangelii tantum robur accepit : ut quæ fuerat ministra mortis et pœnæ, postmodum fieret vitæ et gloriæ. »

Beda. « Misticè domus Petri lex, vel circumcisio est. Socrus est Synagoga, quæ quodammodo est Mater Ecclesiæ Petro commissæ : hæc febricitat, quia invidiæ actibus laborabat persequens Ecclesiam, cujus manum Dominus tangit, quando carnalia ejus opera in spiritualium usum convertit. »

Ex sanctorum Patrum sententiâ, habemus igitur in tribus miraculis præcedentibus figuram futuræ conversionis Electorum inter Judæos, et inter gentiles ; etiamque sanatæ Synagogæ in Ecclesiâ Christianâ.

4° (V. 16, 17.) « Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes ; et ejiciebat spiritus verbo, et omnes malè habentes curavit. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam prophetam, dicentem : Ipse infirmitates nostras accepit : et ægrotationes nostras portavit. »

Juxta Hier. et Bedam « Vespere » significatur mors Salvatoris, quando verè « Ipse infirmitates nostras accepit ; et ægrotationes nostras portavit. » Tunc « ipsius livore omnes sanati sumus. »

Beda. « Mysticè autem solis occubitus passionem mortemque significat illius qui dixit, « quamdiu in mundo sum, lux mundi sum, » et sole occidente, plures quam antè dæmoniaci, et ægroti sanantur : quia qui temporaliter in carne vivens paucos Judæorum docuit ; omnibus per orbem gentibus fidei salutisque dona transmisit. »

5° (*a*) Ante transitum trans fretum rogatur a duobus ut eum sequantur. — (*b*) Dormitio Jesu in naviculâ et excitatio ejus a discipulis. Tempestas sedata.

(*a*) (V. 18, 19.) « Videns autem Jesus turbas multas circum se jussit ire trans fretum. Et accedens unus scriba, ait illi : « Magister sequar te, quocumque ieris. » Hier. « Ostenditur nobis ob hoc Scribam repudiatum, quod signorum videns multitudinem, sequi voluerit Salvatorem, ut lucrum ex operum miraculis quæreret ; hoc idem desiderans quod et Simon Magus a Petro emere voluerat. » (*Act. VIII.*)

Respondet autem ei Christus, ait Chrys., non ad interro-

gationem verborum, sed ad consilium obvians mentis : Unde sequitur : *V*. 20 : « Et dicit ei Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. » Ac si dicat : Hier. « Quid me propter divitias et sæculi lucra cupis sequi, cum tantæ sim paupertatis, ut ne hospitiolum quidem habeam, et tecto utar non meo. » Chrys. « Hoc autem non est avertentis, sed arguentis quidem malum consilium ; concedentis autem, si vellet cum paupertatis expectatione sequi Christum. Et ut discas ejus malitiam, audiens hoc et correctus non dixit : « paratus sum sequi. »

« Filius hominis, ait Aug., non habet ubi caput reclinet in illo homine : vulpes enim foveas habent in corde ejus, quia dolosus est ; et volucres cœli habent nidos in corde ejus, quia elatus est. Dolosus et elatus non sequitur Christum : Quomodo enim dolosus sequitur simplicem ? » (*De Verb. Dom. Serm.* 7.)

Rationem exponit Rex ob quam Scribæ et Doctores legis in morte ejus non transibunt cum ipso ad novum Regnum.

(*V*. 21, 22.) « Alius autem de discipulis ejus, ait illi : Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. Jesus autem ait illi : Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » Ill^mus Beelen ad litteram intelligit : « Dimitte mortuos secundum spiritum sepelire mortuos suos, naturaliter secundum carnem. »

Docet hic Rex quomodo populus suus a mortuo cadavere Judæorum sit post mortem suam segregandus. Hier. « Si autem mortuum sepelit mortuus, non debemus habere curam mortuorum, sed viventium ; ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur. »

Nota. Videtur Matthæus in præcedentibus duobus exemplis secutus esse ordinem mysticum, magis quam historicum ; ut videmus ex *Marco C. I :* 32-35 et *Luca C. IV :* 40-42.)

(*b*) (*V*. 23.) « Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus. » Orig. « Hi ergo secuti sunt eum, non

tantùm gressus ejus sequentes, sed magis sanctitatem concomitantes. Ingressus ergo in naviculam fecit turbari mare; unde sequitur: « Et ecce motus magnus factus est in mari ita ut navicula operiretur fluctibus. » Erat autem hæc turbatio typus futurarum tentationum, de quibus Paulus dicit: *II Cor. I.*) « Nolo vos ignorare fratres, quoniam gravati sumus supra virtutem. » Ut ergo daret tempus formidini, sequitur: « Ipse verò dormiebat. » (*v.* 24.) Rab. « Suum dormire mori est. Excitant autem discipuli Dominum, dum turbati morte, maximis votis resurrectionem quærunt, dicentes: « Salva nos resurgendo, quia perimus turbatione tuæ mortis. » Ipse vero resurgens increpat duritiam cordis eorum, ut alibi legitur. (*Marc. XVI.*) Imperavit autem Dominus ventis, quia diaboli superbiam stravit; imperavit mari, quia vesaniam Judæorum disjecit; et facta est tranquillitas magna, quia sedatæ sunt mentes discipulorum visa resurrectione. »

6° Trans fretum Jesus liberat duos dæmoniacos; mittit dæmones in porcos qui merguntur in mari. Rogant Geraseni ut transeat a finibus eorum. (*C. VIII*: 28-34.)

Si admittimus sensum mysticum in præcedentibus, habetur continuatio in liberatione dæmoniacorum.

Rabanus intelligit per duos dæmoniacos, Judæos et Gentiles. Per mortem et resurrectionem Rex Victor liberat duos populos et introducit in Regnum. Hujus victoriæ hic typum habemus. Quasi ipsi dæmones coguntur futuram suam ruinam prænuntiare, clamantes: « Quid nobis, et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? » (*v.* 29.) Ipsi ingrati Geraseni nescientes testantur tempus victoriæ nondum esse adimpletum, rogantes Jesum ut transiret a finibus eorum. « Intuere autem, ait Chrys., Christi mansuetudinem post virtutem. Quia enim beneficium adepti abigebant eum, non restitit, sed recessit, et eos qui indignos se nuntiaverunt ejus doctrinâ, dereliquit; dans eos doctores liberatos a dæmonibus et porcorum pastores. »

7° Paralyticus curatur in corpore et animâ. (*C. IX*: 1-8.)

Postquam diversimode et maximè figuraliter Jesus demon-

stravit « se esse ducem qui regit populum Dei Israel ; » in Paralytico probat litteraliter « se salvum facere populum suum a peccatis eorum, » se esse Regem Emmanuelem.

Hil. « In paralytico autem gentium universitas offertur medenda : hic itaque (angelis ministrantibus) curandus offertur ; hic filius nuncupatur, quia Dei opus est ; huic remittuntur animæ peccata, quæ lex laxare non poterat ; fides enim sola justificat ; deinde virtutem resurrectionis ostendit, cum sublatione lectuli infirmitatem corporibus docuit defuturam. »

Scribæ, qui ex præcedentibus miraculis debuissent corda præparare, ut et ipsi participarent Jubilæo universali, facti sunt typi infidelis Israelis qui Salvatorem et Regem suum rejecit : audierunt dicentem : « Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce dixerunt intra se : Hic blasphemat. » (v. 2, 3.)

Notandum est hoc miraculum narrari a tribus Evangelistis, Matthæo, Marco et Lucâ. In remissione peccati Jesus induit triplicem Personam illius qui habet potestatem remittendi peccata. 1° In Matthæo, personam Regis, seu Judicis ; 2° in Marco personam Doctoris ; 3° in Lucâ personam Medici sacerdotalis.

Nominando eum « filium » divinam suam Paternitatem expressit Jesus : est Filius hominis, sed simul « Emmanuel, quod est nobiscum Deus. »

(V. 8.) « Videntes autem turbæ (miraculum factum in attestationem remissionis peccatorum) timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. »

Ipsi sunt quasi typi fidelium qui auctoritatem Regis agnoscunt et per eum Deum glorificant.

Hil. « Videntes autem turbæ timuerunt : magni enim timoris res est, non dimissis a Christo peccatis in mortem resolvi ; quia nullus est in domum æternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. Cessante autem timore, honor Deo redditur, quod potestas hominibus hâc viâ data sit per Verbum ejus, et peccatorum remissionis, et corporum resurrectionis, et reversionis in cœlum. »

Inter miracula narratur vocatio Matthæi : Jejunium, vestimentum vetus, utres veteres. (*C. IX : 9-17.*)

Glossa ait : « Matthæus vocationem suam refert inter miracula : magnum miraculum fuit, quod publicanus factus est apostolus. »

In vocatione Matthæi, et in publicanis et peccatoribus discumbentibus cum Jesu et discipulis ejus, videmus primitias electorum inter Judæos qui saluti mundi participant ; in murmurantibus Pharisæis eorum qui in obstinatione suâ remanebunt exemplar.

Hier. « Neque vero in pristinis vitiis permanentes veniunt ad Jesum, ut Pharisæi et Scribæ murmurant, sed pœnitentiam agentes ; quod et præsens sermo Domini significat : unde sequitur :

« At Jesus audiens ait : non est opus valentibus medicus, sed male habentibus, etc. » Seipsum medicum dicit, ait Rabanus, qui miro medicandi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, (*Isai. LIII.*) ut vulnus peccatorum nostrorum sanaret. Sanos quidem eos appellat, qui suam volentes statuere justitiam, veræ Dei justitiæ subjecti non sunt (*Rom. X.*) ; « male habentes » eos vocat, qui suæ fragilitatis conscientiâ devicti, nec per legem videntes se justificari, pœnitendo se submittunt gratiæ Dei. »

Jejunium Pharisæorum et discipulorum Joannis. (*v.* 14-17.)

Rex spiritum novæ legis insinuat :

Glos. « Significat quod apostoli non erant in veteribus observantiis detinendi, quos oportebat gratiæ novitate perfundi. »

« Primo, ait Chrys., Jesus seipsum medicum vocaverat, hic autem sponsum, dicens : « numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ? » (*v.* 15.) in memoriam reducens verba Joannis : « Qui habet sponsam, sponsus est. »

Hier. « Sponsus Christus est, sponsa autem Ecclesia. De hoc spirituali connubio Apostoli sunt creati, qui lugere non possunt quamdiu sponsum in thalamo vident, et sciunt spon-

sum esse cum sponsâ. Quando vero transierint nuptiæ, et passionis ac resurrectionis tempus advenerit, tunc sponsi filii jejunabunt. »

De discipulis ait Chrys. « Quia hi novi prædicatores testamenti existunt, legibus eos servire veteribus possibile non est; vos autem congruè veteres sequentes consuetudines Mosaica jejunia servatis. Isti vero novas ac mirabiles observationes traditori hominibus veteres observare non est necesse, sed esse mentibus virtuosos. Aliquo vero tempore jejunium, cum cæteris virtutibus observabunt. Sed hoc jejunium differt a jejunio legis, quia illud erat ex necessitate, hoc ex voluntaté, propter fervorem spiritûs cujus nondum sunt capaces. »

Duobus utitur Dominus similitudinibus ad præcedentem doctrinam elucidandam :

Theo. 1° Discipuli veteribus vestimentis assimilati sunt propter eorum mentis infirmitatem, quibus non erat congruum imponere statutum grave jejunii.

Beda. 2° Discipulos veteribus comparat utribus, quos vino novo, id est, spiritualibus præceptis facilius disrumpi, quam posse continere dicit. Erunt autem utres novi, cum post ascensionem Domini desiderio consolationis ejus innovabuntur, et tunc novum vinum novis utribus adveniet, hoc est, Spiritûs sancti fervor spiritualium corda replebit.

« Cum autem datæ sint diversæ similitudines ad idem, differunt tamen, ait Rab. ex Beda : Vestis enim quâ foris tegimur, opera bona significat quæ foris agimus ; vinum quo intus reficimur, fervor est fidei et charitatis quo intus reformamur. »

8° Jaïrus, Archisynagogus ; Hemorrhoissa curata in viâ. Filia Jaïri ad vitam revocata. (*C. IX : 18-26.*)

Chrys. in hom. « Post sermones opus adjecit, in quo amplius Pharisæi obstruerentur, eo quod qui advenit miraculum petendum, archisynagogus erat, et luctus magnus quia puella unigenita erat, et duodecim annorum quando incipit esse flos ætatis. »

Juxta Hier. Amb. Bedam, Rabanum, in sequentibus mira-

culis Dominus mysterium Regni persequitur usque in finem sæculi: demonstrans in figuris ordinem vocationis et salutis diversorum populorum, donec in fine mundi facti sint unus grex sub unico Rege et Pastore.

Beda. « Per Archisynagogum Moyses intelligitur. Unde bene Jaïrus, id est, illuminans, vel illuminatus vocatur: quia qui accipit verba vitæ dare nobis, et per hoc cæteros illuminat, et ipse a Spiritu sancto illuminatur. Cecidit ergo Archisynagogus ad pedes Jesu, quia legislator cum totâ patrum progenie Christum in carne apparentem longe sibi præferendum esse cognovit. Si enim caput Christi Deus, convenienter pedes accipiendi sunt incarnatio, quà terram nostræ mortalitatis tetigit. Rogavit autem intrare in domum ejus, quia ejus videre desiderabat adventum. Filia ejus unica est synagoga, quæ sola legali est institutione composita; quæ duodecimo ætatis anno, hoc est, tempore pubertatis appropinquante moriebatur; quia nobiliter a prophetis æducata, postquam ad intelligibiles annos pervenerat, in quibus spirituales Deo fructus gignere debebat, subito errorum languore consternata, spiritualis vitæ viam amisit, et si Christus non succurreret, corruisset in mortem. » Ambros. « Ad hanc autem principis filiam dum properat Dei Verbum, ut salvos faceret filios Israel, sancta Ecclesia ex gentibus congregata, quæ inferiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis fide præripuit sanitatem. Sicut autem illa in medicos erogaverat omnem substantiam suam, ita congregatio gentium amiserat omnia dona naturæ. Audiens autem ægrotare populum Judæorum, sperare cœpit salutis suæ remedium. Tempus venisse cognovit, quo medicus adesset de cœlo, surrexit ut occurreret fide promptior, pudore cunctatior.

Hoc enim est pudoris et fidei, agnoscere infirmitatem, non desperare veniam. Verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanatam se esse cognovit. Sic sancta plebs gentium quæ Deo credidit, peccatum erubuit ut desereret, fidem detulit ut crederet, devotionem exhibuit ut rogaret, sapientiam induit ut sanitatem suam ipsa sentiret, fiduciam sumpsit ut fateretur quod præripuisset alienum.

Retro autem tangitur Christus, quia scriptum est: « Post Dominum Deum tuum ambulabis. »

Rab. « Sive quia præsentem Dominum in carne non videns, peractis jam sacramentis incarnationis illius, ad agnitionis ejus gratiam pervenit ; unde et fimbriam vestimenti tangit : quia cum Christum in carne gentilis populus non vidisset, verba incarnationis recepit. Interea illa filia Archisynagogi quæ mortua est hominibus: Domino dormit, tam in animâ quam in corpore ; sed et eamden idem Dominus suscitare potest. »

Hier. « Usque hodie jacet in domo principis puella mortua, et qui videntur magistri, tybicines sunt carmen lugubre canentes. Turba quoque Judæorum, non est turba credentium, sed tumultuantium. Sed cum intraverit plenitudo gentium tunc omnis Israel salvus erit.... Tenuit manum puellæ Jesus, et ipsa resurrexit: quia nisi prius mundatæ fuerint manus Judæorum quæ sanguine plenæ sunt, synagoga eorum mortua non consurget. »

9° (V. 27-34.) Reddit Jesus visum duobus cæcis et liberat mutum dæmonium habentem.

S. Hieronymus ut interpretatus est duo miracula præcedentia de Ecclesiâ et de Synagoga; ita intelligit miraculum duorum cæcorum de duobus populis ad lumen fidei conversis : « Priori signo, ait, de principis filia et morbosâ muliere, consequenter signum de duobus cæcis adjungitur : ut quod ibi mors et debilitas, hìc cæcitas demonstraret. »

Remig. « Per hos duos cæcos duo populi designantur : Judæus et Gentilis. » Hier. « Et tamen rogantes non curantur in itinere, non transitorie ut putabant, sed postquam venit in domum suam, accedunt ad eum ut introeant, et primum eorum discutitur fides, ut sic veræ fidei lumen accipiant. Unde sequitur : « cum autem venisset in domum, accesserunt ad eum cæci, et dixit eis Jesus: creditis quia hoc possum facere vobis? » (v. 28.) Rabanus. « Domus Jesu cœlestis est Jerusalem. Domino ergo per hoc sæculum transeunte, et in domum suam revertente, duo cæci secuti sunt eum : quia prædicato Evangelio per Apostolos, multi ex Judæis et gen-

tibus cœperunt eum sequi. Sed postquam in cœlum conscenderat, intraverunt in domum, id est, Ecclesiam, et ibi illuminati sunt. »

In sequenti miraculo habemus figuram generalis conversionis generis humani ad Deum in ultima conversione Judæorum, juxta S. Paulum ad Romanos : « Quod si delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium : quanto magis plenitudo eorum !... Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis ?... Conclusit enim Deus omnia in incredulitate : ut omnium misereatur. » (*Rom. XI*, 12, 15, 32.)

« Sicut cæci lumen recipiunt, ait Hier., sic et muti ad loquendum lingua laxatur. Ut confiteatur eum quem antea denegabat. »

Uno ore populus Dei ex omnibus gentibus congregatus in fine mundi misericordias Domini cantabit.

A Lapide pag. 251 in Matth. « E domo Jaïri exiens Jesus curat duos cæcos et dæmonium habentem quem ipsi obtulerunt. Mutum mystice curat, cum linguam cæci peccatoris, quæ prius a dæmone tenebatur ligata, laxat, ut peccata confiteatur, utque Deum invocet, laudet, celebret : ideoque prius Christus cæcos illuminavit, deinde muto loquelam restituit, quia oportet prius apertis mentis oculis per fidem Christum cognoscamus, deinde in laudes ejus lingua nostra laxanda est. »

Christus aperuit oculos gentium et Judæorum ; et uno ore in laudes Dei, tanquam populus Dei linguam suam laxaverunt.

Dominus et Rex noster ab initio seminati grani sinapis in curâ leprosi, quando descendebat de monte post publicationem legis ; repræsentavit diversis figuris, quomodo Ecclesia erat componenda et ex quibus lapidibus erat construenda usque in finem sæculi. In fine hujus seriei videmus scisma inter electos Judæorum, vel turbas qui Regis potestatem venerantur ; et obstinatos qui cum Pharisæis Deum suum et Regem suum blasphemant : « Miratæ sunt turbæ, dicentes : nunquam apparuit sic in Israel. Pharisæi autem dice-

bant : in principe dæmoniorum ejicit dæmones. » (*v.* 33-34.)

Pharisæi autem per suam calumniam usque hodie, Judæorum infidelitatem demonstrant.

Notandum est pleraque præcedentia miracula, sive eodem, sive diverso ordine, fuisse a Matthæo, a Marco et a Luca narrata. Si sensum mysticum Sanctorum Patrum admittimus, facile intelligimus convenientiam hujus triplicis narrationis. Ut antea vidimus ex Mœhler, triplicem Christi personam debet omnis christianus induere. Dominus igitur debuit omnes ad se attrahere ut Rex cujus legi obediant, ut Doctor cujus doctrinæ firma fide adhæreant, ut Sacerdos et Victima cujus meritis « quotidie crucem ferentes » participent.

In exemplis quæ Synagogam et Ecclesiam nobis in figurâ præsentarunt eamdem congruentiam observare possumus. Ecclesia ex triplici Domini nostri personâ emanat : (*Mœhler. Philipps. Alzog. Walter. Permaneder. Knoll...*)

Ex persona Regis : et ita constituit Regnum spirituale : cum auctoritate condendi leges, judicandi, et pœnis coercendi. — Matthæus hanc partem repræsentat. Ex persona Prophetæ, seu doctoris : ut institutio doctrinalis, seu magisterii ; quæ res fidei et morum docet et definit. — Marcus hanc partem repræsentat. Ex persona Sacerdotis et Victimæ : ut institutio sacri ministerii, quæ merita Christi distribuit et applicat ; quæ sacra et Sacramenta administrat. — Lucas hanc partem prosequitur.

Nota. Ut S. Thomas, de Sacram. Q. LXIV art. 3. 4 ait, quod Christus ut homo instituit Sacramenta ministerialiter ; auctoritative ut Deus : ita divinitatis suprema auctoritas ubique dominatur in Domini nostri charactere Regio, Prophetico et Sacerdotali ; quamvis ut Filius hominis nobiscum in terris ambulare videatur.

Nota. Apud Evangelistam Matthæum in mystico numero « duobus, » creditur esse allusio ad universalem Ecclesiam : nam Matthæus sæpius et regulariter duos nominat, ubi Marcus et Lucas unum solum. Exemplum habuimus in duobus dæmoniacis in terra Gerasenorum. Præterea S. Matthæus

nominat duos cæcos prope Jericho : Marcus et Lucas unum solum.

Item Matth. nominat asinam et asellum. — Marc. et Luc. asellum solum.

Sancti Patres hoc intelligunt de duobus populis qui Regis imperio sunt subjiciendi, apud Matthæum. — Uno solo apud Lucam insinuatur electio Judæorum : seu pusillus grex qui Sacerdotem fideliter sequitur. — Eadem figurâ apud Marcum insinuatur etiam Ecclesia, sed ut maxime ex gentibus congreganda.

C. IX : 35-38. X, XI.

Prædicatio Jesu ante missionem Apostolorum. Ejus prædicatio postquam consummavit præcipiens duodecim. Joannes mittit discipulos ut Regem sequantur. — Objurgationes in Judæos et improperia in eorum civitates. Laus civitatum gentium. Sapientia Judæorum a Deo despicitur ; et parvulis mysteria revelantur.

Rex (C. XI., 27-30) *proclamat suam a Patre acceptam auctoritatem ; quo spiritu regnabit et quales vult sibi subditos « ut inveniant requiem animabus suis. »* (v. 29.)

In hoc loco Jansenius finit primam partem concordiæ suæ Evangelicæ. Hic propriè incipit Ecclesiæ N. T. historia : Jesus sibi associat Apostolos ut cum ipso condendæ Ecclesiæ allaborent.

Adhucusque Matthæus demonstravit Regis universalem potestatem super omnes : præsertim in sermone habito in monte ; deinde in figuris miraculorum in favorem omnium. Ipsa Domini verba retulit quibus super omnes gentes dominium suum probavit : alloquens enim Jesus Judæos postquam viderat fidem centurionis dixit : « Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac et Jacob, in regno cœlorum : filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores ; ibi erit fletus et stridor dentium. » (*Matth. VIII :* 10-12.)

Ex misero statu populi sui, et principum qui præerant; necessitatem videt novus Rex fundamenta jaciendi Ecclesiæ N. T. « Super fundamentum Apostolorum.... Ipso summo angulari lapide existente. » Magis ac magis aperte sese manifestat ut verum Messiam et Regem Judæorum. Ut ipse, in allocutione, Apostolos monet « ne in viam gentium abeant et in civitates Samaritanorum non intrent (*X* : 5.) actualiter; ita incipit et ipse reparare ruinas Israel :

« Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella docens in synagogis eorum, et prædicans Evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. »

« Videns autem turbas, misertus est eis : quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. » (*C*. IX, 35. 36.) Chrys. « Ex unâ parte pastores, ea quæ luporum erant ostendebant : non solùm non emendabant multitudinem, sed nocebant eorum profectui. Illis enim admirantibus et dicentibus « nunquam apparuit sic in Israel, e contrario dicebant : quoniam in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. »

Hùc referri possunt verba Prophetiæ quibus utitur Apostolus Jacobus in concilio Jerusalem, dicens : « Post hæc revertar, et reædificabo tabernaculum David, quod decidit, et diruta ejus reædificabo, et erigam illud : Ut requirant cæteri hominum Dominum, et omnes gentes super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc. » (*Act. Ap. XV. v.* 16, 17.)

Ideo « tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. » (*C. IX* : 37, 38.)

Nota. Apud Lucam (*C. X*. 2.) Dominus mittens 72 discipulos iisdem verbis loquitur de abundantia messis, quibus supra Matth. IX, 37, 38. Sed ex contextu referuntur potius ad missionem inter Judæos actualem.

Jam hic Rex insinuat Ecclesiam esse extendendam per mundum universum, et per omnia sæcula. Hoc etiam magis patebit ex ipsâ oratione quâ ante missionem (*C. X*.) Apostolos alloquitur, quamvis pro tempore præsente eis populum Israel commendet, dicens : « in viam gentium ne abieritis,

et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : sed potius ite ad oves qui perierunt domûs Israel. » (*C. X : 5, 6.*)

Primum Judæis regni filiis prædicari oportebat verbum Dei, ut ex ore Pauli et Barnabæ Judæos objurgantium audimus : « Vobis oportebat primum loqui verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. » (*Act. Ap. XIII, v.* 46.)

Prænuntians persecutiones quas patientur Apostoli ob Regni prædicationem, ordinem hunc notat dicendo : « Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos. Et ad reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus.... Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. » (*X*. 17, 18, 22, 23.)

Omnia hæc spectant tempus subsequens resurrectionem Domini, ait Ill^mus Beelen.

Ultima verba Domini : « Non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis, » ita interpretatur Menoch. « Notatur obiter incredulitas Judæorum, quibus convertendis apostoli futuri sint occupati, donec Filius hominis veniat ad judicium. »

A Lapide notat Apostolos non tantùm a Judæis in Judæâ, sed et a gentibus, cum ad eas post mortem ejus proficiscentur, multa passuros. — Scribit idem auctor, in verba : « Non consummabitis.... » Nempe populum Israeliticum, ad quem jam vos mitto, ut dixi *v.* 6., ante secundum adventum Filii hominis, puta Christi ad judicium ; quia ut docet Paulus ad Rom. C. XI., oportet ut prius in Ecclesiam Christi plenitudo gentium, id est, omnes gentes intrent, et tunc omnis Israel salvus fiet. — Ita etiam Rupertus, Hilarius, Calmet, etc...

Comparando missionem Apostolorum in Matthæo, cum missione quam accipiunt in Lucâ, invenimus eamdem diffe-

rentiam quæ existit inter sermonem de monte quem habuit Dominus apud utrumque.

Rex in Matthæo dat missionem omnino generalem, et universam Ecclesiam per omnia tempora spectantem. Sicuti in monte legem N. T. pro omnibus publicavit. Sacerdos in Lucâ dat monita Apostolis pro tempore præsente, nihil insinuans de prædicatione post suam resurrectionem. Ut in sermone montis apud Lucam Sacerdos monita dedit « pusillo gregi » qui venerat post eum, ita Apostolos hìc mittit tanquam cooperatores suos actuales. (*Luc. IX* : 1-5.) Nihil insinuans de futuris persecutionibus, illos ut animosè et fidenter agant impellit dicens : (*v.* 5.) « Et quicumque non receperint vos : exeuntes de civitate illâ, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. » — Postea in Lucâ observat ipse pius Sacerdos primam hanc missionem ab ipso datam ante mortem suam, solummodo tempus præsens spectasse ; rogat enim Apostolos : « Quando misi vos sine sacculo et sine pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ? At illi dixerunt, nihil. » (*Luc. XXII :* 35, 36.)

Ex his duobus exemplis jam licet suspicari longè diversam esse inspirationem et intentionem Spiritûs sancti apud Matthæum qui Regiam Personam Domini, et apud Lucam qui Personam Magnæ Victimæ Sacerdotis repræsentat.

Ut in Lucâ sæpe magis actuales sunt sermones Domini ad discipulos, ita et magis intimi ut videre est ex sequentibus :

In C. XII Lucæ potissimùm exprimit Jesus ut sacerdotalis Victima, intimitatem quæ existit inter se et discipulos actuales : *V.* 4 ait : « Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini... » Et *V.* 32 : « Nolite timere pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. » — Sic per totum Evangelium Lucæ magis cum nucleo actualium discipulorum Jesus conversatur.

(*Matth. C. XI:* 1-6.) « Et factum est cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit indeut doceret et prædicaret in civitatibus eorum. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es qui venturus es, an alium

expectamus? Et respondens Jesus ait illis : euntes renuntiate Joanni quæ audistis et vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. »

(*V.* 5.) « Cæci vident, claudi ambulant, etc. » S. Hilarius et alii putant allusisse Christum ad Isaiam c. XXXV, 5. 6. « Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus; etc. »

In hunc locum ait A Lapide :

Hujus rei symbolo Christus multos cæcos, surdos, claudos etc., corporaliter illuminavit, et curavit, eisque simul spirituale mentis lumen, auditum et gressum restituit, ac a peccatis purgatos gratia sua donavit, ut docet S. Augustinus. »

Quando advenit tempus quo Rex cum suis discipulis, novo regno constituendo allaborat, tunc Joannes Baptista mittit ad eum proprios discipulos, ut ita Regem ac Dominum suum agnoscant eique adhærere incipiant. Jesus e signis quæ facit probat se esse Messiam « qui venturus est; » nec alium esse expectandum : ait eis : « Beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. »

(*V.* 7-15.) « Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus » laudes Joannis apud turbas celebrare.

Per hoc encomium Joannis, Jesus populo demonstrat novum Regnum incepisse : « Joannes Baptista est tanquam nodus legis et Evangelii. In ipso desinit lex ; ex ipso incipit Evangelium. Ipse postremus est veteris testamenti propheta, ac primus novi præco. Ejus ævo adimplenda lex est, et prophetæ quoad Messiam. Joanni succedit Jesus-Christus : antiquo fœderi recens, Synagogæ Ecclesia. Hæc successio, ac legis in Evangelium mutatio, nequaquam momento peragitur; primùm statim perfecta non fuit, sed a Joanne incœpit, a Salvatore post resurrectionem perficienda. (*Apud Calmet Maldon. Brug. Menoch. Grot.*)

« Postremum pergit Salvator, dicens, in Joanne leges et prophetas deficere, ac sub eo incœpturum Regnum Messiæ ; ideo Joannes est ille propheta Elias, (*v.* 14.) de quo loquitur

Malachias (*C. IV* : 5. 6.) : qui præcedere debet adventum magnæ diei Domini, et qui patres cum filiis, atque cum patribus filios reconciliaturus est : hoc est, domestica adempturus dissidia, quæ hactenùs sævierunt, vobis ostendens unicum verum legis, ac magistrorum magistrum, Messiam, Regem, et Liberatorem Israel. » (Iidem auctores.)

Notandum est Lucam in loco parallelo de Joanne ut Eliam præfigurante nihil habere : Præcursor Eliam repræsentans præparat potius adventum Magni Regis Prophetæ. Marcus igitur cum Matthæo iterum post Domini transfigurationem referunt Jesu verba, quibus Joannem dicit esse Eliam qui jam venit. Etiam ibi Lucas silet. — Apud Lucam ante passionem Domini Joannes Baptista præparat populum ad sequendum sacerdotem qui misericorditer vitam, ut victima in sacrificium offeret, et in hoc sensu non vocatur Elias. Sed apud Lucam C. IX. 31 ipsi Moyses et Elias in transfiguratione Domini apparuerunt, sed spiritu omnino diverso ; loquentes enim cum Jesu Sacerdote Victimâ, « dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem, » ad sigillandum novum fœdus proprio sanguine.

Ut apud Matthæum et Marcum Joannes nominatur Elias tanquam introducens Judæos ad novum Regnum Spirituale Ecclesiæ : sic in fine mundi Elias præparabit magnum adventum Regis in æternum super electos regnaturi.

Continuat Matthæus : (*v.* 11.) Ut turba bene intelligat transitionem in regnum excellentius, admonet Jesus : « Qui autem minor est in regno cœlorum major est illo » Joanne.

Ill[mus] Beelen hæc verba interpretatur de minimo servo Domini in Novo Testamento. Dominus novum Regnum super antiquum exaltat.

Hanc interpretationem indicat quoque Calmet. — Menoch. Maldonat. et Toletus ita interpretantur, ut sensus sit, eum qui minor in sanctitate sit in Ecclesia Christi, majorem esse Joanne : non quod Joannes multos, imò plerosque Ecclesiæ filios sanctitate non superet : sed quod ii qui ad Ecclesiam pertinent ratione statûs et legis novæ, quæ filiorum est, majores sint quam filii Synagogæ et veteris legis, quæ erat

servorum. Nam filius minor est major servo maximo. Porrò Joannes plenè ad Ecclesiæ statum non pertinuit, cum ante Christi mortem occisus sit, ante quod tempus Evangelium non habuit statum integrum et perfectum. »

(*V.* 16-19.) « Cui autem similem æstimabo generationem istam. Similis est pueris sedentibus in foro... Et justificata est sapientia a filiis suis. »

Jesus et Joannes ab hujus ætatis hominibus, potissimum tamen a Scribis et Pharisæis ambo rejiciuntur. Rex quamvis non distinguat, magis tamen incitatur in duces populum repræsentantes ; ut ipse Joannes, apud Matthæum, prædicans in deserto, in nomine Regis directe primarios populi aggressus est. Apud Lucam Sacerdos, antequam applicet parabolam puerorum, prius distinguit inter turbas et Pharisæos ; dicitur enim : « Et omnis populus audiens et publicani (laudes Joannis), justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem, et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos non baptizati ab eo. » Tunc Jesus dicit parabolam puerorum, ut distinctè Sacerdotem intelligamus increpantem Pharisæos... postquam misericorditer per Evangelistam bonum spiritum peccatorum et publicanorum monstravit. (*Luc. VII, v.* 29-35.)

Apud utrumque Evangelistam Rex et Sacerdos terminant parabolam his verbis : « Et justificata est sapientia a filiis suis. » Ac si dicerent : discipuli Novi Regis et Sacerdotis suâ fide condemnant incredulitatem aliorum.

(*V.* 20-24.) « Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain.... »

Hier. « Quærat autem pius lector, et dicat : Si Tyrus, Sidon et Sodoma potuerunt agere pœnitentiam ad prædicationem Salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpâ, quod non crediderunt, sed vitii silentium in eo est, qui acturis pœnitentiam noluit prædicare. Ad quos facilis et aperta est responsio ; ignorare nos judicia Dei, et singularium ejus dispensationum sacramenta nesciri. Propositum fuerit Domini Judææ fines non excedere, ne justam Phari-

sæis et Sacerdotibus occasionem persecutionis daret.... Corozaïn et Bethsaïda damnantur quod præsente Domino credere noluerunt. Tyrus et Sidon justificantur quod Apostolis illius crediderunt. Non inquiras tempora, cum credentium intuearis salutem. »

(*V.* 25-27.) « In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater ; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. »

Ex Luca novimus Dominum hæc verba etiam dixisse 72 discipulis redeuntibus de sua missione. (*Luc. X :* 17-22.)

Matthæus secutus est ordinem mysticum inspirationis ut hæc in nomine Regis adversus contemptores Regni pronuntiet, et justificetur providentia ét sapientia Dei a filiis Ecclesiæ.

Chrysostomus etiam prophetiam in favorem gentium intelligit : « Quia sciebat Dominus multos de superiore quæstione dubitaturos, scilicet quod Judæi Christum non receperunt, quem gentilitas tam prona suscepit, respondit hic cogitationibus eorum. »

Præcedentibus, quæ Rex et Sacerdos diversè applicant, seu Regno, seu pusillo gregi discipulorum : in Matthæo manifestè Dominus et Rex supremus addit ea quæ sunt Regis ejusque mansueti Regni solius, dicens :

(*V.* 28-30.) « Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. »

A Lapide sic interpretatur : « Ostensâ Deitatis suæ Majestate, ne quis eâ absterreatur, Christus addit humanitatem, et humanissimè omnes ad se invitat. In Legislatore et Principe, cui summa inest potentia et majestas, summa virtus est benevolentia et mansuetudo. Sic Moyses legislator et dux

Hebræorum, fuit mortalium mansuetissimus. (*Numer XII.*)

« Tollite jugum meum super vos » ait, quasi diceret : tulistis grave et penè intolerabile jugum et onus legis veteris, peccati et concupiscentiæ, venite ad me, ego illud tollam et commutabo in suave jugum legis Evangelicæ, gratiæ et charitatis. » (*Maldon. Jans. ap. A Lap.*)

« Et discite a me quia mitis sum et humilis corde : » id est, ne vereamini ad me accedere et jugum mei Evangelii in collum vestrum suscipere, quin venite et illud suscipite : discetis enim, et reipsa experiemini in me, me non esse tyrannum aut Regem severum et rigidum, sed Dominum humilem, mitem, clementem, benignum. Hunc sensum exigit ratio quam subjicit : « Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. » Et illud : « Et invenietis requiem animabus vestris ; » hanc enim solus præstat Christus. Apud A Lapide.

C. XII.

Introductio in regnum Novi fœderis, seu Sabbatismi Christiani. Novis prodigiis Judæi resistunt, et obstinate sibi claudunt Regnum Cœlorum.

(*V.* 1.) « In illo tempore abiit Jesus per sata Sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas et manducare. »

Vidimus (*C. VIII. Matth. v.* 14, 15) Jesum curasse socrum Petri. Cum Matthæo Marcus et Lucas illud narraverunt. Sed Marcus et Lucas soli narraverunt hoc factum esse in Sabbato. Ibidem Sancti Patres animadvertunt Sabbatum esse etiam intelligendum mysticè, de Sabbato Christiano, seu de requie illâ quam Dominus promisit per suum adventum in hunc mundum.

Hic autem apud Matthæum, incepto jam regno, Rex populo suo in figurâ proclamat « Sabbatismum » de quo loquitur sanctus Paulus. Ibi « invenient requiem animabus suis. » — « Relinquitur, ait Apostolus, Sabbatismus populo Dei. » Festinat (Jesus) introducere discipulos, vel populum

suum « in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. » (*Heb. IV:* 9, 11.)

De cæteris autem incredulis Deus dixit : Semper hi errant corde. Quibus « juravi in irâ meâ, si introibunt in requiem meam. » — In sequentibus obstinatio Pharisæorum monstrabit quantum pondus iræ divinæ super proprium caput provocant.

S. Hilarius, Ambr., Beda hoc facto Apostolorum spicas in Sabbato vellentium, significatum putant, quod ipsi in Sabbato Evangelico, et semine et segete prædicationis collecturi erant grana, id est, fideles electos, quorum fide et pietate et profectu se pascerent : donec eos secum reconderent in horreo cœlesti. Sed Pharisæi invidentes Novæ Ecclesiæ frustra Apostolis obstrepunt et obmurmurant, dicentes : « Ecce discipuli tui faciunt quod non licet in Sabbatis. » (*v.* 2.)

Verba Hilarii in hoc loco sunt : « Ager mundus est. Est ergo Sabbato in agrum profectus ; in legis otio Dominus in hunc mundum progressus est. Esuries famis est salutis humanæ. »

Novimus Ipsum Jesum hanc famem sentisse de salute Samaritanorum, eamque Apostolis manifestasse. (*Joan. IV:* 32-34.)

(*V.* 3-5.) Jesus duplici exemplo Davidis et Sacerdotum in templo Apostolos defendit a calumniâ.

« Notandum, ait Aug., unum exemplum datum esse Regiæ Majestatis de David, alterum Sacerdotalis, de his qui propter ministerium templi Sabbata violant : ut multo minus ad ipsum evulsarum in Sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus Rex et verus Sacerdos est. »

In *v.* 7, 8. Dominus concludit : « Si autem sciretis quid est : misericordiam volo et non sacrificium : nunquam condemnassetis innocentes. Dominus enim est Filius hominis etiam Sabbati. »

Aperte objurgat eos ut Rex et Judex qui venit legem perficere. « Opus enim salutis nostræ, ait Hilarius, non in sacrificio legis, sed in misericordia est : et lege cessante, in Dei bonitate salvamur. Cujus rei donum si intellexissent, « nun-

quam condemnassent innocentes, » id est, Apostolos suos, quos insimulaturi erant transgressæ legis invidiâ, cum sacrificiorum cessante vetustate universis per eos misericordiæ novitas subveniret. »

(V. 9-13.) Manus arida restituitur.

Postquam edocti sumus de intentione generali Sabbati Christiani, conatus instituit Dominus ut Synagogæ hæc requies proficiat, eâque in novo Regno et ipsa fruatur.

Hil. « Post reditum de segete, ex quâ jam Apostoli fructus sationis acceperunt, ad Synagogam venit, jam illic messis suæ opus paraturus, quia plures postmodum unâ cum Apostolis extiterunt qui curabantur. »

Hier. « Usque autem ad adventum Domini Salvatoris arida manus in Synagoga Judæorum fuit : et Dei opera non fiebant in eâ. Postquam autem ille venit in terras, reddita est Apostolis credentibus dextera, et operi pristino restituta. »

In præcedenti invidiâ, quando Pharisæi accusabant Apostolos de transgrediendo Sabbato, manus Synagogæ tabefacta apparuit : nunc autem ob miraculum medicum rejiciunt, et mente homicidâ exardescunt.

(V. 14.) « Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. »

Rab. « Consilium fecerunt quomodo vitam perderent, non quomodo ipsi vitam invenirent ! »

(V. 15.) « Jesus autem sciens recessit inde : et secuti sunt eum multi, et curavit eos omnes. »

Rex antequam introduceret populum suum in sabbatismum Novæ Legis declaravit se esse mitem et corde humilem: quod etiam hic manifestat vitans inimicorum indignationem et odium.

Rem. « Declinavit Dominus odio se persequentes, et pervenit illuc ubi invenit plurimos se per amorem diligentes. Quem Pharisæi unanimi consilio perdere quærunt, turba indocta unanimi dilectione sequitur : unde mox sui desiderii consequantur effectum : nam sequitur : « Et curavit omnes. »

De novo signum mansuetudinis manifestat præcipiendo

« ne eum manifestum facerent; » (*v.* 16) ne ita magis invidia inimicorum arderet.

(*V.* 17-21.) Sequitur oraculum Isaiæ : quod mirè Regis humilitatem proclamat. Sed etiam simul propter pervicaciam Judæorum clarè prænuntiat gentes in Sabbatismum Christianum intraturas: « In nomine ejus gentes sperabunt. » « Ad hoc refertur ait Remigius, quod Rex ipse postea dixit: « Ite docete omnes gentes. » (*Matth. XXVIII.*)

A Lapide in verba : « Judicium gentibus nuntiabit. » (*v.* 18.) Christus quasi legislator legem Evangelicam justissimam, rectissimam et sanctissimam, non solis Judæis, ut Moses, sed omnibus omnino gentibus per Apostolos evangelizabit. »

« Et in nomine ejus gentes sperabunt. » (*v.* 21.) Hebr. pro « gentes : » insulæ, q. e. gentes remotissimæ in insulis habitantes, omnes spes suas collocabunt in Christo Salvatore. »

(*V.* 22.) « Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur et videret. »

In hoc miraculo vident Sancti Patres figuram salutis gentium, postquam Judæi Regem suum rejecerunt.

« Non autem sine ratione cum turbas omnes curatas in communi dixisset, nunc seorsum dæmonium habens, cæcus et mutus, offertur. Oportebat enim, ait Hil., ut postquam manûs aridæ homo oblatus est, qui in Synagogâ curabatur, in unius hujusmodi hominis formâ, gentium salus fieret. »

(*V.* 23, 24.) Rab. « Turbis autem, quæ minus eruditæ videbantur, Domini semper facta mirantibus, illi contra vel negare hæc, vel quæ negare nequiverant sinistra intentione pervertere laborabant ; quasi hæc non divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent. »

(*V.* 25-28.) Jesus probat impossibilitatem « societatis Dei ad Belial » : Exempla communia afferens. Menoch. « Regna et civitates, et domus, quæ seditionibus et domesticis dissidiis in contrarias factiones et partes scinduntur, facilè pereunt ut docet experientia. Non est ergo probabile satanam id agere velle per quod suum regnum destruatur, cum

potius illud omni artificio stabilire studeat. » — Addit Jesus aliud ratiocinium : si utrique ego et filii vestri dæmonia ejicimus : cur de me male, cum idem faciamus, et de illis bene judicatis ?

(*V*. 29.) Rex insinuat se non solum in nomine Dei ut merum hominem ejicere dæmonia ; sed ad hoc venisse ut regnum satanæ in mundo destruat :

« Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? et tunc domum illius diripiet. »

Beda. « In mundo usque ad Salvatoris adventum satanas « fortis » potiebatur imperio, quia in cordibus infidelium sine ulla contradictione quiescebat : sed fortiori potentiâ Christus victor, omnes homines liberando, ipsum ejecit. »

In Apocalypsi legimus durante regno Christi in Ecclesiâ, dæmonium fuisse alligatum : « Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus et satanas, et ligavit eum per annos mille. Et misit eum in abyssum, (hanc pœnam expulsionis in abyssum jam legio dæmonum in terrâ Gerasenorum formidavit, et rogavit mitti in porcos) et clausit et signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni : et post hæc oportet eum solvi modico tempore. » (*C. XX*. 2. 3.)

(*V*. 30-37.) Malitiam Pharisæorum severissime arguit, et eos esse in statu damnationis, quia blasphemant in Spiritum sanctum, aperte declarat. Exemplis arboris bonæ, vel malæ; et hominis de thesauro suo proferentis, ante oculos eorum ponit iniquum modum agendi : ideo verba blasphemiæ quæ loquuntur condemnabunt eos.

(*V*. 38-45.) Pharisæi et Scribæ reprehensi magis obdurantur et quidam ex eis dicunt : « Magister volumus a te signum videre. » (*v*. 38.)

Jam Rex indigne ferens tantam iniquitatem negat se signum daturum aliud quam signum gloriosæ resurrectionis : sed exemplis Ninivitarum et Reginæ Austri, prædicit homines impios a Gentibus futuros esse condemnandos.

Et finaliter (*v*. 43-45) exemplo dæmoniorum qui rever-

tuntur in domum unde exierunt prænuntiat totalem et finalem ruinam statûs Judæorum. Regis judicium ita interpretantur Hier. et Remig. : « Immundus spiritus exiit a Judæis quando acceperunt legem. Expulsus autem a Judæis ambulavit per gentium solitudines, unde sequitur : « ambulat per loca arida. » Rem. « Loca arida appellat corda gentium ab omni humore salutarium aquarum, hoc est, sanctarum Scripturarum, spiritualium donorum, et ab infusione sancti Spiritus aliena. Putabat autem diabolus se perpetuam quietem posse habere in gentili populo, sed subditur : « et non invenit ; » quia apparente Dei Filio, per mysterium incarnationis suæ gentilitas credidit. » Hier. « Quæ cum Domino credidisset, ille non invento loco in nationibus, dixit : « revertar in domum unde exivi. » Habeo Judæos quos antea dimiseram. « Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. » Vacabat enim templum Judæorum, et Christum hospitem non habebat, dicentem : « Surgite, abeamus hinc ! » Quia igitur et Dei et Angelorum præsidium non habebant, et ornati erant superfluis legis observationibus, et traditionibus Pharisæorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam, et septenario numero sibi addito dæmonum, habitans pristinam domum, et fiunt novissima hujus populi pejora prioribus : multo enim nunc majore dæmonum numero possidentur blasphemantes in Synagogis suis Christum Jesum, quam in Ægypto possessi fuerant ante legis notitiam; quia aliud est venturum non credere, aliud non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adjunctum diabolo, intellige propter numerum Spiritûs sancti, ut quomodo in Isaiâ (*C. XI.*), super florem qui de radice Jesse descendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur, ita e contrario, vitiorum numerus in diabolo consecratus sit. Pulchrè ergo « septem spiritus assumi dicuntur, propter criminalia peccata, quæ contraria sunt septem donis Spiritus sancti. »

(*V.* 46-50.) Mater et Fratres Jesu-Christi.

Post prædictionem ruinæ Israël, Rex intimat misero populo, nihil ipsi profecturam esse carnalem consanguinitatem, cum tanta perversitate Deo et Messiæ ab eo misso resistant :

« Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ait Jesus ; ipse meus frater, et soror et mater est. » (v. 50.)

Hier. « Salvator loquitur ad turbas, intrinsecus erudit nationes : Mater ejus et fratres, hoc est Synagoga, et populus Judæorum foris stant. Cumque rogaverint et quæsierint, et nuntium miserint, responsum accipient : liberos eos esse arbitrii, intrare posse si velint ipsi credere.

C. XIII.

Septem parabolæ characteres universalis Ecclesiæ insinuantes.

Postquam monstravit quinam introducendi sunt in Sabbatismum populi Dei, Rex in septem parabolis tradit delineationem generalem universalis Ecclesiæ omnes nationes comprehendentis. In pœnam incredulitatis Judæorum loquitur obscure in parabolis, quia, dum quæ perspicuè et dilucidè illis dicebantur intelligere noluerunt, illud meruere ut ita illis loqueretur, ut etiam si vellent intelligere non possent.

Postquam locutus fuit multitudini in quatuor primis parabolis, quarum primam seorsim explicavit discipulis, secundam autem in domo « dimissâ turbâ » : coram solis discipulis in domo addit tres alias parabolas ad complendam Historiam Ecclesiæ : in quibus narrandis, dat simul discipulis ut intelligant.

Hier. « Ad Apostolos enim propriè sermo est, quos non vult audire tantùm ut populum, sed etiam intelligere ut magistros futuros. »

« Mystice, ait Rab., dimissâ turbâ tumultuantium Judæorum, ingreditur in Ecclesiam, et ibi fidelibus exponit Sacramenta cœlestia. »

1. Parabola de semine : 1° Exponit tria obstacula quominus semen fructum afferat. 2° Distribuit bonam terram quæ fert fructum in tres classes, juxta tres gradus virtutum ; vel juxta diversos hierarchiæ gradus.

In hâc parabolâ demonstrat Jesus quanto zelo saluti om-

nium incubuit. Chrys. « Qualiter habuit rationem inter spinas seminare, et super petram et in viâ? In seminibus quidem et in terrâ (materialibus) non haberet utique rationem : non enim est in potestate petræ fieri terram, neque viæ non esse viam, neque spinæ non esse spinam ; in animabus autem et doctrinis multam habet hoc laudem : possibile enim est petram fieri terram pinguem, et viam non ultra conculcari, et spinas destrui. Quod igitur plus seminis periit, non est ab eo qui seminat, sed a suscipiente terrâ, id est, ab animâ : ipse enim qui seminat, non divitem, non pauperem discernit ; non sapientem, non insipientem, sed omnibus loquebatur, quod a seipso erat complens : prævidens tamen quæ futura erant, ut liceat ei dicere : « quid me oportuit facere, et non feci ? » (*Isai.* 5.) Ideo autem non dicit manifestè quoniam hæc susceperunt desides et perdiderunt ; hæc autem divites et suffocaverunt ; hæc autem molles, et perdiderunt ; quia noluit eos vehementer tangere, ut non in *diffidentiam* mittat. « ἀπόγνωσιν. »

(*V.* 9-23.) Discipulis rationem reddit de modo agendi erga eos qui foris sunt : præceptum in lege dederat : « nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos. » (*Matth. VII* : 6.)

Ne igitur increduli contemnant obscure et enigmaticè loquitur, ait A Lapide.

Deinde Parabolam discipulis exponit.

2° Parabola loliorum. Ecclesiam Christi repræsentat ut continentem bonos et malos. « Sinit utrosque multiplicari usque ad messem. » Semper in agro Ecclesiæ spes nutritur ut mali boni fiant. In tempore autem messis separatio fit bonorum et malorum. (24-30.)

3° Parabola grani sinapis. Significat magnam extensionem Ecclesiæ. (Beelen.) (31-32.)

4° Parabola fermenti. Significat generalem extensionem. (Beelen.) (33.)

(*V.* 35) Loquendo in parabolis prophetiam Rex implevit: « Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. »

Desumpta sunt hæc verba, etsi non ad litteram, ex (*Ps. LXXVII : 2.*) — A Lapide : « Citat Christus hunc Psalmum qui per totum ad litteram commemorat et celebrat beneficia a Deo præstita Synagogæ, id est, populo Israelitico, ab initio, id est, ab egressu ex Egypto, duce Moyse, transituro per mare rubrum in terram promissam, usque ad Davidem ; ut per ea excitet populum ad gratitudinem Deique amorem et cultum. »

Ill^mus Beelen. « Asaph scriptor est Ps. 77. Ipse erat propheta (*II. Paral. XXIX : 30*), et in hâc qualitate etiam typus Christi. Modus docendi Asaph figurabat dicendi modum quo Christus etiam uteretur. »

(*V.* 36.) « Tunc dimissis turbis, venit in domum : et accesserunt discipuli ejus dicentes : edissere nobis parabolam zizaniorum agri. »

Chrys. « Dimittunt parabolam fermenti et sinapis ut manifestiores ; interrogant autem de parabolâ zizaniorum, quia habet convenientiam ad præmissam parabolam de semine, et aliquid amplius ostendit. »

(*V.* 38-42.) « Ager autem est mundus... » Totum hominum genus : declarat Rex non tantùm Evangelium ad Judæos pertinere, sed ad omnes gentes. Mundus igitur hic significat Ecclesiam in totâ suâ extensione, (Beelen) cum bonis et malis christianis : qui sunt « filii Regni, et filii nequam. » Boni et mali miscentur in agro Ecclesiæ ; sed venit tandem dies separationis : quæ determinat æternam felicitatem, vel calamitatem.

(*V.* 43.) « Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum. » — Regia erit majestas electorum summi Regis. In transfiguratione Domini « resplenduit facies ejus sicut sol. » (*Matth. XVII : 2.*)

Quæ V. 40-42 dicuntur de separatione bonorum et malorum ; iterùm in alio loco apud Evangelistam Regalem directè tribuuntur ipsi Regi : « Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis. » (*Matth. XXV : 32.*)

Quod unitatem inspirationis hujus Evangelii Matthæi bene probat.

5° Parabola thesauri. Significat omnia reliquenda esse ad doctrinam evangelicam obtinendam : tanta est ejus dignitas. (Beelen.)

6° Parabola margaritæ. Ill^{mus} Beelen credit eam eumdem sensum habere ac præcedentem.

Mystice videntur ager et mare, ubi thesaurus et margarita inveniuntur, respicere Judaismum et Gentilitatem. (44-46.)

7° Parabola sagenæ missæ in mare. « Hæc parabola idem docet, ait Ill^{mus} Beelen, ac parabola zizaniorum agri. » (*v.* 47-50.) — Rab. « Cum venerit finis mundi, tunc verum secernendorum piscium iudicium demonstrabitur ; et quasi in quodam quietissimo portu, boni mittentur in vasa cœlestium mansionum ; malos autem torrendos et exsiccandos gehennæ flamma suscipiet. »

(*V.* 51, 52.) Apostoli tres ultimas parabolas audierunt et etiam ut fatentur intellexerunt. Ideo Dominus ait illis : « Omnis Scriba doctus in regno cœlorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. » Ut patres familiâs Ecclesiæ, Apostoli Dominum suum imitantes, populum instruent, omnia accommodantes tum capacitati intellectûs, tum necessitatibus eorum.

Hier. « Apostoli instructi Scribæ dicuntur, quasi notarii Salvatoris ; qui verba illius et præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus (*II Cor. III.*) : et pollebant opibus Patris familias, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova et vetera ; ut quicquid in Evangelio prædicabant, legis et prophetarum vocibus comprobarent. »

Infructuosa prædicatio Jesu in Patria.

(*V.* 53-58.) Transivit inde in patriam suam Jesus, docens in Synagogis : « Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum. » (58.)

Coegerunt igitur Dominum ut ipsis loqueretur in parabolis Judæi : nam de universâ natione dici poterat a Domino : « Non est propheta sine honore, nisi in patriâ suâ et in domo suâ. » (*v.* 57.)

Propriâ cæcitate fecerunt ut quod possidebant Regnum filiorum Dei ad alios transferretur.

C. XIV, XV.

In hâc nova serie, post mortem Joannis, Evangelista mystice historiam N. T. summatim tradit figuratam diversis miraculis quinque et septem panum, et cura filiæ Chananeæ et aliorum. Improperiis in Pharisæos pronuntiatis a Jesu propter eorum hypocrisim.

C. XIV. (*V.* 1-11.) Mors Joannis. Narrat Josephus, Antiq. XVIII, vinctum Joannem in castellum Macheronta adductum, ibique truncatum.

J. M. Péronne. « Supponi potest tempore mortis Joannis Tetrarcham bellum gessisse cum socero suo Areta, et Macheronta elegisse habitationem, quia in limite hostium territorii situm erat. In medio castello magnificum erat palatium, ubi Tetrarcha, durante hoc bello, residebat. Tiberias autem erat ejus habitatio ordinaria. »

(*V.* 12, 13.) « Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud : et venientes nuntiaverunt Jesu. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in naviculâ, in locum desertum seorsum: et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. »

Hilar. « Finitis igitur legis temporibus et cum Joanne sepultis: et discipuli ejus res gestas Domino annuntiant, ad Evangelia scilicet ex lege venientes. »

Hilar. « Mysticè Dei Verbum lege finitâ, navim conscendens Ecclesiam adiit, in desertum tendit. Relictâ quippe conversatione Israel, in vacua divinæ cognitionis pectora transit. Turba autem hoc audiens, Dominum de civitate sequitur in desertum, de Synagogâ videlicet ad Ecclesiam tendens: quam videns misertus est, et omnem languorem infirmitatemque curat: obsessas scilicet mentes, et corda infidelitatis vitio ad intelligentiam novæ prædicationis emundat. »

(*V.* 14.) « Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus... (sequitur miraculum quinque panum.) » (*v.* 15-21.)

Hier. « Omnia autem hæc plena mysteriis sunt : hoc autem facit Dominus, non manè, non meridie, sed vespere quando sol justitiæ occubuit. »

Rem. « Post vesperam enim mors Domini designatur, quia postquam ille verus sol in arâ crucis occubuit, famelicos saturavit. »

« Adhucusque, ait Hil., Judæi continebantur et quasi alebantur quinque panibus, id est, quinque libris legis. » Et duobus piscibus quod S. Aug. in Joan. de Rege et Sacerdote interpretatur. — Hilar. de prophetarum et Joannis prædicationibus. — Plurimi sanctorum Patrum quinque panes de quinque libris Moysis intelligunt.

Rab. « Turbis autem esurientibus non nova creat cibaria, sed acceptis eis quæ habebant discipuli, « benedixit : » quia veniens in carne non alia quam quæ prædicta sunt prædicabat, sed legis et prophetarum scripta mysteriis gravida esse demonstrat. Quod autem superest turbis, a discipulis tollitur, quia secretiora mysteria quæ a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda, sed per duodecim Apostolos qui per duodecim cophinos signantur, et ab eorum successoribus diligenter inquirenda. »

Hier. « Comederunt autem quinque millia virorum, qui in perfectum virum creverant, mulieres autem et parvuli, sexus fragilis, et ætas minor numero indigni sunt. Unde et in numerorum libro, servi, mulieres et parvuli et vulgus ignobile absque numero prætermittitur. »

Quia tamen in Regno Spirituali Christi existunt, quamvis numero indigni, ideo Matthæus in suo Evangelio de Regno Christi, eos memorat. Marcus et Lucas eos non memorant, sed solùm eos qui amantes sunt doctrinæ Divini Doctoris et sequelæ Sacerdotis Jesu ; etiam Joannes de solis viris loquitur : ii enim soli Deum suum vero amore agnoscere valent qui viri perfecti facti sunt.

(V. 22, 23.) « Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. Et dimissâ turbâ, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi. »

Hil. « Quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit, cæteris trepidatione dilapsis. »

Tempore autem resurrectionis « quartâ vigiliâ noctis » redit ad Apostolos, et serenitatem reddit cordibus eorum. Petrus ambulans super mare, ait Hilar., designat affectum sequendi Dominum suum tempore passionis. « Sed infirmitatem futuræ tentationis timiditas ejus ostendit: per metum enim mortis usque ad negandi necessitatem coactus est: clamor autem ejus pœnitentiæ ejus gemitus est. »

Aug.. « In uno Apostolo Petro, in ordine Apostolorum primo ac præcipuo, in quo significatur Ecclesia, utrumque genus significandum fuit, id est, firmi in hoc quod super aquas ambulavit, et infirmi in hoc quod dubitavit. »

Quæ mystica Augustini interpretatio explicat quare solus Matthæus Evangelista Spiritualis Regni loquatur de Petro super aquas hic ambulante.

(V. 32, 33.) Post resurrectionem suam quando Dominus Ecclesiam Apostolorum junxit ab eis adoratur ut Filius Dei « Verè Filius Dei tu es. »

(V. 34-36.) Viri Genesar, quo post navigationem Jesus venit, figurant Judæos jam ad fidem conversos ante passionem. Cæteros electos populi sui ad Dominum adducunt ut salvi fiant.

Hilar. « Finitis legis temporibus, et ex Israel quinque millibus virorum intra Ecclesiam collocatis, jam credentium populus occurrit, jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque offerunt Domino, oblatique fimbrias vestimentorum contingere optabant, salvi per fidem futuri. »

C. XV. (V. 1-20.) Illotæ manus. Traditiones humanæ.

Rab. « Homines Genesareth et minus docti credunt, sed qui sapientes videntur ad pugnam veniunt juxta illud, « abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea

parvulis. » Unde dicitur : « tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ et Pharisæi, dicentes, quare discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lavant manus suas cum panem manducant. » (*v.* 1, 2.)

Videtur Dominus in objurgatione hypocrisis Pharisæorum, et in rejectione traditionum humanarum præfigurare quomodo post resurrectionem suam Ecclesia separabitur a Synagogâ corruptâ. Ipse Dominus declarat Apostolis quod « omnis plantatio, quam non plantavit Pater Cœlestis, eradicabitur. » (*v.* 13.) Sese personaliter cum Apostolis suis a ducibus Synagogæ separat, dicens : « Sinite illos : cæci sunt et duces cæcorum : cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. » (*v.* 14.)

Chrys. notat. « Considerandum est quod quando ab escarum observatione Judæos eripuit, tunc et gentibus januam aperuit. Sicut et Petrus primus in visione jussus est hanc legem solvere, et post ad Cornelium mittitur. Simul idem S. Pater animadvertit quantâ prudentiâ respondet Apostolis, quando Petrus eorum nomine rogat, ut edisserat parabolam de esca. « Non quod intrat in os coïnquinat hominem : sed quod procedit ex ore, hoc coïnquinat hominem. » (*v.* 11.)

« Adhuc discipulis secundum Judaicam infirmitatem respondit, dicit enim quoniam cibus non manet, sed egreditur, quamvis etsi maneret, non faceret immundum. Sed nondum hæc audire poterant, propter quod Moyses tantum tempus dicit esse immundos, quantum cibus intus manet. In vespere enim jubet lavari et mundum esse, quasi tempus digestionis et egestionis dimetiens. » Rem. « Nominatis autem vitiis quæ a divinâ lege prohibentur, pulchre Dominus subjungit : Hæc sunt quæ coïnquinant hominem. » Et quia his divinis præceptis præferebant suas traditiones, concludit : « Non lotis autem manibus manducare non coïnquinat hominem. » (*v.* 15-20.)

Chrys. « Non autem dixit, escas a lege prohibitas manducare, non coïnquinat hominem, ut non possent illi contradicere, sed concludit de illo, de quo disputatio erat. »

(V. 21-28.) « Et egressus inde Jesus, secessit in partes Tyri et Sidonis. » (v. 21.) Filia Chananææ curatur.

Chrys. « Si quis autem quærat : cum discipulis suis dixerit : « in viam gentium ne abieritis : » qualiter hanc ambulat viam ? primum quidem illud dicemus : quia non erat obnoxius præcepto quod dederat discipulis. Secundo autem, quia neque ut prædicaturus abiit. Unde Marcus dicit : « quoniam occultavit seipsum. »

Rem. « Allegoricè mulier Chananæa Ecclesiam significat de gentibus congregatam : per hoc nempe quod Dominus relictis scribis et pharisæis venit in partes Tyri et Sidonis præfigurabatur, quia relicturus erat Judæos, et transiturus ad Gentes : est autem hæc mulier egressa a finibus suis, quoniam Ecclesia Sancta recessit a pristinis erroribus et vitiis. »

Hier. « Filia hæc gentilis est Ecclesia gentium, quæ a salute exclusa per Dei justitiam, in eam per fenestram misericordiæ irrupit effractis regni cœlorum portis. » (v. 28.)

August. de Quæst. Evang. « Quod et puerum centurionis, et filiam Chananææ mulieris, non veniens ad domos eorum sanat, significat gentes ad quas non venit salvas fore per verbum suum. Quod rogantibus filii sanantur : intelligenda est persona Ecclesiæ, quæ sibi est et Mater et filii. Nam simul omnes quibus constat Ecclesia mater dicitur, singuli autem iidem ipsi filii appellantur. »

(V. 29-38.) « Et cum transisset inde Jesus venit secus mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. » — Magnam ibi multitudinem Jesus curat. — Deinde septem panibus nutrit quatuor millia hominum.

Rab. « Mysticè autem cum filia Chananææ salutem præfigurasset gentium, « transit inde » et venit iterum in terram Israel : quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvus erit. »

In V. 30, 31 turbæ multæ quæ ægrotos omnis generis ad pedes Domini projiciunt, quos ipse curat ; et admiratio turbarum quæ « magnificabant Deum Israel » bene præfigurant gratias extraordinarias quas Deus in fine sæculorum, propter

conversionem Judæorum, effundet super omnes gentes; juxta verba Sancti Pauli ad Rom. XI : 15 : « Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi : quæ assumptio nisi vita ex mortuis. »

Septem panibus (*v.* 32-38) nutrit Jesus quatuor millia hominum.

Hil. « Sicut autem illa turba quam prius pavit, judaicæ credentium convenit plebi, ita hæc populo Christiano comparatur, quod verò quatuor millia virorum congregantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur. »

V. Beda. « Hoc vero typice inter hanc refectionem, et illam quinque panum et duorum piscium distat, quod ibi littera veteris testamenti spirituali gratiâ plena significata est, hic autem veritas et gratia novi testamenti fidelibus ministranda monstrata est. »

Hier. « Septem panes dona sunt Spiritûs sancti. »

Beda. « Quod enim Dominus panes fregit, apertionem significat Sacramentorum : quod gratias egit, ostendit quantum de salute humani generis congaudeat : quod panes discipulis dedit, ut turbæ apponerent, significat quia spiritualia dona scientiæ tribuit Apostolis, et per eorum ministerium voluit Ecclesiæ suæ cibaria vitæ distribui. »

(*V.* 37.) « Comederunt omnes et saturati sunt. Et quod superfuit de fragméntis, tulerunt septem sportas plenas. » In primo miraculo quinque panum numerus in cophinis reliquiarum erat immutandus : quinque enim libri legis cedere locum debebant doctrinæ duodecim Apostolorum. Hic autem numerus panum, et numerus sportarum idem manet. Quasi vellet Spiritus sanctus insinuare numerum perfectum gratiarum in Ecclesiâ militante transmutandum esse in numerum perfectum donorum glorificationis electorum in cœlis. Ab ubertate domus Dei satiabuntur in æternum electi.

(*V.* 39.) « Et dimissâ turbâ, ascendit in naviculam : et venit in fines Mageddan. »

In transfretatione Apostolorum post miraculum quinque panum, Dominus non erat cum eis. Ipse remanserat in

monte solus. Ibi figurabatur solitudo Apostolorum tempore passionis. Et quarta vigilia noctis quando suos conjunxit figurabat resurrectionem ejus. Hic autem dum dicitur, « Et dimissa turba, ascendit in naviculam, » videtur significari præsentia Regis in Ecclesia sua, quam postea promittit. (*Matth. XXVIII, v.* 20.) « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. » Et etiam dum additur in fine « venit in fines, Mageddan, » præfigurari videtur quomodo cum suis navim Ecclesiæ in fine mundi ad cœlestes portus appellet.

C. XVI, XVII : 1-13.

Postquam in figuris et parabolis Rex plurima gessit et locutus est, ad mysterium Regni significandum ; ejusque usque in finem mundi historiam diversimode sæpius contexit : nunc absque figuris incipit directè nuntiare quid brevi fiet. Mysteria constitutionis, seu summi gubernii Ecclesiæ suæ ; et mysteria passionis tanquam Regni fundamenta, aperte docet. Deinceps in transfiguratione demonstrat quomodo in gloriam suam intrabit.

C. XVI. 1. « Et accesserunt ad eum Pharisæi et Sadducæi tentantes : et rogaverunt eum ut signum de cœlo ostenderet eis. »

Rem. « Admiranda quippe est cæcitas Pharisæorum et Sadducæorum. Sic enim rogabant signum de cœlo, quasi ea non essent signa quæ facere videbatur. Ipse vero inspiciens cogitationes eorum ut Deus, et sciens quod si etiam signum de cœlis eis ostenderet non crederent, noluit eis dare signum quod postulabant. Unde sequitur : « At ille respondens, ait illis : facto vespere dicitis : serenum erit, rubicundum enim est cœlum.... »

Hieron. « Sensus manifestus est, quod ex elementorum ordine et consonantia possunt et pluviosi et sereni dies prænosci. Scribæ autem et Pharisæi, qui videbantur legis esse doctores, ex prophetarum vaticinio non poterant cog-

noscere Salvatoris adventum. Ideo « relictis illis abiit. » (*v.* 4.)

(*V.* 5-12.) « Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere. Qui dixit illis : intuemini et cavete a fermento Pharisæorum et Sadducæorum... quare non intelligitis quia non de pane dixi vobis?... »

Chrys. « Increpatio Domini Apostolos a Judaicis observationibus abduxit : desides existentes, attentiores fecit, et a parvâ fide eos eripuit : ut non timeant si quando paucos panes habere videantur, neque pro pane solliciti sint, sed hæc despiciant universa. »

In mysterio transfretationis et in ipsis verbis Rex totaliter Ecclesiam suam a Synagoga separat, non vult ut ullum in eâ vestigium fermenti Pharisæorum remaneat. Ipsi Apostoli « intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrinâ Pharisæorum et Sadducæorum. » (*v.* 12.)

(*V.* 13-19.) « Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens : quem dicunt homines esse Filium hominis?.... »

Chrys. « Postquam discipulos a Pharisæorum doctrinâ removerat Dominus, longe eos a Judæis abducit, ut ab omni timore eruti, libere discant. »

Notat Rab. « Non solùm verba et facta Domini, verum etiam itinera ac loca in quibus virtutes operatur et prædicat, cœlestibus sunt plena sacramentis. »

(*V.* 13, 15.) « Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt... Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus... »

Ait Chrys. « Quando Dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent : sed omnibus discipulis interrogatis, Petrus tanquam os Apostolorum et caput, pro omnibus respondet : « Tu es Christus Filius Dei vivi. » (*v.* 16.)

Primatus Petri.

(*V.* 17.) « Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es Simon Bar-Jona; quia caro et sanguis non revelavit tibi,

sed Pater meus qui in cœlis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis. »

Confessio Petri narratur a tribus Evangelistis Matthæo, Marco et Luca: quasi a Spiritu sancto insinuaretur Messiam esse « Filium Dei vivi, » Regem, Prophetam et Sacerdotem. Unus Matthæus narrat promissionem Jesu: Ipse repræsentat Regem qui gubernium universale Ecclesiæ Petro commissurus est.

Calmet. *v.* 18. « Tu es Petrus, etc. » Petrus es et nomine et effectu; (Syriace Kipho, petra) omnem possides petræ soliditatem, ac super te Ecclesiam meam ædificabo, et constituam locum cætus fidelium meorum, quemadmodum domus supra petræ soliditatem statuitur. Patet, in præsentia aliorum Apostolorum, hæc uni Petro dici, et per hæc verba Jesum-Christum illi polliceri non Apostolatus tantummodo dignitatem, quam jam pridem illi pollicitus fuerat, sed hanc quoque gloriam, quod futurus sit Ecclesiæ basis, columna, fulcrum. Jesus-Christus est essentiale fundamentum, invisibile caput, sponsus Ecclesiæ. Omnes simul Apostoli fundamenta sunt, ut Scripturæ verbis utar: « Superædificati super fundamentum Apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo-Jesu. » Sed Petrus solus gavisus est primatu; ipse solus cum successoribus suis est Princeps Apostolorum repræsentans in terris angularem lapidem et essentiale fundamentum Christum-Jesum.

« Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Jesus-Christus Ecclesiam nuper ædificio comparavit: illud vero hic ait nunquam commotum iri ab ullis oppugnationibus adversis: « Descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram. » Maldonatus super hæc verba: « Portæ inferi non prævalebunt adversus eam: » Jesu Christi Ecclesia dæmoni, ac inferno bellum indicet, ac inde præclaram victoriam reportabit.

(*V.* 19.) « Et tibi dabo claves Regni Cœlorum. »

Calmet. Clavis nonnunquam supremam significat potestatem. In Apocalypsi C. III, 7, Dei Filius describitur, manu claves David gerens : « Qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit ; claudit et nemo aperit. » Clavis nonnunquam indigitat præfecturam, vel auctoritatem in Principis domo. Promittit Isaias C. XXII v. 22, Eliacim futurum regiæ domus Juda curatorem : « Et dabo clavem David super humerum ejus, et aperiet, et non erit, qui claudat ; et claudet, et non erit qui aperiat. » Jesus-Christus eamdem pro ratione Sancto Petro in Ecclesia sua dignitatem pollicetur, quam Isaias Eliacim in aula regum Juda. Tu deferes clavem Ecclesiæ meæ, regnique cœlestis. Tu aperies et claudes. Quidquid feceris, probe factum esto ; quidquid vetueris, vel præceperis, nunquam antiquabitur. Maldon. Menoch. Brugens....

Aliud etiam Salvator addit, quod magnitudinem dignitatis S. Petri, ac potestatis ejusdem excellentiam ostendit : « Quodcumque ligaveris, (prohibueris, vel damnaveris) super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris, (absolveris, permiseris) super terram, erit solutum et in cœlis ; hoc est, Dei Filius in cœlo, ratum faciet, confirmabitque, quidquid in nomine ejus Apostolus fecerit in terra.

Ostendit Ligtfoot multa congerie locorum ex Judaicis libris desumpta verba hæc ligare et solvere in Hebræorum lingua significasse permittere vel prohibere : juridice aliquid licitum, vel illicitum declarare.

Verba ligare et solvere desumpta sunt ex usu antiquo Hebræorum : solvendo domus aperiebatur, claudebatur ligando. (Calmet. dissert. de domibus Hebr.)

Quia Petrus cor docile præbuit revelationi æterni Patris, qui in cœlis est, atque invicta fide confessus est divinitatem Christi regis ac Domini sui : Ipse Rex promittit confitenti Petro summum gubernium, seu « claves Regni Cœlorum. » Mirabilis hic est inspiratio Evangelii si instituamus comparationem inter hunc locum et locum Joannis ubi Filius Dei incarnatus gregem suum actualiter credit Petro : Ubi agitur in Matthæo de Regno spirituali Christi, omnibus diebus,

usque ad consummationem sæculi duraturo, fundatur supra Petram immotam invincibilis fidei Principis Apostolorum. Sed quia Regnum spirituale Christi non solùm est regnum fidei et veritatis, sed ante omnia regnum charitatis, quia « Deus est charitas ; » ubi totum gregem jam actu Filius Dei credit Petro in Joanne, dicendo : « Pasce agnos meos, pasce oves meas, » ponit supremus Pastor charitatem ut fundamentum totius ædificii. Qui omnia novit, scit Petrum amare Filium Dei Incarnatum ; et ideo Petrus non tantum suscipiet Regnum charitatis, sed et ipse ad imitationem Magistri dabit animam pro ovibus suis. (*Joan. XXI.* 15-18.)

Nota. Sequuntur paucæ annotationes sanctorum Patrum :

(*V.* 17-19.) « Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. » Hier. « Ac si dicat : quia tu mihi dixisti, tu es Christus Filius Dei vivi : et ego dico tibi, non sermone casso, et nullum opus habente, sed dico tibi : quia meum dixisse, fecisse est. « Quia tu es Petrus. » Sicut enim ipse lumen Apostolis donavit, ut lumen mundi appellentur, et cæteri qui a Domino sortiti vocabula sunt : ita et Simoni qui credebat in petram Christum, Petri largitus est nomen. Secundum autem metaphoram Petræ recte dicitur ei : ædificabo Ecclesiam meam super te : et hoc est quod sequitur : « et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. » Hilar. Est autem in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernales leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret. Unde ad ostendendam firmitatem Ecclesiæ supra petram fundatæ, subditur. « Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. » Glossa. « Id est, non separabunt eam a charitate meâ et fide. » Hier. « Ego portas inferi vitia reor atque peccata : vel certè hæreticorum doctrinas per quas illecti homines ducuntur ad tartarum. »

Chrys. « Deinde et alium Petri dicit honorem : q. e. sicut pater dedit tibi me cognoscere, ita et ego aliquid dabo tibi, scilicet claves regni cœlorum. « Et quodcumque ligaveris... » Orig. « Vide autem quantam potestatem habet Petra, super quam ædificatur Ecclesia ejus, ut etiam judicia maneant

firma quasi Deo judicante per eam. » Addit Chrys. « Vide autem qualiter Christus reducit Petrum in excelsam de ipso intelligentiam. Hæc enim ei se promittit daturum, quæ sunt propria Dei solius, scilicet peccata solvere, et Ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum et tentationum procellas. »

(*V.* 20.) « Tunc præcepit discipulis suis, ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus-Christus. »

Hier. « Quasi diceret : tunc me prædicate quum ista passus fuero, (*v.* 21. Prædicit passionem et resurrectionem.) quia non prodest Christum publice prædicare, et ejus vulgare in populis majestatem, quem post paululum visuri sunt flagellatum et crucifixum. »

Nota. C. XVII. 9. Eamdem prohibitionem facit post transfigurationem : « Præcepit eis Jesus dicens : nemini dixeritis visionem donec Filius hominis a mortuis resurgat. »

(*V.* 22, 23.) Petrus corripitur. Chrys. « Quid etiam mirabile est hæc pati Petrum, quia de his revelationem non suscepit. Ut enim discas quod neque illa quæ de Christo confessus fuerat, ex se locutus est, vide qualiter in his quæ non revelata sunt ei, turbationem patiatur ; humanâ enim et terrestri cogitatione quæ sunt Christi considerans, æstimabat turpe et indignum esse ei quod pateretur. Et ideo Dominus subjecit : « quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum. » Petrus ut plerique Judæorum tempore adventus Messiæ : nullam habebat de Salvatore passuro ideam.

Lucas hæc omisit : nonne intentio Spiritus sancti fuit monstrare in Matthæo carnalem sensum Petri, qui non intelligit regem opprobrii et dolorum ? cum attributa ejus sacerdotii ipsum lateant ? — Lucas repræsentat Sacerdotem et Victimam : Opprobrium et dolores sunt partes propriæ Jesu in hâc qualitate. Ergo oppositionem Petri pati Jesus non potest ubi omnimodè est ipsi proprium quod pro genere humano immoletur.

(*V.* 24-27.) Deinde tradit Rex disciplinam Novi Regni : quæ jubet propriam abnegationem portando crucem. Eadem docet Doctor in Marco, et Sacerdos in Lucâ. Christus immo-

lavit majestatem regiam, sapientiam propheticam, sanctitatem sacerdotalem, factus hostia crucis : triplicem sequelam Domini omnis Christianus imitari debet, quia Christianus est alter Christus. Decebat igitur tres Evangelistas docere quomodo oportet omnem Christianum sese præparare ad futurum adventum Filii hominis in majestate. Qui enim scandalizatus fuerit de cruce Domini, vel stultitiam crucis despexerit erubescet eum Filius hominis quum venerit in majestate Patris sui.

« Tunc (Rex ut justus judex) reddet unicuique juxta opera ejus. » (*v.* 27.)

(*V.* 28.) « Amen, dico vobis : sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno suo. »

Hier. « Poterat autem Apostolorum tacita cogitatio istius modi scandalum sustinere : « Occisionem et mortem nunc dicis esse futuram ; quod autem promittis te affuturum in gloriâ, in tempora longa differtur. » Prævidens ergo occultorum cognitor quid possent objicere, præsentem timorem præsenti compensat præmio, dicens : « Amen dico vobis, sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in Regno suo. »

Chrys. « Volens ergo monstrare quid est illa gloria in quâ postea venturus est, eis in præsenti vitâ revelavit (sicut possibile erat eos discere), ut neque in morte Domini jam doleant. Remig. « Quod ergo hic dicitur impletum est in tribus discipulis, quibus Dominus transfiguratus in monte gaudia æternæ repromissionis ostendit ; qui viderunt eum in regno suo venientem, id est, in eâ claritate fulgentem, in quâ, peracto judicio, videbitur ab omnibus sanctis. »

Ill^mus Beelen cum aliis interpretantur Christum in Regno suo venturum evidentiori modo pro omnibus ut protector Ecclesiæ, et vindex infidelis Synagogæ, in excidio Jerosolymitano per Titum et Romanum exercitum.

(*C. XVII.* 1-13.) Transfiguratio. Joannes vocatus Elias.

(*V.* 2.) « Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. »

Chrys. « Assumpsit Dominus secum Petrum et Jacobum et Joannem, quoniam aliis potiores erant. » Erant tanquam columnæ ædificandæ Ecclesiæ.

Solus Matthæus describit transfiguratum vultum Domini : Rex ostenditur ut sol justitiæ Filius Dei. Ipsi electi tanquam Regiæ Majestatis participes « fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum. » (*Matth. XIII:* 43.)

(*V.* 3.) « Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes. »

Hil. « Quod etiam Moyses et Elias ex omni Sanctorum numero assistunt, medius inter legem et prophetas Christus in regno est : cum his enim Israelem (quibus testibus prædicatus est) judicabit. »

(*V.* 4.) « Respondens autem Petrus dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. »

S. Hieron. docet quomodo errabat Petrus, necdum capiens legem et Prophetas esse pædagogos ad Christum, et Christo locum dantes, ut ipse sit « caput Ecclesiæ. »

« Erras Petre, ait, et sicut alius Evangelista testatur, (*Luc. IX.*) « nescis quid dicas : » noli tria tabernacula quærere, cum unum sit Tabernaculum Evangelii, in quo lex et prophetæ recapitulanda sunt. »

Vox de nube errorem Petri corrigit, docendo Filium Dei esse deinceps audiendum.

(*V.* 5.) « Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. »

Idem Patris testimonium accepit Jesus in baptismo, sed hic additur : « Ipsum audite. » Ipse enim est Pater familias, qui profert de thesauro suo nova et vetera : recapitulans in Evangelio suo legem et prophetas.

Remig. « Ipsum audite, » ac si aliis verbis diceretur : recedant umbræ legales et typi prophetarum, et solum coruscum lumen Evangelii sequamini. »

(*V.* 6-8.) Ad quod significandum, postquam terrore perculsi Apostoli in faciem ceciderant, et per tactum Jesu resur-

rexerunt: « Levantes oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. » (v. 8.)

Hier. « Vident Jesum stantem ablatâ nube, et Moysen et Eliam evanuisse; quia postquam legis et prophetarum umbra discesserat, utrumque in Evangelio reperitur. »

Orig. « Non sicut prius fuerant tres sic et manserunt, sed tres unum sunt facti; quia transierunt in Christum, sicut lex et prophetæ in Evangelium. » Apud a Lapide in Matth.

(V. 9.) Prohibet Jesus divulgationem visionis ante suam resurrectionem, per quam in gloriam intrabit.

Hier. « Non vult ergo in populos prædicari, ne incredibile esset pro rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret. »

(V. 10-13.) Explicat verum sensum adventûs Eliæ: 1° venit in figurâ in personâ Joannis Baptistæ. 2° Veniet in personâ ad secundum adventum Domini præparandum.

« Elias jam venit. » Chrys. « Joannem Eliam vocat, propter ministerii modum; sicut enim Elias secundi adventus præcursor erit, ita Joannes præcursor factus est primi: propter hoc autem Joannem Eliam nominat, ut ostendat primum suum adventum veteri testamento et prophetiæ convenire. » Hier. « Ipse ergo qui venturus est in secundo adventu Salvatoris juxta corporis fidem, nunc per Joannem venit in virtute et spiritu. »

Convenienter de hoc quæstio instituitur apud Matthæum et Marcum, in quibus præsertim agitur de Regno Evangelico Christi; falsa opinio quam Pharisæi sparserant de glorioso Regno Messiæ hic in terris, sic e mentibus Apostolorum auferebatur. S. Lucas qui magis de Victimâ sacerdotali occupatur, hanc narrationem omisit: quod enim spectat victimam in morte hujus terminatur.

C. XVII : *v.* 14-26. et C. XVIII.

In lunatici cura iterum figuratur mundi regeneratio : Jesus subjicit, hæc mysterio passionis adimplenda esse. In solutione didrachmatis de novo insinuat Primatum Petri : C. 18. Ut aliorum invidiam extingueret, omnes Apostolos docet humilitatem parvulorum, simul tradens collegio Apostolico claves Regni Cœlorum : Petrumque docet, exemplo desumpto ex propria Apostoli persona, quomodo clavibus erit utendem.

(*V.* 14-17.) Lunaticus curatur.

Postquam Dominus passionem prædixit, et demonstravit quomodo per ipsam in gloriam introibit : et sic etiam figuras Veteris Testamenti evacuabit, et omnia sub dominium suum in Regno Evangelico reducet : in Lunatico, tanquam figura generis humani salvati per passionem, dat typum acquisiti dominii. Nam ut ait Beda : « In hoc dæmoniaco significantur qui originalis culpæ reatu astricti veniunt in mundum rei, secundum gratiam salvandi. » Forsitan allusio fit huic misero hominum statui in verbis patris pueri dicentis Domino : « Sæpe cadit in ignem et crebro in aquam. » (*v.* 14.) — In Psalmo LXV, 12 legimus : « Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. » Confer Isaiam XLIII, 2. Generale est principium : « Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. » *Act. Ap.* 14, 21.

(*V.* 18-20.) Quare Apostoli non potuerunt dæmonium ejicere exponit Dominus : 1° propter incredulitatem ; 2° « hoc autem genus non ejicitur, nisi per orationem et jejunium. » (*v.* 20.)

Increpatio Apostolorum est simul prophetia futuræ potestatis eorum post descensum Spiritus sancti super eos : In Joanne Dominus insinuavit Apostolis quam imperfecta sit adhuc eorum oratio et prædicit eam reducendam esse ad perfectionem : « Usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis ut gaudium vestrum sit plenum. » (*Joan. XVI :* 24.)

De Jejunio etiam declaravit Dominus : « Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus ? venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt » (*Matth. IX : 15.*)

De ipsa fide prædixit : « Amen, amen, dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet : quia ego ad Patrem vado. » (*Joan. XIV : 12.*)

Illa mirabilia fient in Regno postquam vicerit Leo de tribu Juda et « Signa eos qui crediderint, hæc sequentur. » Ut ait Marcus. (C. *XVI : 17.*)

Ut intelligamus præcedentia magis ad Dominum spectare ut Regem et Doctorem, a Matthæo et Marco notantur.

(*V.* 21, 22.) Iterum Dominus prædicit passionem tanquam omnium bonorum originem.

Cyr. « Ostenderat in monte discipulis gloriam suam, et post liberaverat quemdam a spiritu nequam, sed oportebat eum sustinere passionem pro nobis salutarem. Poterant autem discipuli conturbari dicentes : numquid decepti sumus dum Deum esse eum arbitraremur ? Ut ergo scirent quid circa ipsum futurum erat, velut quoddam depositum jubet eos in mente habere passionis mysterium. »

(*V.* 23-26.) Didrachma. In figurâ iterum Rex constituit Petrum ut sibi parem et Apostolorum caput. « Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma ? Ait : etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens : quid tibi videtur, Simon ? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum ? a filiis suis, an ab alienis? At ille dixit : ab alienis. Dixit illi Jesus : ergo liberi sunt filii. » (23-25.)

Hier. « Dominus autem noster et secundum carnem et secundum spiritum filius erat regis : vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis Patris Verbum.

Ergo tributa quasi filius Regis non debebat. Quamvis ergo liber esset, quia tamen humilitatem carnis assumpserat, debuit omnem justitiam adimplere : Unde sequitur : « Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte ha-

mum : et eum piscem qui prius ascenderit, tolle : et aperto ore ejus invenies staterem : illum sumens, da eis pro me et te. » (*V*. 26.) Ipse ergo Christus propter eximiam charitatem et crucem sustinuit et tributa reddidit. Et pulchrè illud ipsum quidem datur pretium: sed divisum est: quia pro Petro quasi pro peccatore, pretium reddebatur. Dominus autem noster peccatum non fecit. Ostenditur autem similitudo carnis, dum eodem et Dominus et servus pretio liberantur. »

C. XVIII : 1. Apostoli intellexerunt Dominum concessisse Petro singularem prærogativam copulando eum sibi in tributi solutione. Itaque, « in illâ horâ accesserunt discipuli ad Jesum dicentes : quis putas major est in Regno Cœlorum? »

Hier : « Quia discipuli viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum : ex æqualitate pretii arbitrati sunt omnibus apostolis Petrum esse prælatum. » « Unde, ait Chrys., passi sunt aliquid humanum quod Evangelista designat. »

(*V*. 2-5.) Apostolorum ambitionem corripit primo Dominus exemplo parvuli : Hier. ait : « Videns autem Jesus cogitationes eorum, voluit desiderium gloriæ humilitatis contentione sedare. »

Secundo admonet eos circa scandalum vitandum : timendum erat ne parvuli in Christo ambitionem mundanam Apostolorum animadvertentes, ab eis scandalizarentur. » (*v*. 6-14.)

Apostoli, ait Ill^mus Beelen, credebant regno spirituali. Sed simul credebant cum reliquis Judæis, Dominum regnum temporale etiam erecturum. « Interrogando quis major esset in Regno Cœlorum, ait Hieronymus, videbantur inter se de dignitate contendere, et si in hoc vitio permansissent, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare. »

(*V*. 15-17.) Post admonitionem contra scandalum, Jesus continuat docendo quomodo agendum est cum fratribus in Christo « qui peccaverint in nos » : id est, qui nobis occasionem scandali dederint, seu nos in peccati viam induxerint, in quantum ipsis possibile fuit. (*Beelen.*)

Præscribitur correctio fraterna ordine sequenti : Calmet 1° Clam inter te et ipsum solum moneas oportet, neque palam

noxas illius in vulgus proferas, si te audierit et ad frugem redierit; animam illius lucri fecisti, et ex gravissimâ calamitate illam eripuisti.

2° Si non audierit te secreto monentem, coram sapientibus et prudentibus quibusdam viris illum redargue.

3° Si adhuc monita et castigationes sapientium contempserit certiorem fac Ecclesiam, vel populum ubi in precum locum convenerit, vel simpliciter Capita Ecclesiæ, ut vel pudor videndi scelus suum (putant enim aliqui Patres hic agi de gravibus culpis,) ab universo populo cognitum, vel Ecclesiæ totius collectæ exhortationes illum deterreant, ac tandem se corrigat.

4° Si neque te neque Ecclesiam audierit, habeto illum tanquam ethnicum et publicanum. Nullam cum eo necessitudinem ineas, illum sibimetipsi, velut inemendabilem derelinque ac sufficiet tibi divinæ illum commendare misericordiæ, quæ est Domina spirituum, et quæ cor lapideum in carneum potest immutare.

(*V.* 18.) Potestas clavium in Regno Christi spirituali.

« Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. » Ill[mus] Beelen : « Plena potestas Apostolorum non aufert primatum Petri super cæteros Apostolos ; qui non sunt illi pares, sed primi et nobilissimi ejus subditi. »

(*V.* 19-20.) Publica oratio. « Quod hic dicitur, ait Ill[mus] Beelen, non tantum Apostolis sed et omnibus fidelibus insinuatur.

Hier. « Omnis superior sermo ad concordiam nos provocaverat igitur et præmium pollicetur, ut sollicitius festinemus ad pacem cum se dicat inter duos vel tres medium fore. »

(*V.* 21-35.) Quoties dimittendum.

Admonitio Jesu circa charitatem fraternam provocat a parte Petri interrogationem : quid sibi esset personaliter agendum, si quis illum lædat? Nosse vult an sufficiat septies dimittere?

Hier. « Præcipit Dominus Petro sub comparatione regis

Domini et servi, qui debitor decem millium talentorum a Domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat conservis suis minora peccantibus. »

C. XIX, XX. 1-28.

Perfectio Regni Christi : Matrimonium, eunuchi voluntarii, voluntaria paupertas, et ejus merces. Perfectio servitii : novissimi primi. In Regno nulla est, præter virtutem prærogativa : exemplum filiorum Zebedæi.

XIX. (*V.* 1, 2.) « Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæâ, et venit in fines Judææ trans Jordanem, et secutæ sunt eum turbæ multæ et curavit eos ibi. »

Rabanus. « Curat etiam Galilæos in Judææ finibus, ut peccata gentium in eam veniam, quæ Judææ parabatur admitteret. »

Chrys. « Dominus prius Judæam relinquens propter illorum æmulationem, nunc ibidem jam immoratur, quia passio proxima futura erat : non tamen ad Judæam interim ascendit sed in terminos Judææ. »

(*V.* 3-9.) Matrimonium Christianum.

Matthæus cum Marco in nomine Regis prophetæ tractant hanc materiam expresse. Lucas per modum exempli. (*XVI* : 18.)

Remig. « Dominus Jesus Christus quasi Patrem deseruit cum de cœlis ad terram descendit : et matrem deseruit, id est, synagogam, propter infidelitatem : et adhæsit uxori suæ, sanctæ scilicet Ecclesiæ : et sunt duo in carne unâ, id est, Christus et Ecclesia in uno corpore. »

(*V.* 10.) Ipsi Apostoli nondum illuminati vix intelligunt possibilitatem unitatis Matrimonii :

« Dicunt ei discipuli ejus si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. »

(*V.* 11, 12.) Eunuchi voluntarii.

Chrys. « Non expedit nubere. » Levius enim est contra

concupiscentiam præliari, et contra seipsum, quam ad mulierem malam. » (Chrys. in opere imp. super Matth.) Non autem dixit (Dominus) quia non expedit, sed magis consentit quia non expedit, sed infirmitatem carnis consideravit : Unde sequitur :

(*V.* 11.) « Qui dixit illis : non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. » Hier. « His datum est a Deo qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent laboraverunt. » Chrys. « Ideo ergo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. »

(*V.* 12.) Hier. « Dominus triplex genus eunuchorum posuit, quorum duo priores sunt carnales, et tertii spirituales. Istis ultimis promittitur præmium : superioribus autem (quibus necessitas castimonia est, non voluntas) nihil omnino debetur. »

« Qui potest capere capiat. » Hier. « Quæ hortantis Domini vox est, et milites suos ad pudicitiæ præmium concitantis : quasi dicat : « Qui potest pugnare, pugnet, superet et triumphet. »

Solus Rex in Matthæo hanc palmam militibus suis proponit : « Palma proposita est ; ait Chrysost., qui concupiscit gloriam non cogitet de labore : nemo vinceret, si omnes periculum timerent. »

(*V.* 13-15.) Benedictio parvulorum.

Benedictionem cæteroquin priùs reservatam majoribus natu, Judæis scilicet et principibus eorum, parvuli obtinent, « quorum est Regnum cœlorum. »

Hoc confirmat Hilarius : « Infantes etiam gentium forma sunt, quibus, per fidem et auditum salus redditur. Verum ex affectu primo salvandi Israël, a discipulis inhibentur accedere : quos Dominus ait non oportere prohiberi. Munus enim Spiritûs sancti et per impositionem manus et precationem, (cessante legis opere) erat gentibus largiendum. »

Benedictionem impertiuntur simul Rex, Propheta et Sacerdos, in tribus Evangelistis ; ut exemplari suo Christo, in omnibus, conformentur parvuli in Domino.

(*V.* 16-26.) Juvenis dives. Consilium voluntariæ paupertatis. Difficultas salutis divitibus.

Proponuntur hæc etiam a Marco cap. X et a Lucâ cap. XVIII. « Et ecce unus accedens, ait illi : magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei : quid me interrogas de bono ? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi serva mandata. » (*v.* 16, 17.)

Chrys. « Dominus erudit juvenem liberari ab omni adulatione, et ab his quæ sunt super terram eum abducens, Deo adhærere suadet, et futura quærere, et nosse eum qui vere est bonus, et radix et fons universorum bonorum. »

Orig. « Secundum historiam autem iste adolescens laudabilis quidem est, quia non occidit, non adulteratus est, vituperabilis autem, quia contristatus est in verbis Christi vocantibus eum ad perfectionem : adolescens quippe erat secundùm animam, et propterea relinquens Christum abiit. »

Glossa. « Occasione hujus avari de quo prædictum est, habuit sermonem Dominus de avaro ; unde sequitur : « Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum..... » (23, 24.)

Apostoli ut admirati sunt unitatem matrimonii christiani, iterum hic admirantur perfectionem a Domino propositam : « Quis ergo poterit salvus esse ? » (*v* : 25.)

Chrys. « Dei autem opus hoc esse consequenter ostendit, quoniam multâ opus est gratiâ, ut homo in divitiis dirigatur. » Unde sequitur :

(*V.* 26.) « Aspiciens autem Jesus dixit eis : apud homines hoc impossibile est ; apud Deum autem omnia possibilia sunt. » « Per hoc quod dicit, « aspiciens, » significat Evangelista quod mansueto oculo timidam eorum mentem mitigavit. »

(*V.* 27-30.) Petrus pro se et pro Apostolis protestatur : « Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? »

Secuti sunt Petrus et Apostoli Regem, Doctorem et Sacerdotem Jesum ut ex Matthæo, Marco et Lucâ discimus. — Orig. « Puto quod magis Petrus confidens de affectu suo, quam de ipsâ quantitate rerum relictarum, fiducialiter interrogavit. »

Chrys. « Qui enim claves regni cœlorum acceperat, pro his qui ibi sunt jam confidit, et pro orbe terrarum universo interrogat. »

« Jesus autem dixit illis : amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. »

Hanc regalem gloriam Apostolorum in judicio omittunt in hoc loco Marcus et Lucas. — Attamen in Lucâ XXII : 30 eamdem etiam promittit summus Sacerdos. Erunt igitur Apostoli in gloriâ vere regale Sacerdotium. In Matthæo tamen prouti regia Persona Judicis conspicuè magis apparet in regeneratione : sic etiam in Apostolis cum Domino suo et Rege conregnantibus. Dicitur enim : « In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël. » (*v.* 28.)

« Manifestum est ergo, ait Chrys., quod conregnabunt et communicabunt in gloriâ illâ (Apostoli); honorem enim et gloriam ineffabilem significavit per thronos. »

(*V.* 29.) Cætera pars mercedis, centuplum in hâc vitâ et vita æterna eadem est in tribus Evangelistis.

(*V.* 30.) « Multi autem erunt primi novissimi et novissimi primi. »

Multi apud A Lapide applicant hæc verba hic, et eadem post parabolam laborantium in vineâ, capite sequenti *v.* 16, ipsamque parabolam C. XX : 1-15, Pharisæis et Scribis ex una parte et Apostolis ex alterâ. Vel Judæis et gentibus. Ita Jansen., Barradius, Hesselius, Fr. Lucas, Lud. Molina, Gabriël Vasquez.

Multi cum Illmo Beelen applicant studio, cooperandi gratiæ, majori vel minori. Ita ut ultimi in conversione possint esse primi in Cœlis per fervorem post conversionem.

Hier. Chrys. Ans. Aug. Tertul. Greg. Valentia, Bellarm. Suarez.

« Apposite, ait A Lapide in *v.* 30. præcedentem Christus hanc sententiam præcedentibus a se dictis subjungit : nam

ipse hoc capite XIX penè toto opposuit, se suamque gratiam et consilia Evangelii, Pharisæis et legi veteri ; unde consequenter hic opponit præmium illius præmio hujus, ut patebit capite sequenti : propriè autem respicit illa, quæ immediate ante dixerat de sedibus duodecim judiciariis, de centuplo, de vitâ æternâ danda suis sequacibus.

C. XX : 1-15. Parabola operariorum in vineâ.

« Notandum est scopum parabolæ esse ut per eam Christus probet ultimam propositionem capitis præcedentis : « Multi autem erunt primi novissimi et novissimi primi ; » Christus enim hanc propositionem immediate præmittit parabolæ, quasi pro parabolam, sive titulum parabolæ. Unde quidam codices latini sic habent :

« Simile est « *enim* » Regnum cœlorum..... » (*c. XX.* 1.) Ac rursum eamdem propositionem parabolæ subjungit quasi post parabolam *v.* 16, cum verbis : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. »

In sententiâ Ill^{mi} Beelen hæc ultima verba significant : inter vocatos, pauci erunt eminentes, seu excellentes virtutibus conspicuis.

Alii applicant prædicta salvatis et condemnandis : Gregor. « Ad fidem enim plures veniunt, et ad cœleste regnum pauci perducuntur : plerique enim Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. »

(*V.* 17-19.) Iterum Jesus, « ascendens Jerosolymam, » prædicit passionem.

Hier. « Crebrò autem de passione discipulis dixerat, sed quia multis in medio disputatis poterat labi de memoriâ quod audierant : iturus Hierosolymam, et secum ducturus Apostolos, ad tentationem eos parat : ne cum venerit persecutio, et crucis ignominia, scandalizentur.

Quo pretio Ipse « Regnum acquiret de quo egit » in præcedentibus, profundè in Apostolorum cordibus inscribit.

(*V.* 20-24.) Mater filiorum Zebedæi cum filiis suis.

Juxta Ambrosium Joannes et Jacobus fuerunt vocati de navi quæ synagogam significat ad navem Petri quæ significat Ecclesiam. (*Matth. IV :* 18-22.)

Hic videtur, sub figurâ matris, synagoga pro filiis primum locum in novo Regno petere, dicens :

« Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in Regno tuo. » (21.)

In Marco sibimet ipsis ipsi rogant Jacobus et Joannes, dicentes : « Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloriâ tuâ. » (*Marc. X,* 37.)

In Marco legem et prophetas, seu populum Israël figurantes, Joannes et Jacobus ipsi rogant, « Jesum-Christum Filium Dei, » (*Marc. I,* 1) magnum Regni Prophetam ; quasi jam vicerit Leo de tribu Juda.

In Lucâ hæc petitio omittitur : Jesus enim ut victima non regnat. Ad sinistram remanet victima sacrificii : « Facies autem bovis, ad sinistram ipsorum quatuor. » (*Ezechiel I :* 10.) « Oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam, » (*Luc. XXIV.* 26.) ut sit Sacerdos in æternum, Rex justitiæ, Rex pacis. Apud Lucam Victima sacerdotalis usque ad resurrectionem magis ante oculos habet sacrificium voluntarium, quam ipsam victoriam.

(*V.* 22, 23.) Jesus excludit prærogativas carnales e novo Regno : « Sedere ad dexteram meam vel sinistram, ait, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. » (23.) Menoch. « Non est meum dare vobis propterea quod petitis, aut propterea quod cognati mei estis ; non est meum dare vobis, qui nondum meruistis. Sed « quibus paratum est a Patre meo : » qui illud meruerunt. »

(*V.* 24.) « Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. »

Chrys. in opere imp. « Sicut autem duo carnaliter petierunt, ita et decem carnaliter contristati sunt : nam velle quidem esse super omnes, vituperabile est, sustinere autem alium super se, nimis est gloriosum. »

(*V.* 25-28.) Hier. « Humilis autem magister et mitis nec cupiditatis duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat et livoris. Unde sequitur : « Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum..... non ita erit inter vos.... sicut Filius

hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis. »

Eadem verba profert Jesus in Marco C. X, 42-45. Regnum spirituale Regis Prophetæ inter gentiles potissimum erat ædificandum : ideo videtur futuram oppositionem inter regna hujus mundi, et regnum cœlorum hic Apostolis patefacere.

Chrys. « Volens ergo Dominus et duorum fratrum ambitionem, et aliorum indignationem extinguere, introducit differentiam inter principes mundiales et ecclesiasticos; ostendens quia primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri invidendus est habenti ; quia principes mundi ideo sunt ut dominentur minoribus suis, et eos servituti subjiciant et expolient, et usque ad mortem eis utantur ad suam utilitatem et gloriam ; principes autem Ecclesiæ fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent eis quæcunque acceperunt a Christo ; ut suas utilitates negligant, et illorum procurent, et mori non recusent pro salute inferiorum. « Sicut Filius hominis non venit.... »

Quantumcumque ergo tu humiliatus fueris, non poteris tantùm descendere quantùm Dominus tuus. »

C. XX : 29-34. XXI : 1-17.

Dum Jesus egreditur e Jericho curat duos cæcos figuram duorum populorum qui eum sequentur.

Ipse triumphans ingreditur in Jerusalem figuram Ecclesiæ et Cœli. Mundat templum : synagogam immutat in Ecclesiam sine macula ; ibi curat ægrotos in corpore et anima ; ibi suscipit laudes parvulorum, qui præsertim gentiles repræsentant.

(*V*. 29.) « Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. »

Ut olim Israëlitæ sibi subjecerunt Jericho ut clavem terræ promissæ ; ita hìc Dominus sub figurâ Jericho denotat transitum suum per hunc mundum quem ipse vicit : ad ipsum populi post victoriam undique confluunt.

(*V*. 30-34.) Curat duos cæcos.

Aperit oculos tum Judæis, tum gentilibus ut cum Rege suo ambo possint intrare in Jerusalem, seu Ecclesiam, figuram cœlestis Jerusalem.

Orig. « Mysticè autem Jericho intelligitur mundus, in quem Christus descendit. Qui autem sunt in Jericho, exire nesciunt e sapientiâ mundi, nisi viderint non solum Jesum exeuntem de Jericho sed etiam discipulos ejus. Hæc ergo videntes secutæ sunt eum turbæ multæ, mundum et mundana omnia contemnentes, ut Christo duce, ascendant in Jerusalem cœlestem. »

Diversimode miraculum Domini apud Jericho a tribus Evangelistis narratur :

(*Matth. XX*, 29-34.) « Et egredientibus illis ab Jericho.... Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt quia.....»

(*Marc. X*, 46.) « Et proficiscente eo de Jericho...... filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat juxta viam mendicans. »

(*Luc. XVIII*, 35.) « Factum est autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam mendicans. »

V. Beda interpretatur mystice curam cæcorum juxta propositum a S. Augustino systema Evangelicum :

V. Beda. « Quod autem appropinquans Jericho unum illuminavit, ac proficiscens e Jericho duos, hoc intimavit quod ante passionem suam uni tantùm populo Judæorum prædicavit, post resurrectionem vero atque ascensionem suam per Apostolos et Judæis et gentibus divinitatis suæ et humanitatis arcana patefecit. Quod vero Marcus unum illuminatum scribit, ad gentium salutem respicit, ut eorum quos instruebat ad fidem, salvationis figuræ congrueret. Matthæus vero qui credentibus ex Hebræis suum scribebat Evangelium, quod in gentium quoque notitiam erat perventurum, rectè duos dicit illuminatos, ut ad utrumque populum unam fidei gratiam pertinere doceret. »

Rex igitur in Matthæo Judæos et Gentiles in Regnum suum coadunat. — Victima sacerdotalis ut alibi in Lucâ « pusillum gregem » Judæorum electorum ante passionem, sibi in discipulos efformat. Cœlestis Doctor qui sæpius in Marco tanquam præco novi Regni apparet, gentes in Ecclesiam introducendas magis ante oculos habet.

C. XXI : 1-11. Ingressus Jesu in Jerusalem.

(*V.* 1. 2.) « Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage in montem Oliveti : tunc Jesus misit duos discipulos dicens eis : ite in castellum quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite et adducite mihi. »

Remig. « Dominus de monte Oliveti discipulos ad castellum misit » quia de primitiva Ecclesia prædicatores in mundum direxerat. Duos quippe misit, propter duos ordines prædicatorum, quos manifestat Apostolus, dicens : (ad Galat. II.) « Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes. »

Hier. « Asina autem ista, quæ subjugalis fuit et edomita, et jugum legis traxerat, synagoga intelligitur ; pullus asinæ, lascivus et liber gentium populus : Judæa enim, secundum Deum, mater est gentium. »

Nota. Lucas meminit solum pullum propter Ecclesiam, ante passionem sacerdotalis Victimæ, efformatam ex electis Judæorum. Marcus autem idem pullum adductum dicit propter novam Ecclesiam, ex gentibus post Domini resurrectionem, maximè efformandam.

(*V.* 3.) « Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. »

Est figura zeli quocum et Judæi et Gentes introducendi sunt in regnum cœlorum, Ecclesiam Christi.

Remig. « Sicut autem tunc dictum est Apostolis : sic nunc prædicatoribus est præceptum, ut si aliquid adversitatis obstiterit, a prædicando non cessent. »

(*V.* 4, 5.) « Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem ; dicite filiæ Sion : ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. »

(*V.* 5) « Sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. » Hebr. Zach. 9, 9 legit : « Equitans (sedens) super asinum, nempe super pullum filium asinæ. » (Verôcheb al Chemor, vehalhaïr ben — etônôt.)

Græcus ait : « ἐπὶ ὄνον καὶ ἐπὶ πῶλον υἱὸν ὑποζυγίου. »

Hic, ait Ill^mus Beelen, particula καὶ (et), juxta sensum hebr. quem sæpius habet particula *vav*, significat : *nempe*. Et verba sequentia : « Et pullum filium subjugalis, » sunt explanatio præcedentium « super asinum. » Nam quamvis græca vox (ὄνον), sit utriusque generis, propter textum hebraicum, in hoc loco, per *asinum* erat vertenda.

« Rex tuus venit tibi mansuetus.. . »

Antea in Matthæo Rex ipse de se dixit : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde. » (*C. XI*, 29.)

In Joanne XII, 15 legimus prophetiam : « Noli timere, filia Sion ; ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. — Hic magis agitur de Rege Dei Filio incarnato.

Quia non solùm Jesus Rex est ut filius David, sed magis ut Filius Dei. — In ipsis acclamationibus populi hæc differentia videtur notari inter Regem apud Joannem et apud Matthæum.

In Joanne. XII, 13. « Clamabant : Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. »

In Matthæo autem : (XXI, 9) « Hosanna, filio David : benedictus, qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis. »

(*V.* 6-8.) Discipuli « adduxerunt asinam et pullum... et eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in viâ : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in viâ. »

Hier. « Videtur quod super utrumque animal in parvo itineris spatio Dominus sedere nequiverit, ergo cum historia aut impossibilitatem habeat, aut turpitudinem, ad altiora transmittitur, id est, ad mysticum sensum. » Ipse S. Pater superius mysticum sensum tradidit.

Beelen. « Certi sumus quod Dominus super solum pullum sedit, propter prophetiam Zachariæ (5), quæ hic fuit impleta (4) ; et Joannes (XII, 14) plane dicit : « Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum. » Et v. 15 seq. « Super pullum asinæ. »

Solum pullum introducit Joannes propter regenerationem omnium electorum tum ex Judaismo, tum ex Gentilismo.

Dixit Filius Dei, Joann. III, 3: « Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. »

(*V*. 9.) « Turbæ autem quæ præcedebant et quæ sequebantur, clamabant dicentes : Hosanna filio David ; benedictus, qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis. »

Hier. « Turbæ autem quæ præcedebant et sequebantur, utrumque populum ostendunt, et qui ante Evangelium et qui post Evangelium Domino crediderunt, consona Jesum confessionis voce laudarunt. » Et Chrys. super Matth. Et illi quidem prophetantes de Christo venturo, clamaverunt : hi autem laudantes clamant de adventu Christi jam adimpleto. »

Acclamationem apud Matthæum interpretatur Calmet tanquam Regem magis spectantem : « Hosanna filio David. » Hosanna vel « Hoscia na » hebraice : Salva !

Verum præter hanc litteralem significationem, peculiarem obtinet in acclamationibus vim ; veluti, Vivat Rex, salus sit filio David ; diuturna sit vita Christo, » qui venit in nomine Domini, » populum suum liberaturus. « Hosanna in Altissimis. » Audi Domine ex altissimo Cœlorum vertice voces nostras. Cœlestes spiritus vota precesque vestras, cum nostris consociate, ut omnium felicitatum genera Regi Israel, Messiæ, supremo liberatori comprecemur. »

Nota. Hæc acclamatio desumpta est ex Ps. CXVII, 25; quæ festo tabernaculorum die concinebatur, quo Jerosolymam undique frondentes rami adducebantur, (*II Esdras VIII*, 15 ; *II. Mach. X*, 7), ut ex illis tentoria fierent populo ex omni provinciâ illuc affluenti et in memoriam tabernaculorum, sub quibus patres sui annos quadraginta in deserto fuerant commorati, octo diebus sub his frondibus consistenti.

Novum tabernaculum est habitatio Dei cum hominibus in Ecclesiâ : « Et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus. » (*Matth. I*, 23.)

Ideo « Christus digniori fabricæ loco positus est, hoc est, in capite anguli, ut scilicet duos parietes necteret, populum nimirum Judaicum et populum gentilem, et ex utrisque

unicam coagmentaret Ecclesiam. » Menoch. In Ps. CXVII, 22 : « Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. » — Refert eadem verba Christus ; et ita Pharisæis et sacerdotibus demonstrat sibi convenire Hosanna omnis populi totius orbis.

(V. 10, 11.) « Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas. »

Matthæus refert idem factum esse quando « Magi ab Oriente venerunt Jerosolymam, dicentes : Ubi est qui natus est rex Judæorum ?..... Herodes rex turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. »

Hier. « Introeunte Jesu cum turbâ, tota Hierosolymarum civitas commovetur, mirans frequentiam, nesciens veritatem. » — Chrys. addit : « Nec ipsi qui laudabant, puto, sciebant quid laudabant, sed Spiritûs subitò ingressus in eos veritatis verba fundebat. »

Videtur idem Spiritus unicuique Evangelistæ hanc partem acclamationum infudisse, quæ magis spectabat specialem Domini Personam, quam quisque repræsentavit.

(V. 11.) « Hic est Jesus propheta... » Apud Judæos « Propheta » erat nomen genericum datum missis a Deo extraordinariis : (*Joan. I*, 21, 25.) illud Jesus usurpat apud quatuor Evangelistas, affirmans nullum esse prophetam in patriâ : etiam apud Joannem, ubi maximè de divinitate agitur : (*Joan. C. IV* : 44.)

(V. 12-17.) Jesus mundat templum. — Curat ægrotos.

Laudat pueros dicentes : « Hosanna filio David. »

Relinquit principes sacerdotum et scribas, abit in Bethaniam et ibi manet.

« Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo... et dicit eis : scriptum est : domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis eam speluncam latronum. » (*v.* 12. 13.)

Ejectio vendentium e templo, præter condemnationem abusûs, est prophetia immutationis rituum veterum, in ritus spirituales Ecclesiæ : hæc est Cyrilli interpretatio : « Erat autem in templo multitudo mercatorum, qui vendebant ani-

malia ritu legis mactanda in hostiis : sed jam aderat tempus desinendi umbram, refulgendi vero Christi veritatem : Ob hoc Christus qui cum Patre simul colebatur in templo, jussit ritus corrigi legis, fieri vero templum orationis domum. »

(*V.* 14.) « Et accesserunt ad eum cæci et claudi in templo, et sanavit eos. »

Hier. « Nisi autem mensas nummulariorum subvertisset, cathedrasque columbas vendentium, cæci et claudi lucem pristinam et concitum gradum in templo non meruissent recipere. »

(*V.* 15.) Invident miraculis principes sacerdotum et Pharisæi. Acclamationes puerorum : « Hosanna filio David ! » eos indignatione replent.

(*V.* 16.) « Et dixerunt ei : audis quid isti dicunt? Jesus autem, dixit eis : Utique. Nunquam legistis : quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem ? »

In cæcis et claudis sanatis vidimus elementa novi Regni spiritualis : infirmis etiam in Regno junguntur infantes « quorum est Regnum Cœlorum. » Verba Scripturæ desumpta sunt ex Ps. VIII, qui totus celebrat laudes magni Regis : « Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ ! quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. » (*v.* 1-3.)

Vicit Leo de tribu Juda ; infantes per orbem terrarum laudabunt, inimici autem peribunt. Bene additur in Matthæo, versu sequenti : (*v.* 17.)

« Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam ibique mansit. » Qua suâ actione Rex intimat futuram derelictionem Judæorum. Magis etiam patet, Dominum hic in figuris suarum actionum miserum statum populi Judaici prænuntiare, ex maledictione fici quæ subsequitur.

C. XXI : *v.* 18-46. C. XXII : *v.* 1-14.

Rex diversas maledictiones profert in Judæos : Maledicit fico ; filium hypocritam damnat ; malos male perdet agricolas vineæ et regnum auferetur. Quia rejecerunt lapidem angularem, cadet super eos et conteret. In parabola nuptiarum filii Regis declaratur Judæorum exterminium.

(*V.* 18-22.) « Mane autem revertens in civitatem, esuriit. » — Maledicit fico infructifero (*v.* 19.)

Hier. « Arborem autem quam vidit in viâ, intelligimus synagogam, quæ juxta viam erat, quia legem habebat, non tamen credebat in viam, in Christum. »

Orig. « Et quoniam arbor illa erat figuraliter animam habens, quasi audienti dicit : « nunquam ex te fructus nascatur in æternum ; » ideo infructuosa est synagoga Judæorum : et hoc erit usque ad consummationem sæculi, donec intraverit gentium multitudo. »

In Marco c. XI, 14 Jesus ut propheta et præco novi Regni etiam fico maledicit.

Hanc maledictionem in Luca, non profert Victima sacerdotalis cujus in ficum misericordia ab Evangelista refertur (*XIII*, 6-9.) Piissimo et miserenti Sacerdoti immolanti seipsum perfectè convenit.

« Et arefacta est continuò ficulnea.» (*v.* 19.)

Orig. « Aruit ficulnea adhuc peregrinante Christo in hâc vita, et videntibus discipulis oculis spiritualibus mysterium fidei siccatæ in fico mirati sunt. » (*v.* 20.)

(*V.* 21-22.) Fides non solùm arefacienda prædicatur sub symbolo ficulneæ ; sed et mons transferendus est in mare.

Chrys. « Sicut ficum non propter se siccavit, sed in signum Hierusalem ad arefactionem perventuræ ad demonstrationem virtutis suæ : sic intelligendum est de promissione quæ est circa montem, quamvis ejusmodi transmutatio non sit impossibilis secundum Dei virtutem. »

De monte transferendo in mare prophetizat Isaias : « Et

vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis *Montem sanctum meum*... numerabo vos in gladio, et omnes in cæde corruetis... » (*LXV*, 11, 12.) Et « Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis : et venient et videbunt gloriam meam. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint *ad gentes in mare.... ad insulas longe*, ad eos qui non audierunt de me, et non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam gentibus. » (*LXVI*. 18-22.)

Hier. « Christus qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus, tollitur et mittitur in mare, quando Apostoli dicunt : dignè transferamur ad gentes alteras, quia vos indignos judicatis audientes verbum Dei. »

Ut in parabolâ fici, ita in proposito exemplo fidei, in translatione montis, sequitur Propheta magnus in Marco Regem ut pedissequus, in propagatione regni Evangelici, et in denuntiandâ ruinâ synagogæ ingratæ.

Nota. In Lucâ proponit in exemplum fidei pius Sacerdos Jesus arborem morum in mare transplantandam. (*c. XVII*, 6.) Juxta Bedam hoc alterum exemplum omnino convenit Evangelio Lucæ sacerdotali :

« Per morum enim, ait Venerabilis, Evangelium crucis exprimitur, quæ per fidem Apostolorum de gente Judæorum in mare Gentium plantata est. »

(*V*. 23-27.) « Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes : in quâ potestate hæc facis ? et quis tibi dedit hanc potestatem ? »

Hier. « His verbis eamdem quam supra calumniam struunt, quando dixerunt : « in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia ejicit. » Quando enim dicunt, « in quâ potestate hæc facis ? » dubitant de Dei potestate : et subintelligi volunt diaboli esse quod faciat. Addentes quoque : « quis tibi dedit hanc potestatem ? » manifestissime Dei Filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere. Poterat autem Dominus apertâ responsione tantorum calumniam confutare, sed prudenter interrogavit, ut suo ipsi vel silentio, vel scientiâ condemnarentur, unde sequitur :

« Interrogabo vos et ego unum sermonem : quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in quâ potestate hæc facio. Baptisma Joannis unde erat..... »

Hier. « Respondit impiissima factio, et humilitatis verbo, quo nescire se diceret, usa est ad insidias coaptandas. » Unde sequitur : « Et respondentes Jesu, dixerunt : Nescimus. » In eo quod nescire se responderant, mentiti sunt ; consequens ergo erat juxta responsionem eorum Dominum quoque dicere : nec « ego scio ; » sed mentiri Veritas non potest : sequitur enim : « ait illis et ipse : « nec ego dico vobis... » Ex quo ostendit et illos scire, sed respondisse nolle ; et se nosse, et ideo non dicere : quia illi quod sciant, teneant. »

In hoc exemplo et in pluribus sequentibus Filius Dei vult agnosci ut Rex, Propheta et Sacerdos : et ideo a tribus Evangelistis hæc tractantur.

(V. 28-32.) Parabola duorum filiorum.

Menoch. Calm. « Duo filii, ut multi Patres explicant, sunt duo populi, gentilis et Judaicus. Vel sunt duo Judæorum genera... Qui male vivendo dicere videbantur, nolle se conferre ad opus in vineâ faciendum ; sed mores mutarunt, et quod a Patre cœlesti jubebatur fecerunt. Sacerdotes autem, Scribæ et Pharisæi, qui legis observationem severam et exactam profitebantur, et tamen nihil minus fecerunt ; nam nec legem servaverunt, nec Joannem nec Christum salutaria prædicantem audiverunt. »

Ideo dicit eis Jesus : « publicani et meretrices præcedent vos in Regnum Dei. » (*v.* 31.)

Parabola duorum filiorum in quâ agitur de obedientiâ Legi summi Regis, a solo Matthæo convenienter proponitur. Ubi agitur de percipiendo fructu misericordiarum passionis sacerdotalis Victimæ, altera parabola « Filii prodigi, » proponitur a solo Lucâ. Unitas inspirationis manifestè apparet in utroque exemplo.

(V. 33-41.) Parabola Vineæ locatæ.

Agricolæ postquam male usi sunt, vel etiam occiderunt servos patris familias : videntes filium venientem ut fructus vineæ quærat, « apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt. » (*v.* 39.)

Rab. « Hæreditas quippe filii sancta Ecclesia est, de cunctis ei gentibus data, quam non moriens Pater illi reliquit, sed ipse suâ morte mirabiliter acquisivit. » — Hæres est Jesus ut Rex, ut Propheta, ut Sacerdos : Ecclesiam enim gubernat, instruit et misericorditer participem efficit meritorum Victimæ sacerdotalis. Tres igitur Evangelistæ hanc parabolam ritè proponunt. Filius Dei etiam in hoc triplici caractere est « Petra angularis » de quâ iterum memorant Matthæus, Marcus et Lucas.

(*V.* 42-44.) Solus tamen Rex in Matthæo ait :

« Ideo dico vobis quod auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. » (*v.* 43.) Calmet : synagoga omnibus suis prærogativis exuetur ; Evangelii cognitio ad alienos migrabit : Jesu-Christi Ecclesia præcipuè ex Gentibus ad fidem conversis coalescet. » (*Act. XIII, v.* 46, 48. *Rom. XI,* 19, 20.)

(*V.* 45, 46.) Hier. « Quamvis duro corde Judæi propter incredulitatem essent, tamen intelligebant contra se omnes Domini sententias dirigi. Unde dicitur :

« Et cum audissent principes sacerdotum parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas : quoniam sicut prophetam eum habebant. »

C. XXII. Parabola Regis qui fecit nuptias filio suo. (1-14.) Dominus demonstrat Judæis ob quas causas ipsis « Regnum Dei auferetur, et dabitur genti facienti fructus ejus. » Temporalia spiritualibus anteponunt ut videmus ex *v.* 5. hujus parabolæ. Iteratis vicibus Rex per servos suos ad nuptias vocavit : « Illi autem neglexerunt : et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. » (*v.* 5) Præterea sunt gens homicida. (*v.* 6.)

Aug. de consensu Evang. « Parabolam istam solus Matthæus narrat, simile quiddam etiam Lucas commemorat, sed non est hæc sicut et ordo indicat. »

In Evangelio Regio agitur de Ecclesiâ ut vero Regno : qui in Ecclesiam non intrant ut Judæi, ipsi a Rege destruentur : « Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem eorum succendit. » (*v.* 7.)

Qui autem intrant in Ecclesiam et non habent vestem nuptialem ; seu qui non habent charitatem et animæ puritatem « mittentur in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium. » (*v.* 13.)

Apud Matthæum vidimus alias duas parabolas quibus significabatur in Ecclesiâ militante bonos esse ac malos : ac finaliter bonos esse a malis segregandos : In agro Domini lolium est et triticum. In retibus pisces boni sunt et mali. (*Matth. XIII.*)

Proponenda parabola decem virginum eamdem doctrinam docet in Matthæo. (*C. XXV.*)

Non omnes qui vocati sunt etiam electi sunt : « Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. » (*v.* 14.) Exuamus oportet veterem hominem cum operibus suis, ut induamus novum hominem qui secundum Deum creatus est. (*Ephes. IV,* 22-24.)

Putant Aug. Orig. Hier. hominem turpiter e convivio ejectum quia non habebat vestem nuptialem, reproborum hominum esse figuram.

S. Greg. distinguens inter cœnam viri nobilis apud Lucam ; (*c. XIV*) et nuptias filii Regis apud Matthæum ita loquitur : « Hic per nuptias præsens Ecclesia, illic per cœnam, æternum et ultimum convivium designatur, quia in hanc nonnulli exituri intrant, ad illud quisque semel intraverit, ulterius non exibit. »

Calmet ex S[tis] Patribus : « Has ille nuptias incœpit ex ipso incarnationis suæ tempore ; convivium autem apparavit, toto vitæ suæ curriculo ac præsertim annorum prædicationis suæ intervallo ; ac illud tandem in passione et resurrectione suâ consummavit. Tunc repudiavit synagogam priorem conjugem suam, et duxit Ecclesiam Gentilium.

C. XXII : v. 15-46.

Deus et Cæsar ; status angelicus post resurrectionem ; amor Dei et proximi ; Christus et filius et Dominus Davidis.

(V. 15-22.) Deus et Cæsar.

Postquam Rex demonstravit qualiter instituit Ecclesiam suam, atque declaravit quales ad eam vocati sunt, ipsi Pharisæi astutiâ suâ provocant Jesum ut pronuntiet quæ sit obligatio illius qui cupit esse Regni particeps. Dicendo : « Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari ; et quæ sunt Dei Deo ; » (*v.* 21.) innuit totum hominem Deo esse debitum, ut Hilarius interpretatur : « Deo quæ ejus sunt, reddere nos oportet, id est, corpus et animam et voluntatem. Numisma enim Cæsaris in auro est, in quo est ejus imago depicta. Dei autem numisma, homo est, in quo est Dei imago figurata : ideo divitias vestras date Cæsari, Deo autem innocentiæ vestræ conscientiam servate. »

Quia totus homo Deo debetur, tres Evangelistæ Matth. Marc. et Lucas hanc materiam tractant : Obediendum enim est Legi summi Regis ; vera fides Doctori Prophetæ debetur. Et immolatio sui sacerdotali Victimæ immolatæ pro nobis. (*Marc. XII. Luc. XX.*)

(*V.* 22.) « Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt. » Hier. « Qui autem credere debuerant ad tantam sapientiam, mirati sunt, quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum. Et relicto eo abierunt : infidelitatem pariter cum admiratione reportantes. »

(*V.* 23-32.) Resurrectio. — Status Angelicus.

Incredulitas Sadducæorum invitat Dominum ut doceat hominem post hanc vitam futurum esse ad imaginem Christi cui se in hâc vitâ conformaverit. S. Petrus vocat christianos : « Genus electum, regale sacerdotium. » (*I Petri. II*, 9.)

In statu igitur angelico in Cœlis imaginem portabunt Regis, Prophetæ et summi Sacerdotis. Congruum igitur est ut unâ de resurrectione tres Evangelistæ loquantur. (*Marc. XII. Luc. XX.*)

Glor. « Postquam Dominus sapienter Pharisæorum callidam tentationem evitavit, ostenditur quomodo etiam Sadducæos tentantes confundit. »

Introductum exemplum mulieris quæ fuit successivè uxor septem fratrum mystice interpretatur Hier. « Mulier sterilis non relinquens semen ex septem fratribus novissimè mo-

riens, quid aliud significat quam Judaicam synagogam relictam a Spiritu septiformi ? »

(*V*. 33.) « Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus. »

Supra cum admiratione reportarunt Pharisæi infidelitatem. Nunc autem non Sadducæi, sed turbæ mirantur. « Hoc etiam quotidie agitur in Ecclesiâ, ait Remig., cum enim divinâ inspiratione adversarii Ecclesiæ superantur, turbæ fidelium lætantur. »

(*V*. 34-40.) Amor Dei et proximi sunt mandatum maximum in lege.

In Matthæo Rex et legifer noster authentice interpretatur amorem Dei et proximi esse summam totius legis, et doctrinæ prophetarum ; ait enim :

« In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ. » (*v*. 40.)

Marcus nomine Doctoris Cœlestis seu Prophetæ Jesu eamdem doctrinam proponit. (*c*. *XII*, 28-31.) — « Propheta enim, est simul vivens vox legis et mediator adimpletionis. »

(*V*. 41-45.) Christus est filius et Dominus Davidis.

Vult agnosci a Pharisæis ut verus Filius Dei, qui et Rex, et Propheta et Sacerdos est.

Interrogationem igitur instituit in Matthæo, in Marco et in Lucâ : « Christus, cujus Filius est ? »

David ut figura Christi erat Rex Propheta ; etiam in pœnitentiâ fuit figura Christi patientis ut Victimæ sacerdotalis.

Præterea antiquum Sacerdotium in Jesu cessavit ; ideo etiam novus Sacerdos de aliâ tribu nascitur. « Manifestum est enim quod ex Judâ ortus est Dominus noster : in quâ tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. » (*Hebr*. *c*. *VII*, 14.)

(*V*. 46.) « Et nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum amplius interrogare. »

Orig. « Si autem interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, nunquam eis talia proposuisset, ut amplius non essent ausi eum interrogare. »

C. XXIII.

Rex in templo suo, in civitate magni Regis, publice coram omnibus, castigat iniquos duces populi : conculcat eorum astutiam, hypocrisim, superbiam, cum aliis vitiis quæ Væ severi Judicis provocarunt.

A Lapide. « Eorum malitiæ parcere noluit, nec debuit ; sed eam acriter reprehendit, utpote Legislator et morum Censor a Deo in mundum missus. »

Allioli. « Initio prædicationis monstraverat Jesus in sermone montis, (*Matth. V, VI, VII.*) doctrinam suam esse doctrinam veritatis, et contrariam doctrinam esse falsam apparentiam ; nunc in fine suæ prædicationis ultimâ vice loquitur adversus corruptionem falsi apparatûs. Et uti in monte discipulos octo vicibus beatos dixit, ita hic octo vicibus in Pharisæos et hypocritas omnium sæculorum, Væ solemniter pronuntiat. Non solùm hypocritæ inter illos numerandi sunt, sed omnes qui addicti sunt apparentibus bonis, falsæ sapientiæ, et falsæ virtuti.

E contra Rex mitis et humilis corde præscribit futuris ducibus Ecclesiæ regulas veræ modestiæ et humilitatis ; concludendo : « qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit exaltabitur. » (*v.* 8-12.)

In loco correspondente, apud Marcum et Lucam, de hoc sermone, paucissima habentur : (*Marc. XII,* 38-40. et *Luc. XX,* 45-47.) Hæc cum Matthæo XXIII, *v.* 5, 6, 7, 14, conveniunt.

Pleraque tamen quæ Rex apud Matthæum in templo improperat (*c. XXIII,* 23-36) ; Sacerdos antea in Lucâ pronuntiavit « dum rogavit illum quidam Pharisæus apud se. » (*XI,* 37-51.) Erat magis privata monitio veri Sacerdotis ad corruptores legis.

Præterea duo versiculi simillimi sunt : unus in Lucâ : XI, 52 : « Væ vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non intrastis : et eos, qui introibant, prohibuistis. »

Alter autem versiculus in Matthæo, XXIII, 13 : « Væ autem vobis, Scribæ et Pharisæi hypocritæ : quia clauditis regnum cœlorum ante homines : vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. »

In primo exemplo Lucæ Sacerdos increpat sacerdotes, dum impediuntur illi qui scientiam ex ore eorum requirunt. In secundo Matthæi, Rex increpat eos qui auctoritate suâ abutuntur ad claudendum aliis Regnum Cœlorum.

Improperia in Jerusalem quæ habentur in Matthæo, XXIII, 37-39 : jam apud Lucam XIII, 34, 35 Sacerdos pronuntiaverat, occasione nuntii, quod volebat eum Herodes occidere. In Matthæo ostenditur Regis justa ira ; in Lucâ Sacerdotis miseratio, ut Cyrill. in Lucam.

C. XXIV.

De fine mundi. De ruina templi et Jerusalem. Matthæus, Marcus et Lucas hæc describunt : pauca signant diversitatem personæ assumptæ a Domino in tribus Evangelistis.

(*V.* 1, 2.) Prius prædicit ruinam templi : « Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. » (*v.* 2.)

(*V.* 3.) Discipuli credentes eversionem Jerusalem et finem mundi simul eventura, rogant : « Dic nobis quando hæc erunt ? et quod signum adventûs tui et consummationis sæculi ? »

Dominus respondet prius secundæ petitioni : « Et quod signum adventûs tui et consummationis sæculi ? » (A versu 4 ad 14.)

Deinde transit ad responsum primæ quæstionis :

« Dic nobis quando hæc erunt. » Scilicet eversio Jerusalem. A versu 15 ad 23.

Iterum transit ad responsum circa consummationem sæculi quod jam dare incœperat a *v.* 4-14.

Et protrahit prædictionem de fine mundi usque in finem capitis v. 51.

Ita dividit Ill^mus Beelen cum aliis.

Allioli cum multis ex Patribus credit sæpius iisdem ver-

bis utrumque prænuntiari, scil. ruinam Jerusalem et mundi finem : ita tamen ut nunc unum, nunc alterum magis in litterâ textûs præemineat.

Credit hunc modum intelligendi magis adaptatum usui prophetarum qui sæpius duos eventus connectunt et intermiscent. (Ut Isaias 24, 26 etc.)

Etiam ipse contextus hanc connexionem indicare videtur : in *v.* 29, 30, 31 præeminet prædictio circa finem mundi, et tamen *v.* 34 dicitur quod generatio actualis hæc omnia videbit.

Pauca admodum Rex et Doctor communiter prænuntiant quæ omittit Sacerdos.

Matth. *v.* 14 legitur : « Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio. »

Marc XIII, 10. « Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium. »

Postquam prædixit Rex Propheta Regni universalitatem : prædicit etiam tempore ruinæ Jerusalem protectionem quâ fruetur novella Ecclesia. Legitur enim Matth. *v.* 21, 22. « Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi. » Eadem Marcus habet *C. XIII*, 19, 20.

Solus Rex prædicit de signo adventûs sui, quo « vicit Leo de tribu Juda. » Legimus *v.* 30 :

« Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo. » Vexillum crucis ut S[ti] Patres interpretantur.

Quæ Matthæus hic habet *v.* 36-41 : Dominus in Lucâ respondit interrogantibus de adventu ejus (*C. XVII*, 26-34.)

Et etiam quæ Matthæus *v.* 42-51 notavit, partim Lucas habet, C. XII, 35-48 ; ubi Sacerdos admonet « pusillum gregem » quo studio et quo habitu expectare debeant adventum ejus. A *v.* 42-48 Luc. respondet Petro roganti : « Domine ad nos dicis hanc parabolam, an et ad omnes » ? (*v.* 41.)

C. XXV.

Hoc caput est continuatio præcedentium : Rex per duas parabolas præparat ad ultimum judicium, quod in fine capitis describitur.

(*V.* 1-13.) Parabola decem virginum.

Calmet. « Hæc parabola est præcedentis capitis continuatio. Hic Jesus-Christus discipulos suos adhortatur, ut vigilent, atque expectent terribilem novissimi adventûs sui diem, figura cujus erit Jerosolymitanum excidium. — Hic vero ait regnum cœlorum simile esse decem virginibus occurrentibus sponso ; videlicet fidelibus qui sunt in Ecclesiâ, (Aug. Hier. Orig. Maldon. alii hic) expectandum esse eodem pacto, quo virgines domo egressæ sponso occurrunt, ut in domum sponsæ illum adducant. Cum Ecclesia constet ex bonis et malis, ex electis ac reprobis : isthic et sapientes et fatuæ virgines memorantur. Sponsus est Jesus-Christus, sponsa Ecclesia, dies adventûs ejusdem in domum suam est dies judicii. »

(*V.* 14-30.) Parabola distribuentis talenta servis suis.

Hæc parabola eumdem habet scopum ac præcedens : scilicet docere quemlibet nostrum in judicio Dei rationem redditurum omnium quæ a Deo acceperit. — Vir iste peregre proficiscens est Jesus, qui in Cœlum ascendens Ecclesiæ corporalem suam præsentiam ademit. (Orig. Hier. Beda.) Servi illius sunt omnes fideles, et peculiariter Apostoli atque pastores, qui illis in Apostolico munere successerunt. (Sancti Patres ac moderni.) Talenta illis tradita quæ in lucrum poni desiderat, et quorum expetit rationem, naturalia sunt corporis et animi dona ; interiores atque supernaturales gratiæ ; talenta scientiæ et eloquentiæ ; officia, munera, dignitates, verbo quidquid nobis Deus tradidit, ut in illius servitutem, et gloriam, nostram vero sanctificationem impendamus. »

His igitur duabus parabolis mire describitur compositio laïcalis Regni Christi, et etiam ordo hierarchicus in eodem. Solus Rex in Matthæo hæc tradidit documenta.

(*V.* 15.) Ordinem hierarchicum demonstrat :

« Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. » Ut habetur etiam I Cor. XII, 4-11. « Divisiones gratiarum sunt.... et divisiones ministeriorum sunt.... et divisiones operationum sunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. »

In distributione decem mnarum apud Lucam nullus respectus habetur ad hierarchiam. Videntur ibidem decem mnæ repræsentare totum thesaurum passionis Christi, de cujus plenitudine omnes accipiunt unam mnam, prouti finita creatura infinito thesauro participare valet. Hæc unica mna quæ singulis datur, potest attingere ad summam perfectionem et lucrari alias decem Mnas ; vel solum producere quinque mnas. Condemnatur sola ingratitudo et non usus pretiosissimi thesauri mnæ unius : eodem modo quo apud Matthæum condemnatur non usus unius talenti ad salutem sufficientis.

Ut ergo libere gratias Rex in Regno distribuit spirituali Ecclesiæ, ita summus Sacerdos totum pauperculis servis distribuit thesaurum meritorum passionis suæ.

In regno fidelitas commendatur qualiscumque sit gradus, vèl numerus talentorum quem a Rege obtinuimus.

In sequelâ Victimæ sacerdotalis apud Lucam commendatur diligentia qua unâ mnâ thesauri passionis ejus debeamus uti ut decem alias mnas lucremur, id est, ut summam perfectionem attingamus.

Nota. Eamdem analogiam notavimus in parabola seminantis apud Matthæum et apud Lucam :

Apud Matthæum bona terra producit 100, 60, 30. Apud Lucam autem bona terra, id est, « cor bonum et optimum, » in patientiâ, producit centuplum. (*Matth. XIII. Luc. VIII.*)

Perfectio Christiana est via Sanctæ Crucis, maximè in Lucâ a Jesu sacerdotali Victimâ suis discipulis commendata.

(*V.* 31-46.) Descriptio generalis Judicii. Rex in Matthæo V, VI, VII promulgavit legem suam ; Rex etiam « sedebit (ad judicandum) super sedem majestatis suæ. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem... Tunc dicet *Rex* his qui a dextris ejus erunt.... »

Mire sibi constat S. Matthæus depingens characterem Jesu-Christi regium.

C. XXVI, XXVII.

Passio Jesu-Christi Regis.

C. XXVI. 1, 2. « Et factum est cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis : scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. »

Hilar. « Post sermonem quo venturum se Dominus in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum esse se admonet, ut Sacramentum Crucis admixtum esse gloriæ æternitatis agnoscerent. »

In historiâ passionis et resurrectionis Jesu-Christi, quæ necessariò quatuor Evangelistis est communis, facilè erit hinc inde circumstantiam discernere, quæ magis pertinet ad aliquem peculiarem characterem Domini : et ideo narratur ab illo Evangelistâ qui hoc attributum repræsentat.

(*V.* 3-5.) Eodem die quo Christus præmonuit discipulos de futurâ passione, fit conjuratio inter principes Sacerdotum, et seniores populi ut dolo Jesum teneant et occidant.

Orig. « Non autem veri sacerdotes et seniores, sed illius qui videbatur populus Dei; verè autem erat populus Gomorrhæ, non intelligentes summum Sacerdotem Dei, insidiati sunt ei ; et non cognoscentes primogenitum omnis creaturæ, etiam seniorem omnibus, consiliati sunt contra eum. »

(*V.* 6-13.) Unctio Jesu in domo Simonis.

Notandum est quod apud Matthæum et Marcum dicitur mulier inunxisse caput Jesu ; et apud Joannem pedes ejus. « Quamvis utrumque fecerit, ait Aug. de cons. Ev., tamen unum a Joanne narratur, alterumque a Matthæo et Marco.

Forsitan in hâc narratione latet mysterium : Sancti Patres in Joanne qui divinitatem Christi præsertim prædicat, intelligunt per caput divinitatem et sacram humanitatem per pedes : et ideo pedes apud hunc Evangelistam unguntur. Apud Matthæum et Marcum in capite ungitur Rex-Propheta.

Apud Lucam unctio Victimæ omittitur, ut significetur summum Sacerdotem per sacrificium crucis obtenturum ut ab ipso Æterno Patre ungatur oleo lætitiæ præ participibus suis. Ut Victima cum iniquis deputatus est, et nullum honorem obtinet.

(*V.* 13.) Magdalenæ encomium : « Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. » — Item Marcus, C. XIV, 9.

Per novum Regnum Regis-Prophetæ ubique factum sanctæ mulieris laudabitur.

(*V.* 14-16.) Pasciscit Judas cum principibus Sacerdotum de traditione Jesu.

Hier. « Infelix Judas damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare ; nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videatur proditio, sed quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit quantum vellent dare. »

(*V.* 17-25.) Pascha parant discipuli. Vespere autem facto, discumbebat Jesus cum duodecim et prædixit se esse tradendum.

Calmet. « Ter prædixit Jesus se ab uno Apostolorum suorum tradendum esse. Primo initio cœnæ, quemadmodum S. Matthæus hic et Marcus (*XIV*, 18) testantur ; secundo ubi discipulorum pedes abluisset, sicuti Joannes (*XIII*, 18) enarrat ; tertio post Eucharistæ institutionem, ut S. Lucas. (*XXII*, 21) et Joannes (*XIII*, 21) affirmant. »

Ill[mus] Beelen opinatur hoc quod apud Joannem dicitur tertium locum occupare. (*XIII*, 18.)

(*V.* 26-29.) Eucharistia.

In consecratione sanguinis Jesus dixit apud Matthæum : « qui pro multis effundetur. » (*v.* 28.) Similiter apud Marcum (*XIV* : 24.)

Apud Lucam autem : « qui pro vobis fundetur. » (*XXII*, 20.) Et in consecratione panis : « ...Corpus meum quod pro vobis datur. » (*XXII*, 19.)

Nonne videntur Rex et Propheta novum Regnum univer-

sale magis insinuare : et Sacerdos in Lucâ, ut sæpius alibi sese actualibus discipulis magis explicite immolare ? Utpote qui tanquam Victima ante omnia pertinet ad populum suum Israel.

Notandum est quod institutio Eucharistiæ narratur a tribus Evangelistis qui magis Jesu sacram humanitatem laudarunt : Est enim corpus suum et sanguis quæ dat Filius hominis : « Hoc est corpus, etc.... »

Nota. S. Thom. ait Jesum ut hominem ministerialiter instituisse sacramenta.

In Joanne autem Filius Dei propriè explicat mysterium Sacramenti : quod est mysterium Dei hominis qui dat semetipsum in cibum creaturis suis :

« Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. » (*VI*, 33.) Solus Dei Filius cum veritate dicere potest : « Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in novissimo die. » (*VI*, 55.) « Spiritus est qui vivificat : caro non prodest quidquam. » (*VI*, 64.)

(*V*. 30.) « Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. » Annotat in catena aureâ hoc loco J. B. Peronne : Hymnus gratiarum actionis compositus erat ex Ps. CXV : « Credidi propter quod locutus sum, » et Ps. CXVIII : « Beati immaculati in via. » — Hanc sententiam approbat Ill[mus] Beelen in hoc loco.

Orig. « Apte etiam mons misericordiæ est electus, ubi pronuntiaturus fuit scandalum infirmitatis discipulorum ; jam tum paratus ut non repelleret discipulos discedentes, sed ut reciperet revertentes. Unde sequitur :

(*V*. 31, 32.) « Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in istâ nocte. Scriptum est enim : percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. »

Marcus hic Matthæum sequitur : (*XIV*, 27, 28.) Origines. « Prædicit hoc eis, ut qui ad modicum disperguntur, scandalum passi, post congregentur a resurgente Christo et

præcedente eos in Galilæam Gentium.» — Hæc interpretatio congruit proposito scopo Evangeliorum Matthæi et Marci. In Matthæo Rex (*XXVIII in fine.*) promittit Ecclesiæ suam præsentiam usque ad consummationem sæculi. In Marco (*XVI in fine.*) Propheta sedens a dextris Dei confirmat sermonem suorum discipulorum sequentibus signis. Rex Propheta in Galilæâ adunabit eos qui momentanee dispersi sunt, percusso pastore, illisque concredet Regnum super omnes gentes universi orbis.

Circa prophetiam Zachariæ hic a Domino Jesu introductam, ait Hieron. « Hoc aliis verbis in Zachariâ Propheta scriptum est, et ex persona prophetæ ad Deum dicitur, « Percute pastorem et dispergentur oves : et convertam manum meam ad parvulos. » Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis, et de multis gregibus errorum fiat unus grex et unus pastor. »

(*V.* 33-35.) Jesus prædicit negationem Petri. Aug. de consens. Evang. Marcus pœnè ipsis verbis hoc commemorat, quibus et Matthæus, nisi quod distinctius quemadmodum futurum esset, expressit dictum esse a Domino : « Amen dico ibi, quia tu hodie in nocte hâc, priusquam bis gallus vocemt dederit, ter me es negaturus. » (*XIV* : 30.)

(*V.* 36-46.) Tristitia et oratio Jesu in horto. — « Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : sedete hic, donec vadam illuc et orem. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Tunc dicit illis : tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. » (36-38.)

Rem. « Illos assumpsit, quibus in monte claritatem suæ majestatis ostenderat. » Orig. « Cæteros quidem jussit sedere ibi quasi infirmiores, ab agone isto servans eos securos, Petro autem, Jacobo et Joanni ait : sustinete hic, » q. e. Vos quasi firmiores adduxi, ut collaboretis mecum in vigiliis et orationibus. »

Marcus fere eodem modo ac Matthæus hoc narrat. (*C. XIV*, 32-34.)

Rex-propheta secum assumpsit futuras columnas Ecclesiæ, ut eos nominat S. Paulus : ut ita melius addiscant quæ fundamenta Ecclesiæ suæ posuit Rex mitis et humilis corde, qui ipse infirmitates nostras accepit : et ægrotationes nostras portavit.

(*V.* 39-45.) Jesus ter orat Patrem ut calix transeat ab eo. Ad discipulos autem veniens sæpius invenit eos dormientes. Orig. « Joannes autem orantem Jesum, ut ab eo calix transiret, non introduxit ; quoniam hi quidem magis secundum humanam naturam ejus exponunt de eo quam secundum divinam : Joannes autem magis secundum divinam. »

Hæc distinctio sæpius occurrit inter Joannem et cæteros Evangelistas.

« Et dixit Petro : sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum ? » (40.) — In Marco legitur : « Simon dormis ? non potuisti unâ horâ vigilare mecum. » (*C. XIV,* 37.)

Forsan licet conjicere Regem in Matthæo alloqui Petrum ut caput collegii Apostolici : ita insinuat Dominus quam grave exempli onus incumbet futuro capiti Ecclesiæ. In Marco autem arguit cœlestis Doctor Propheta futurum Ecclesiæ Doctorem supremum qui quasi a firmitate Petræ, cujus nomen accepit, (*Marc. III,* 16.) deflexit ; quia nondum roborata est ejus fides descensu Spiritus sancti. « Simon dormis ? »

(*V.* 46.) « Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. » Ita etiam in Marco Dominus ait : « Surgite, eamus. Ecce qui me tradet, propre est. » (*XIV,* 42.)

Hier. « Postquam tertio oraverat, et Apostolorum timorem sequenti pœnitentia impetraverat corrigendum, securus de passione suâ pergit ad persecutores, et ultrò se ad interficiendum præbet. Unde sequitur : « Surgite, eamus. » Quasi dicat, non nos inveniant quasi timentes, ultrò pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant. Sequitur enim : « Ecce appropinquavit qui me tradet. »

In Matth. et Marc. Rex et Propheta unâ ad victoriam animosè assurgunt : sic melius intelligimus extremam desolationem Jesu in cruce, quando etiam ut rex et propheta apud

eosdem exclamat : « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? » (*Matth. XXVII, 46 ; Marc. XV, 34.*)

Quæ verba desumpta sunt ex Ps. XXI, quem totum de Christo interpretantur. In fine hujus Psalmi, post derelictionem Salvatoris, videmus quantâ ratione Rex Propheta dixit : « Surgite eamus. Ecce appropinquavit qui me tradet. » Nam victoria facta est completa, ut legimus in sequela Psalmi, *v.* 25 :

« Quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis : Nec avertit faciem suam a me : et cum clamarem ad eum, exaudivit me. »

« Reminiscentur, et convertentur ad Dominum universi fines terræ. Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium. » (*v.* 28. 29.)

(*V.* 47-50.) Judas osculo tradit Jesum cohorti.

Rab. « Exulta, christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti : quod Judas vendidit, et quod Judæus emit, tu acquisivisti. »

(*V.* 51-54.) Unus discipulorum amputat auriculam servi principis sacerdotum. « Tunc ait illi Jesus : converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum ? Quomodo ergo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri ? »

Hier. « Quasi diceret : non indigeo duodecim Apostolorum auxilio, etiamsi omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones Angelorum exercitus. » — In hoc responso a solo Matthæo relato mirè elucet character Domini regius ; et simul Regis mansuetudo et humilitas.

Hier. « Sententia Jesu de scripturis adimplendis « quia sic oportet fieri, » promptum demonstrat ad patiendum animum, quod frustra prophetæ cecinerunt, nisi Dominus eos verè dixisse suâ passione assereret. »

(*V.* 55-56.) Jesus arguit Judæos, aufugiunt discipuli.

(*V.* 57-68.) Jesus ducitur ad Caipham. Condemnatur. Contumeliis afficitur.

In his unà gradiuntur Matthæus et Marc. XIV, 53-65. Præsertim notanda est accusatio falsorum testium in Matthæo et Marco : « Hic dixit possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. » Matth. *v*. 61. — « Quoniam nos audivimus eum dicentem : ego dissolvam hoc templum manufactum, et per triduum aliud non manufactum ædificabo. » (*Marc. XIV*, 58.)

Hier. « Salvator dixerat, (*Joan. II*, 19.) « Solvite templum hoc : » isti commutant, et aiunt : « Possum destruere templum Dei. » Vos, inquit, solvite, non ego : quia illicitum est, ut nobisipsis inferamus manus. Deinde illi vertunt, « et post triduum reædificare illud, » ut proprie de templo Judaico dixisse videretur : Dominus autem, ut ostenderet animale et spirans templum, dixerat : Et ego in triduo suscitabo illud. » Aliud est ædificare, aliud suscitare. »

Spiritus sanctus judæorum impietatem et falsitatem vertit in prophetiam veram. Post triduum in resurrectione suâ Rex-Propheta ædificabit novum templum regni cœlorum : templum Ecclesiæ Veritatis omnibus gentibus.

(*V*. 69-75.) Trina negatio Petri. (*Marcus XIV*, 66-72.)

Rab. Nota quia primum ait : « Nescio quid dicis. » Secundo cum juramento negat. Tertiò quia « cœpit detestari et jurare, quia non novit hominem. » Perseverare enim in peccato dat incrementum scelerum, et qui minima spernit cadit in majora. Post tertiam autem negationem sequitur galli cantus. Per quem Doctor Ecclesiæ intelligitur, qui somnolentos increpans, ait : Evigilate justi et nolite peccare. Solet autem sacra Scriptura sæpè meritum causarum per statum temporum designare. Unde Petrus qui mediâ nocte negavit, ad galli cantum pœnituit. »

Hier. « Et egressus foras flevit amare. » Foras egreditur de impiorum concilio ut pavidæ negationis sordes amaris fletibus lavet.

C. XXVII, 1-10. Jesus Pilato traditus. Mors Judæ. Ager figuli.

« Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti

dicens: innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. »

Notamus hic quartam victoriam Regis: præses compellitur innocentiam declarare ejus qui injustè condemnatur.

« Et respondens universus populus, dixit: sanguis ejus super nos et super filios nostros. » (*v.* 25.)

Hier. « Perseverat usque in hodiernum diem hæc imprecatio super Judæos, et sanguis Domini non aufertur ab eis. »

Estquinta victoria Regis: in Judæos prophetizantes propriam ruinam.

(*V.* 26-31.) Flagellatio. Coronatio spinis. Injuriæ. (*Marcus XV,* 16-19.)

Hier. « Sciendum est Pilatum Romanis legibus ministrasse, quibus sancitum est, ut qui crucifigitur prius flagellis verberetur... Et quia Jesus Rex Judæorum fuerat appellatus, et hoc ei crimen Scribæ et Sacerdotes objecerant quod sibi in populum Israël usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant chlamydem coccineam pro rufo limbo, quo reges veteres utebantur, et pro diademate imponant ei coronam spineam, pro sceptro regali dent calamum et adorent quasi Regem. »

Notandum est Matthæum solum de calamo ut regali sceptro in manibus Domini posito loqui. Hic Regem proprio sceptro percutiunt. Marcus etiam XV, 19, dicit: « Et percutiebant caput ejus arundine. » Sed non videtur injuria inflicta ut Regi: nam de arundine priùs in dexterâ per modum sceptri positâ nihil dicitur apud hunc Evangelistam.

(*V.* 32-38.) Portat crucem adjutus a Simone. — Crucifigitur inter latrones. (*Marcus XV,* 20-28.)

Simon Cyrenæus. (*v.* 32.)

Remig. « Iste Simon erat peregrinus et advena. Undè pulchrè per eum designatur populus gentium, qui peregrinus erat testamentorum Dei, sed credendo, factus est civis Sanctorum, et domesticus et hœres Dei. »

Golgotha, seu Calvariæ locus. (*v.* 33.)

Hier. « Calvariæ, id est, decollatorum. Propterea autem

ibi crucifixus est Jesus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. »

« Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. »

Hier. « Amara vitis amarum vinum facit, quod potant Dominum Jesum, ut impleatur quod scriptum est : « dederunt in cibum meum fel. » Et Deus loquitur ad Jerusalem : ego te plantavi vineam veram, quomodo facta es in amaritudine vitis aliena ? « Et cum gustasset noluit bibere. »

Aug. de Cons. Evang. « Quod Matthæus ait, « noluit bibere, » hoc Marcus dixit : « non accepit, » tacuit quod gustavit.

(*V.* 35-38.) Crucifigitur Jesus inter duos latrones.

Hier. « Sicut pro nobis maledictum crucis factus est Christus, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur. »

(*V.* 39-44.) Blasphemiæ. (*Marcus XV*, 29-32.) Legimus (*v.* 43.) « Confidit in Deo ; liberet nunc, si vult, eum ; dixit enim : quia Filius Dei sum. »

Blasphemiæ Judæorum respondent Regis derelictioni de qua queritur : (*v.* 46.) « Deus meus, Deus meus, ut quid (*Ps. XXI*, 1) dereliquisti me? » Impii inimici contra Jesum vertunt blasphemantes verba ejusdem Psalmi XXI, 9 : « Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum. » — Inde splendor victoriæ Regis magni magis in fine effulget.

(*V.* 45-46.) Tenebræ. — « Eli, Eli, lamma Sabacthani ? hoc est : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? »

Regem nostrum Pater æternus potestati persequentium exponit, subtrahit protectionem, unionem non solvens.

Sic per victoriam crucis meretur Israel vocari. In monte post resurrectionem victor proclamabit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terrâ. » (*Matth. XXVIII*, 18.) Similiter in Marco cœlestis Doctor postquam cum Rege expresserit suam a Deo derelictionem : (*XV*, 34.) Victor sedebit a dextris Dei, unde sermonem doctorum suorum in sæcula firmabit, « sequentibus signis. » (*Marc. XVI*, 19, 20).

(*V.* 47-50.) Novæ contumeliæ. — Mors Jesu. (*Marcus*

XV, 35-37). « Clamans voce magnâ, emisit spiritum. » (*v.* 50.) — « Emissâ voce magnâ expiravit. » (*Marc.*)

In ipsâ morte Rex-Propheta modicùm derelictus triumphat. Chrys. : « Propter hoc autem et voce magnâ clamavit, ut ostendatur quoniam secundùm ejus potestatem id geritur. Per hoc enim quod moriens vocem emisit magnam, apertissimè se verum Deum esse ostendit, quoniam homines cum moriuntur, vix tenuem vocem emittere possunt. »

Aug. de Cons. Evang. « Quid autem voce magnâ dixerit, Lucas declaravit : « Et clamans Jesus voce magnâ, ait : « Pater in manus tuas commendo spiritum meum. »

(*V.* 51-53.) Prodigia post mortem Jesu.

« Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum : » (*v.* 51.)

Hoc narrant Matthaeus, Marcus et Lucas.

Jesus ut Rex, Propheta et Sacerdos « introivit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ. » (*Hebr. IX*, 12.) Sanctum Sanctorum in Ecclesiâ omnibus semper patet ; et ideo velum scissum est. « Spem enim sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum. » (*Hebr. VI*, 19, 20.)

Jesus ut Verbum Patris est ipse Sanctus Sanctorum : ideo Joannes omisit loqui de velo templi scisso, quia hæc narratio magis insinuabat mysterium sacræ Domini nostri humanitatis. »

(*V.* 51-53.) Narrantur alia prodigia post Jesu mortem.

Matthæus hæc solus describit et sic novam victoriam Leonis de tribu Juda buccinat :

« Et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt ; et multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. » Vicit Rex Emmanuel !

(*V.* 54.) Centurio. — Raban. « Merito per centurionem fides Ecclesiæ designatur : quæ continuò Jesum et verè justum

hominem, et verè Dei Filium, Synagogâ tacente, confirmat. »

(V. 55-56.) Sanctæ mulieres.

(V. 57-61.) Josephus ab Arimathæâ. Sepultura Jesu.

(V. 62-66.) Muniunt sepulchrum custodiâ militum.

Chrys. « Vide qualiter nolentes concertant ad demonstrandam veritatem : irrefragabilis enim demonstratio resurrectionis facta est per ea quæ prætenderunt, quia enim custoditum est sepulchrum nulla fraus facta est. »

Hier. » Seductor ille dixit, post tres dies resurgam. »

Sicut Caïphas ignorans ante prophetaverat, dicens, expedit unum hominem mori pro populo, et non tota gens pereat : « Sic et modo. » Seductor enim erat Christus, non a veritate in errorem mittens, sed a falsitate in veritatem, a vitiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens. »

Solus Matthæus hæc narrat et ita præparat plenam victoriam Regis super inimicos in resurrectione.

C. XXVIII.

Victoria Regis.

(V. 1.) « Vespere autem sabbati, quæ lucescit in primâ sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulchrum. »

Ill^mus Beelen, juxta textum græcum, Matthæum cum aliis Evangelistis concordare facit. Ita vertit : « Post sabbatum autem, quando lùcescebat in primum diem hebdomadæ. »

Sabbatum hìc sumi potest pro die naturali et terminari mediâ nocte : ut sic intelligamus Matthæus ipse insinuat, dicens : « quæ lucescit in primâ sabbati. »

(V. 2.) « Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo : et accedens, revolvit lapidem, et sedebat super eum. »

Rex in victoriâ exercet plenum dominium super omnem creaturam : « Omnis potestas ei data est. »

Beda. « Præco autem resurrectionis sedisse memoratur, ut sedendo significaret, eum superato mortis auctore sedem Regni jam conscendisse perpetui : sedebat autem super lapi-

dem revolutum, quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra inferorum ipsum suâ virtute dejecisse doceret. »

Hæc omnino explicant regiam personam Domini apud Matthæum ab Angelo repræsentari.

(*V.* 3-5.) « Erat autem aspectus ejus sicut fulgur : et vestimentum ejus sicut nix. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes : et facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus dixit mulieribus : nolite timere vos : scio enim quod Jesum qui crucifixus est, quæritis. »

Videtur Angelus hìc repræsentare Regem super thronum judicantem inter pios et impios, ut S. Greg. in homel. testatur : « In fulgure terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris. Quia verò omnipotens Deus terribilis est peccatoribus, et blandus justis, rectè testis resurrectionis ejus Angelus et in fulgore vultûs, et in candore habitûs demonstratur, ut de ipsâ suâ specie et terreret reprobos, et mulceret pios. »

(*V.* 6, 7.) « Non est hic : surrexit enim, sicut dixit. Venite et videte locum ubi positus erat Dominus. Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit ; et ecce præcedet vos in Galilæam : ibi eum videbitis ; ecce prædixi vobis. »

Est prædictio futuri dominii Regis super Gentiles : In hoc Marcus sequitur Matthæum. (*C. XVI*, 7.)

Pertinet etiam ad Prophetam in Galilæam Gentium transire, nam est vox novæ legis et mediator adimpletionis.

(*V.* 8-10.) Ipse Dominus in apparitione mulieribus mandat nuntiare fratribus ut eant in Galilæam, ubi eum videbunt.

(*V.* 11-15.) De custodibus.

Hier. « Principes sacerdotum, qui debuerant converti ad pœnitentiam, et Jesum quærere resurgentem, perseverant in malitiâ, et pecuniam quæ ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut et ante triginta argenteos Judæ dederunt proditori. »

Chrys. « Sed non persuasibilia sunt quæ de furto dicta sunt. Unde per quæ resurrectionem obumbrare conantur, per hæc eam faciunt clarere. Dicentes enim quod discipuli furati sunt, confitentur non esse corpus in sepulchro : fur-

tum autem ostendit esse mendax custodia militum, et discipulorum pavor. »

Nova igitur est victoria Regis qui annihilat insipidum consilium Judæorum !

Hil. « Emitur ergo resurrectionis silentium, et mendacium furti argento : quia honore scilicet sæculi, qui in pecunia est et cupiditate, Christi gloria denegatur. » « Et divulgatum est verbum istud apud Judæos usque in hodiernum diem. » (*v.* 15.)

Sever. « Apud Judæos quidem divulgatum est, non apud Christianos : quod enim in Judæâ Judæus obscurabat aurum, fide toto claruit mundo. »

(*V.* 16-17.) « Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem, ubi constituerat illis Jesus. Et videntes eum, adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. »

Rab. « In monte quidem apparuit eis Dominus ut significaret quoniam corpus, quod de communi generis humani terrâ nascendo susceperat, resurgendo jam super terrena omnia sublevaverat. Et ut admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis ejus cupiunt videre, hìc ab infimis voluptatibus ad suprema studeant desideria transire. »

(*V.* 18.) « Et accedens Jesus, locutus est eis, dicens : data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. »

Ill^mus Beelen. « Non loquitur hic Jesus de suâ potestate in divinâ, seu humana naturâ : sed loquitur potius de potestate quam acquisivit ut Redemptor hominum per adimpletum opus redemptionis. Illa potestas et dominatio, seu imperium regale fuerunt prædicta a prophetis de futuro Messiâ loquentibus. Psalm. II, 6-8 ; CIX, 1 ; Daniel VII, 13, 14. S. Paulus hæc memorat in Epist. ad Philipp. II, 9, 10 ; et in Epist. ad Ephesios, I, 20-22. Actus Ap. X, 36, 42 ; et Apoc. XVII, 14. »

Quantis et quot testimoniis potestas regia Emmanuëlis declaratur ! Sti Augustini systema Evangelicum mire fulcitur : « Vicit Leo de tribu Juda. » Hic est lapis de quo Daniel, II, 35, 44.

« Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons

magnus, et implevit universam terram.... suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur : ... et ipsum stabit in æternum. »

(*V.* 19, 20.) « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti :

Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. »

Hier. « Consideratur autem hic ordo præcipuus : jussit Apostolos, ut primum docerent universas gentes, deinde fidei tingerent sacramento, et post fidem ac baptisma quæ essent observanda præciperent. »

Sever. « Omnes ergo gentes potestas una eademque (summæ et individuæ. Trinitatis) recreat ad salutem, quas creavit ad vitam. »

Obedientiam summo Regi per totum orbem prædixerat Rex Propheta David. (*Ps. LXXI,* 11.)

« Omnes gentes servient ei. »

(*V.* 20.) « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. »

O verè Rex noster ! Emmanuël ! « quod est interpretatum nobiscum Deus. » (*Matth. I,* 23.)

Victoriam regni sui super omnes gentes his verbis prædixit juxta Stos Patres. Hieronymus ait : « Qui ergo usque ad consummationem sæculi cum discipulis se esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum. » Et Chrys. « Et ecce ego vobiscum sum... » q. d. Ne dicatis difficile injunctum negotium (conversionis mundi ad me,) ego sum vobiscum, qui omnia facio levia. » Et S. Leo Papa (in serm. de Pascha.) « Qui enim ascendit in cœlos, non deserit adoptatos ; et ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam : cujus gloriæ participes nos faciat ipse Christus, *Rex Gloriæ*, qui est « Deus benedictus in sæcula. Amen. »

Nota. Pleraque testimonia sanctorum Patrum desumpta sunt ex « Catenâ Aureâ » Sancti Thomæ. — 8 volum. Edit. Lud. Vives. 1868. Lutet. Paris.

Finis Analysis Mysticæ
Evangelii Regii Secundum Matthæum.

ANALYSIS MYSTICA

EVANGELII SANCTI MARCI

COMMENDANTIS CHRISTI

PROPHETICAM DIGNITATEM.

Sanctus Augustinus diversimode scripsit de ordine quem S. Marcus in Evangelio suo est secutus. In Libr. I de consens. Evang. C. III ait:

« Matthæus qui regiam Christi personam narrandam susceperat, habuit Marcum sibi tanquam comitem et abbreviatorem adjunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur. » Et Libr. III C. X, 11, scribit: « Quod probabilius intelligitur, Marcus cum Matthæo et Lucâ incedit. Nam quamvis Matthæo in pluribus, tamen in aliis nonnullis Lucæ magis congruit. »

Ill^mus Beelen. Quando S. Aug. Marcum, Matthæi breviatorem nominat, hoc non potest nimis litteraliter intelligi: non solùm enim diversa annotavit Marcus, quæ in Matthæo prorsus non occurrunt; sed etiam quando uterque Evangelista eadem describit, Marcus communiter addit aliqua, quæ reddunt narrationem Matthæi, unâ alterâve circumstantiâ adjunctâ, vel magis completam, vel etiam aliquando magis lucidam et intelligibilem. »

Apud A Lapide, in proleg. in Matth. T. XV. Edit. Vives. 1868, legimus ex aliquorum Patrum sententiâ, Marcum Propheticam Christi dignitatem præcipuè commendare: Sic in ipso scopo Evangelistæ videmus rationem quare Marcus

sæpius narrationi Matthæi aliqua superaddat quæ in sensum lucem effundunt. Si enim dignitatem Christi propheticam commendat, intentio ejus esse debet, post Regem de lege tractare, vel etiam ea quæ leges Sacerdotii regalis innuunt explicare. « Propheta enim, ait Alzog, est simul vivens vox legis et mediator adimpletionis. » Hist. Eccles.

S. Paulus, ad Romanos C. XII, 6, per Prophetiam intelligit, ait Menoch., « doctrinam et ea quæ ad docendi munus pertinent. »

De Christo Doctore orbis prædixit Isaïas C. XXX, 20. « Et non faciet avolare a te ultrà doctorem tuum : et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. » Quod Menoch. interpretatur : « Respicit Propheta Christum Doctorem orbis, qui non avolat ab Ecclesiâ, sed perpetuò illam docet per inspirationes, scripturas et doctos ministros suos. »

S. Thomas de Incarn. P. III, Q. VII. art. 7 docet, quamdam Christi Doctoris prærogativam esse, possidere eminenter gratias gratis datas. Sic loquitur : « In Christo fuerunt excellentissime omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo et principali fidei doctore. »

Quæ glossa habet in præf. in Marcum, Catena Aureâ, orbis Doctoris Evangelio benè congruunt : « Matthæus Judæis Evangelium hebraïco sermone scripsit : Marcus autem primus Evangelium scripsit gentibus. »

C. I. *v.* 1-3.

Felix nuntium de adventu Messiæ.

« Initium Evangelii Jesu-Christi filii Dei. » (*v.* 1.)

Ill^mus Beelen ita interpretatur : « Felix nuntium de adventu Messiæ Salvatoris mundi. Quod nuntium incœpit prædicatione Joannis Baptistæ. » « Sicut scriptum est in Isaïa propheta : ecce ego mitto Angelum meum. » (*v.* 2.)

V. Beda. « Apte Matthæus qui humanam generationem erat descripturus a Filio hominis cœpit, David scilicet, sive Abraham. Apte etiam is qui librum suum ab initio prædica-

tionis Evangelicæ inchoabat, Filium Dei magis appellare voluit Jesum-Christum ; quia humanæ erat naturæ de progenie patriarcharum veritatem carnis suscipere : et divinæ fuit potentiæ Evangelium mundo prædicare. » Quæ ultima verba mirè dignitati Doctoris et Prophetæ Christi, conveniunt.

2, 3. « Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam... » In loco Malachiæ C. III, 1, unde desumuntur hæc verba, additur immediate : « Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis et Angelus testamenti quem vos vultis. »

Christus hic Angelus vocatur, ait Menoch., quia fuit nuntius et interpres fidus divinæ voluntatis, quam manifestavit hominibus. »

Bene igitur Joannes in Marco Angelus nominatur, tanquam præcursor « Angeli Testamenti, » seu fidi interpretis divinæ voluntatis.

« Vox clamantis in deserto.... » (*v.* 3.)

Chrys. « Manifestè ostendit prophetia, non in Hierusalem divina fieri dogmata, sed in deserto, quod implebatur ad litteram a Joanne Baptistâ in deserto Jordanis, Verbi Dei apparitionem salutiferam prædicante. Ostendit etiam sermo propheticus præter desertum quod a Moyse ostensum fuit, ubi semitas faciebat, aliud esse desertum, in quo præsentem esse salutem Christi significabat. »

Prædicatio et baptisma Joannis (*v.*4-8.)

S. Marcus hæc breviter enarrat, omittens objurgationes quibus utitur Joannes in Matthæo; et etiam admonitiones quas dat misericorditer turbis, publicanis et militibus in Lucâ. In Marco præcursor cœlestis Doctoris prædicat « baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. » (*v.* 4.)

Conatur per prædicationem omnibus persuadere suum accipere baptismum pœnitentiæ, ut sic per contritionem et conversionem se præpararent ad baptismum Messiæ qui baptizaret eos Spiritu sancto.

Et insinuat prudenter divinitatem Christi : « Venit fortior

me post me : cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus. Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. » (*v.* 7, 8.)

Hæc verba Joannis sunt solùm doctrinalia; quasi Evangelium divini Prophetæ præparantia.

« Paulatim, ait Beda, per agnitionem glorificatæ humanitatis introducendi erant rudes auditores ad fidem Divinitatis æternæ, quibus tamen latenter Deum hunc esse verum declarans, subdit : » Ego baptizavi vos aquâ, ille vero baptizabit vos Spiritu sancto. « Cui enim dubium est, nullum posse alium gratiam Spiritûs sancti, nisi Deum dare. »

Baptisma Christi et tentatio in deserto paucis verbis describuntur. v. 9-13.

Marcus imitatur ardorem illius qui dixit : « Et accedam ad vos .... et ero testis velox. » (*Malach. III,* 5.)

(*V.* 10.) « Et statim ascendens de aquâ, vidit Cœlos apertos.... » V. Beda. « Quod apertos cœlos vidit post baptisma, nostri utique gratiâ factum est quibus per lavacrum undæ regeneratricis janua panditur regni cœlestis, quæ, peccantibus quondam protoplastis ac paradiso ejectis, toti generi humano interpositis Cherubim et flammeo gladio clausa est. Extinguitur enim hæc flamma cuique fidelium, cum aquis vitalibus tingitur. Reconciliatur Angelicis Spiritibus, cum ad pacem sui redierit Creatoris, adeo ut si percepta fidei sacramenta puro corde et corpore servaverit, mox solutus carne regna possit intrare cœlestia. »

(*V.* 13.) Solus Marcus notat de Jesu : « Eratque cum bestiis. »

Menoch. « Inter bestias et eas quidem feras et venenatas ; hoc enim significat *Θηρὶον*.

Forsan non absque mysterio solus Marcus dicit de singulari humilitate cœlestis Doctoris sapientiæ : « Eratque cum *bestiis.* » Hebr. *Behémôt.*

Legitur enim Ps. XLVIII, 13, 21 : « Homo cum in honore esset, non intellexit : comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis. »

Hebr. *Behéma*, Sing. proprie, « muta bestia, » Plur. *Behémôt*. Utuntur voce tam pro feris quam pro aliis quadrupedibus : « *Laïsh ghibor babehéma*. Leo potens inter bestias. *Prov.* XXX, 30. » — « Dentes bestiarum immittam in eos. *Shen behémôt eshalach bam.* » *Deut.* XXXII, 24. In *Ps.* XLVIII, 13. 21 legitur : « *Nimshal cabehémôt*. Comparatus est jumentis. » (bestiis in genere.)

De jejunio Domini Marcus tacet. — De tentationibus breviter dicit : « et tentabatur a satanâ. » Intermiscens Angelorum ministerium : « Et angeli ministrabant ei. »

Insidiæ satanæ oppugnant cœlestis Doctoris sapientiam : sed Angeli Filio Dei ministrant.

Prædicatio Christi. v. 14, 15.

« Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam, prædicans Evangelium regni Dei, et dicens : « quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei: pœnitemini, et credite Evangelio. »

Omisit noster Evangelista prophetiam Isaiæ prophetæ quam refert Matthæus IV, 15, 16. — Generatim quando Marcus sequitur Matthæum, omittit ea quæ magis directe dignitatem regiam spectant, seu constitutionem Ecclesiæ ejusque hierarchiam. Hic præterit splendorem regni Christi in medio populorum qui sedent in tenebris, et in regione umbræ mortis. (*Matth. IV.* 16.)

Immediate sine præambulo agitur de prædicatione cœlestis Prophetæ, qui tanquam primus et principalis Fidei Doctor pœnitentiam et Fidem injungit ; « pœnitemini et credite Evangelio. »

Sæpius apud Marcum Jesus fidem plus quam apud cœteros Evangelistas commendat. Fides specialis in Filium Dei apud Joannem commendatur.

Vocatio quatuor Apostolorum. v. 16-20.

Eodem modo quo Matthæus, vocationem Simonis et Andrææ fratris ejus, et filiorum Zebedæi, Marcus narrat.

Vide notata apud Matthæum pag. 83, 85.

Capharnai in sabbatis ejicit Jesus dæmonium. v. 21-28.

V. Beda. « Quod sabbatis maximè medicinæ doctrinæque suæ dona frequentat, docet se non sub lege esse, sed supra legem qui eamdem quoque legem adimplere, non autem solvere venerit. »

(*V.* 27.) « Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat et obediunt ei. »

Ven. Beda. « Quænam doctrina hæc nova? » Jesus quasi Deus et Dominus ipsius Moysis, pro libertate voluntatis suæ vel ea quæ minus videbantur addebat in lege, vel commutans prædicabat populis, ut in Matthæo legimus : « Dictum est antiquis, ego autem dico vobis. » (*Matth. V.*)

Curatur socrus Simonis. v. 29-31.

Evangelista cœlestis Doctoris ubique zelum ardentem quo hic uritur designat : diversa exempla in primo capite occurrunt : hic *v.* 28 et 29 legimus : « Et processit rumor ejus *statim* in omnem regionem Galilææ. Et *protinus* egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis... »

Infra *v.* 43 « *Statimque* ejecit illum » i. e., hominem a lepra liberatum etc.

Socrus Simonis significat legem, vel synagogam, quam curat, ait Beda, Filius Dei, non eligens Judaicum sabbatum, sed verum sabbatum, quem inchoavit cum triennali prædicatione, ut in perfectam requiem cum Ecclesiâ suâ intraret in morte. »

Miracula vespere. v. 32-34.

Quæ requies juxta sanctos Patres repræsentatur solis occasu, quando plures sanavit ægrotos in morte :

« Quia qui temporaliter in carne vivens, ait Beda, paucos Judæorum docuit, omnibus per orbem gentibus per mortem fidei salutisque dona transmisit.

Recessus in desertum. Orat ibidem, deinde prædicat in synagogis Galilææ. v. 35-39.

(*V.* 35.) « Et diluculo valdè surgens egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. »

V. Beda. « Diluculo redeunte resurrectio Domini indicatur. »

Prosequitur textus : « Et prosecutus est eum Simon, et qui cum eo erant. Et cum iuvenissent eum dixerunt ei : quia omnes quærunt te. Et ait illis : Eamus in proximos vicos et civitates ut et ibi prædicem : ad hoc enim veni. » (*v.* 36-38.)

Sanctus Lucas sic exponit : « Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum : et detinebant eum ne discederet ab eis. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum. » (*S. Luc. IV*, 42-43.)

S. Chrys. « Non autem sibi invicem contradicunt : suscepit enim Christus et post Apostolos turbam conjungi, Christi pedibus anhelantem ; gaudens autem eos suscipiebat, sed volebat eos dimittere ut et reliqui doctrinæ ejus participes essent. »

S. Joannes Chrysostomus in verbis Domini ad Apostolos in Marco, scilicet : « ad hoc enim veni. » videt divinitatis ejus dominium et liberam exinanitionem. In verbis Domini ad turbas in Lucâ, scilicet : « quia ideo missus sum, » animadvertit Dei Patris bonam voluntatem de incarnatione Filii. Sic independentia cœlestis Doctoris, in Marco, ut Filii Dei manifestatur. Et obedientia sacerdotalis Victimæ cœlesti Patri in Lucâ.

Verba Chrys. (jungit textum Marci et Lucæ.) sunt :

« In his manifestat exinanitionis, id est, incarnationis mysterium, et divinitatis suæ dominium, dum scilicet asserit sponte se in mundum venisse : « ad hoc enim veni. » Quando vero in Lucâ dicit : « ad hoc missus sum, » denuntiat dispensationem, et Dei Patris bonam voluntatem de incar-

natione Filii. » Subjungit Marcus (*v.* 39) : « Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens. »

Addit doctrinæ nova signa quibus abundat ut jaciat fidei fundamenta.

Leprosus et paralyticus hic successive curantur in signum salutis corporis et animæ. v. 40-45. *C. II.* 1-12.

In memoriam hic revocanda sunt quæ annotavimus apud Matthæum ex Chrysostomo circa connexionem mysticam inter sermonem in monte, curam leprosi et servi centurionis. (*Matth. V-VIII,* 1-13.) Ita loquitur S. Pater : « Postquam Dominus discipulos docuit in monte, leprosum autem sanavit sub monte : venit Capharnaüm in mysterio, quia post Judæorum mundationem venit ad gentes. Centurio enim est primus fructus ex gentibus, ad cujus fidei comparationem omnium Judæorum fides infidelitas inventa est. »

Docet nos Chrys. regem ad novum regnum fundandum, transire de Judæis ad Gentes : leges cæremoniales immutans in legem fidei. Ut loquitur S. Paul. ad Rom. III, 28, 29. « Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis. An judæorum Deus est tantum? nonne et gentium? imo et gentium. »

Apud S. Marcum et Lucam Doctor cœlestis et Sacerdos mystice transeunt in cura leprosi de munditie legali, ad veram munditiem et sanitatem animæ, in remissione peccatorum paralytico concessa, juxta fidem Abrahæ : « credidit Abraham Deo et reputatum est ei ad justitiam. » (*Rom. IV,* 3.)

Dicit enim Evangelista : « Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico : fili, dimittuntur tibi peccata tua. (*Marc. II,* 5.)

S. Paulus mirè nostram transmigrationem ex lege ad gratiam explicat : « Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex fide justi-

ficemur. At ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Jesu.» (*Galat. III.* 23-26.)

(*V.* 13.) « Et egressus est rursus ad mare : omnisque turba veniebat ad eum et docebat eos. »

S. Lucas, V, 27 non loquitur de *mari ;* sed dicit : « Et post hæc exiit, et vidit publicanum.... » Etiam alibi eadem differentia animadvertitur. *Mare* magis extraneos spectat.

Beda. « Postquam Dominus in Capharnaum docuit, egressus est ad mare, ut non solùm civilem vitam hominum instrueret, verùm etiam habitatoribus maris Evangelium regni prædicaret, eosque fluctivagos rerum labentium motus contemnere, ac fidei firmitate superare doceret. »

C. II. V. 14-28. Vocatio Matthæi. Apostoli sabbato spicas vellunt. Cultus sabbati.

V. Beda. « Si per Matthæi electionem et vocationem publicanorum, fides exprimitur etiam gentium, qui prius mundi lucris inhiabant : profecto supercilium scribarum et Pharisæorum, judæorum invidiam insinuat, qui de gentium salute torquentur. Sugillat scribas et Pharisæos, qui justos se putantes peccatorum consortium declinabant. Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere vulneratus est, propter iniquitates nostras, et ejus livore sanati sumus. Sanos autem et justos vocat eos qui suam justitiam volentes statuere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Porro malè habentes et peccatores eos, qui suæ fragilitatis conscientia devicti, nec per legem se justificari posse videntes, Christi gratiæ pœnitendo colla submittunt. »

(*V.* 18-22.) Jejunium discipulorum Joannis et Pharisæorum. — Theod. « Joannis discipuli in imperfecto positi, in consuetudinibus pharisaicis permanebant. »

Chrys. « Cum discipulis pharisæorum contra Christum zelotypice se habentes, ipsum interrogant, utrum solus cum discipulis suis absque abstinentiâ et labore pugnas superet passionum. »

(*V.* 19, 20.) « Et ait illis Jesus : numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare? quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt in diebus illis. »

Subjicit (*v.* 21, 22.) similitudines panni rudis et utrum veterum.

Calmet (Ex Chrys. Hier. Maldon. et aliis.) « Jesus-Christus suam suorumque apostolorum agendi rationem duabus probat similitudinibus, q. d. Discipuli mei sunt sicut veteres vestes, ac utres ; nimiam austeritatem ferre nequeunt ; neque exercitationem nimis violentam, atque molestam pati. Eorum ratio est habenda, iique cum mediocritate quâdam, suavitate ac lenitate ducendi, ut perseverent, atque graves labores Apostolatus sustineant. Cum erunt magis robusti, ac Spiritu sancto qui super illos descensurus est, renovati, tunc illis instituta præscribam majoribus conjuncta laboribus, atque pœnitentiæ exercitationibus. Recentes sunt per conversionem, et senes propter habitus malos. Auferendum quod vetus est, et quod novum confirmandum. Tunc pares erunt non imitandis duntaxat, verum etiam superandis Pharisæorum ac discipulorum sancti Joannis laboribus atque jejuniis. »

(*V.* 23-28.) Cultus sabbati. — Chrys. « Liberati a figurâ, et veritati uniti Christi discipuli, figurale sabbati festum non servant. Pharisæï autem figuræ et umbræ servientes, discipulos accusabant tanquam injustè agentes : Dominus autem David in medium introducit, cui aliquando contigit non secundum legem comedere, cum sacerdotalem tetigit cibum, ut illius exemplo accusationem discipulorum solvat. »

C. III. 1-6. Manus arida, in synagogâ, sabbato curata est.

V. Beda. « Quia destructionem sabbati, quam in discipulis arguebant, probabili excusaverat exemplo, nunc ipsum observando calumniari volunt, ut si sabbato curet, trans-

gressionis : si non curet, crudelitatis aut imbecillitatis arguant. »

« Aug. De consens. Evang. notat quod Matthæus dixerit : ipsos interrogasse Dominum : si licet sabbato curare; cum Marcus et Lucas illos a Domino interrogatos fuisse perhibeant. »

Beda. « Humani generis dextera quæ in primo parente, dum vetitæ arboris poma decerperet, aruerat, per redemptoris gratiam dum insontes manus in crucis arbore tenderet, bonorum operum succis est restituta saluti. Et bene in synagoga manus erat arida, quia ubi scientiæ donum majus est : ibi gravius est inexcusabilis noxæ periculum.

(V. 6.) « Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent. »

Herodiani, ait Ill^mus Beelen, erant illi qui favebant Herodibus atque Romanis.

(V. 7-12.) *Jesus secedit ad mare.*

Luc. c. 6, 12. In hoc loco Lucas omittit, de novo, secessum ad mare.

Sicut in Matthæo post manum aridam in synagogâ curatam, tanquam figuram vocationis Israel ad salutem, expresse transitus ad gentes nuntiatur summi Regis : « Et in nomine ejus gentes sperabunt. » (*Matth. XII*, 9-22.) In cujus exemplum atque figuram « dæmonium habens, cæcus et mutus » curatur.

Ita in Marco cœlestis Doctor postquam restituit manum in synagogâ, homicidas pharisæos vitans secedit ad mare. Et sic novâ figurâ transitum ad gentes docet : nam ibidem sequuntur non solùm « multa turba a Galilæa et Judæa, et ab Hierosolymis et ab Idumæa et trans Jordanem : « sed etiam et qui circa Tyrum et Sidonem, multitudo magna, audientes quæ faciebat. » (*v.* 7, 8.)

In Marco non ita apertè agitur de transferendo Regnum de uno populo ad alterum sicut in Evangelio regio ; sed

narrantur miracula quæ doctrinam prophetæ transituram de synagogâ ad Ecclesiam gentium, confirmant.

V. Beda. « Juxta allegoriam verò in hoc quod Dominus egressus de synagoga secessit ad mare, gentium salvationem præfiguravit, ad quas venire per fidem, relictâ ob perfidiam Judæâ, dignatus est.... Navicula verò in mari deserviens Ecclesia est de gentibus congregata. »

Sanctus Lucas (*VI*, 11.), notata iniqua Scribarum et Pharisæorum insipientia et homicida mente, ob curatam aridam manum in Synagoga, die sabbato, ait : « Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei. » (*v.* 12.)

Ex sequentibus docemur pium Sacerdotem totum hic esse intentum propriis discipulis : orat ut fideles cum ipso perseverent in via Crucis, ut alieni sint a spiritu improbo Pharisæorum et Scribarum, ut duodecim inter illos Apostolatu Crucis rite fungantur. Revera, electis Apostolis, coram immensa multitudine, ex omni regione vicina, adunata, postquam maximis miraculis, ægrotos eorum benigne curaverat : publicum habet sermonem in quo solos discipulos alloquitur. Beatos illos prædicat et media perseverandi in via crucis præscribit. Væ intonat in adversarios. — O quanto amore prosequitur bonus Samaritanus nucleum discipulorum ! (*Luc. VI*, 12-49.) — Exemplum amoris simile legitur apud Lucam, post miraculum quinque panum. (*IX*, 18.... etc.) Vide notata in loco.

In Marco videtur miranda connexio a cap. I, 40 ad finem et cap. II : et cap. III, 1-12. Curantur 1° leprosus et 2° paralyticus. Sic transitus factus est de medela corporali judaismi ad medelam spiritualem christianismi. Deinde post vocationem Matthæi Dominus accumbens mensæ in domo ejus, docet quanta futura sit differentia inter novam doctrinam et doctrinam antiquatam judæorum. Jejunium suorum superabit antiqua jejunia. Deinde cœlestis Doctor introducit suos in sabbatum quod futurum est proprium christianorum : ibi erit saturitas et requies a laboriosâ lege judaica. Ibi languor synagogæ restituetur : quod præfiguratur in curâ manûs aridæ facta

sabbato in synagogâ. Unde iræ pharisæorum qui exeunt et se separant a Domino ita ut velint eum perdere. « Exeuntes autem Pharisæi, statim cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent »(*C. III. v.* 6.). Jesus autem cum discipulis, sequente multitudine, secessit ad mare quasi ad gentes transiturus (III, 7-12.).

(*V.* 13-19.) *Electio Apostolorum.*

Apud Matthæum IX, 36-38 vidimus regem misertum esse populi vexati et jacentis sicut ovium sine pastore ; ideo compulit Apostolos rogare Dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Deinde cap. X narratur missio Apostolorum.

Hic apud Marcum cœlestis Doctor postquam exierunt Pharisæi et ipse secessit ad mare, ibidem signa faciens, dignatur in monte Apostolos eligere quos mitteret prædicare.

Apud Evangelistam Regium videmus miserum statum regni cui rex mederi studet ; apud Marcum miramur cœlestem Doctorem qui infidelibus ministris synagogæ, Pharisæis scil. substituit Apostolos « qui cum ipso essent et quos mitteret prædicare Evangelium. » (*v.* 14.)

« Et ascendens in montem, vocavit ad se quos ipse voluit : et venerunt ad eum. » (*v.* 13.)

Hic iterum cum Chrysostomo licet animadvertere divinitatis dominium cœlestis Doctoris a Marco prædicatum : « Vocavit ad se quos voluit ipse. »

Beda : « Non enim illorum electionis ac studii, sed divinæ erat dignationis et gratiæ, ut et in Apostolatum vocarentur. »

Divina deinde sapientia nomina imposuit. « Simoni nomen Petrus : et filiis Zebedæi Joanni et Jacobo nomina Boanerges, quod est filii tonitrui. » (16, 17.)

In Joanne dixerat Jesus Simoni : « Tu vocaberis Cephas quod interpretatur Petrus. » (*Joan. I*, 42.)

Beda. « Ideo autem Dominus voluit eum prius aliter vocari, ut ex ipsa commutatione nominis sacramentum com-

mendaretur. Nam sicut lux vera erat Christus (*Joann. I.*), et donavit Apostolis, ut lux mundi vocentur (*Matth. V.*), sic et Simoni qui credebat in petram Christum, petræ largitus est nomen. »

Concursus populi. v. 20, 21.

« Et veniunt ad domum, et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare. Et cum audissent sui, exierunt tenere eum : dicebant enim : quoniam in furorem versus est. »

V. Beda. « Quem turba frequentat externa, hunc propinquorum æstimatio parvipendit. Quia enim altitudinem sapientiæ quam audiebant, capere non poterant, quasi in alieno eum sensu locutum esse credebant. »

Antioch. « Stulta autem fuit insania, quod tantorum miraculorum factorem et cœlestis doctrinæ (vel divinæ sapientiæ) doctorem in furiam versum concipiunt. »

S. Joannes, VII, 5, ait : « Neque enim fratres ejus credebant in eum. » Quod nullatenus refertur ad matrem Jesu, quæ cum cognatis venerat ex Nazareth ad Capharnaum, timens filio propter inimicos de quibus v. 6.

V. 22-30. *Blasphemant Dominum scribæ. Objurgat eos.*

Chrys. « Posita blasphemia scribarum Dominus ostendit impossibile fore quod dicebant.

Glo. « Et quia jam ostendit exemplo quod dæmon dæmonem non expellit, ostendit quomodo possit expelli, dicens : « Nemo potest vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet. (*v.* 27.)

V. Beda. « Alligavit autem Dominus fortem, id est, diabolum, hoc est, ab electorum seductione compescuit, et ingressus in domum, id est, in mundum, domum ejus et vasa, id est, homines diripuit, quia ereptos a diaboli laqueis Ecclesiæ suæ adunavit. Vel domum ejus diripuit, quia omnes mundi partes quibus olim hostis dominabatur antiquus,

Apostolis eorumque successoribus distribuit, ut populos ad viam vitæ converterent. »

In Matthæo, et Marco ostendit Rex Propheta quomodo e Regno suo per totum orbem diffundendo dæmon expelli possit. In utroque exemplum alligandi proponitur fortis armati.

Apud Lucam sacerdotalis Victima quæ ubique saluti Judæorum prius incumbit, ostendit quomodo electos populi dilecti dominationi satanæ possit eripere : sic legimus in Lucâ XI, 21, 22. « Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. » Quod sic interpretatur S. Cyril. « Erat autem ante Salvatoris adventum violentia multa, rapiens alienos greges, scilicet Dei, et quasi ad proprium ducens ovile. Postquam autem Dei summi Verbum totius fortitudinis dator, et Dominus virtutum factus est homo, invasit illum et arma ejus abstulit.

Nam qui dudum irretiti fuerant ab eo Judæi in divinam ignorantiam et errorem, evocati sunt per sanctos Apostolos ad notitiam veritatis, et oblati sunt Deo Patri per fidem adhibitam Filio. »

(V. 28-30.) Blasphemia in Spiritum sanctum irremissibilis.

Chrys. « Blasphemia in Spiritum sanctum contra Deum fit. Est enim Spiritûs sancti operatio Regnum Dei, et propter hoc irremissibilem dicit esse Spiritûs sancti blasphemiam. Qui ergo miracula et dæmonum ejectionem quæ solum sunt propria Spiritûs sancti dæmoni appropriat, nulla excusatio sibi de blasphemia relinquetur. »

De vindictâ exercendâ in Judæos in quorum domum revertetur immundus spiritus, postquam assumpserit « septem alios spiritus secum nequiores se, » (*Matth. XII, v.* 43-45 *et Luc. XI,* 24-26.) Marcus omnino tacet. Jesus supremus Doctor doctrinæ cœlesti intentus judicium exercendum tribuit Leoni victori de tribu Juda ; et summo Sacerdoti secundum ordinem Melchisedech, scilicet Regi Justitiæ.

V. 31-35. *Mater et fratres Jesu.*

In græco hic legitur : « Ἔρχονται οὖν, Veniunt igitur, quod ad v. 21 alludit. — Beda. « Rogatus ergo, ab officio verbi egredi dissimulat, non maternæ refutans obsequium pietatis sed paternis se mysteriis amplius quam maternis debere monstrans affectibus. »

« Ecce mater mea, et fratres mei. » Chrys. « In quo Dominus ostendit quod oportet eos qui fidei sunt propinqui, præ omnibus consanguineis honorare. » « Qui enim fecerit.... » Theophylact. « Non ergo negans matrem hoc dixit, sed ostendens quod non solum est digna honore propter hoc quod genuit Christum, sed propter omnem aliam virtutem. »

Chrys. « Si matri nihil prodest matrem esse, nisi virtus adesset, quis utique alius per cognationem salvabitur ? »

Beda. « Misticè mater et fratres Jesu sunt synagoga : ex cujus carne est editus populus Judæorum, qui Salvatore intus docente, venientes intrare nequeunt, cum spiritualiter intelligere dicta nequeunt : præoccupans autem turba ingreditur, quia differente Judæa, gentilitas fluxit ad Christum. »

C. IV.

1-34. *Sermo ad mare in parabolis.*

« Et iterum cœpit docere ad mare : et congregata est ad eum turba multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare super terram erat. »

V. Beda. « Non solum verba et facta Domini, verum etiam itinera et loca in quibus virtutes operatur et prædicat, cœlestibus sunt plena sacramentis.

Post sermonem quippe in domo habitum, ubi nefandâ blasphemiâ dæmonium habere dictus est egrediens docebat ad mare, ut ostenderet se, relictâ ob culpam perfidiæ Judæâ, ad gentes salvandas esse transiturum.

Unde apte præmittitur, quod eo in domo prædicante, mater ac fratres ejus foris steterunt et quasi agniti ab illo non

sint, ac sic de domo exiens ad mare docturus transierit, quia postquam synagoga ad custodiam se litteræ foris fixit, internisque Dominicæ fidei arcanis figuras legis anteponere maluit, Dominus sacramenta salutis quæ illa spreverat, externis per orbem nationibus contulit.

Navis quam ascendit præfigurabat Ecclesiam in medio nationum ædificandam, in quâ Dominus dilectam sibi consecrat mansionem. »

Parabolæ 1° Seminantis; 2° Seminis; 3° Grani sinapis.

(V. 2-9.) « Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis in doctrinâ suâ : audite, ecce exiit seminans ad seminandum.... Et aliud cecidit in terram bonam : et dabat fructum ascendentem, et crescentem, et afferebat unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. »

In tribus parabolis quas refert in hoc capite Marcus habemus egregium exemplum diversæ inspirationis Evangelii Matthæi et Marci. In Matthæo septem parabolæ cap. XIII præ se ferunt ideam Ecclesiæ, seu Regni diversimode repræsentati. In Marco autem agitur in tribus parabolis de doctrinâ quæ in Regno dabit « fructum ascendentem et crescentem ; » ut Ill^mus Beelen annotat in secundam parabolam de semine et in tertiam de grano sinapis. Ita loquitur : « Paulatim et quasi sine observantiâ crescit Ecclesia Christi ejusque cultus. Ut semen in terram immissum pervenit paulatim ad producendum fructum messi maturum. Parabola de grano sinapis, ait, ad hoc etiam videtur relationem habere. »

(V. 10-20.) Parabolam seminantis discipulis explicat ut in Matthæo et in Lucâ. In vers. 13° Marci legimus Jesum dixisse : « Nescitis hanc parabolam ? et quomodo omnes parabolas cognoscetis ? » Notandum, ait Beda, quod non solùm ea quæ loquebatur, verùm etiam quæ faciebat parabolæ fuerunt, id est, rerum signa mysticarum. »

Post explicationem parabolæ sequitur :

« Et dicebat illis : numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto ? nonne ut super candelabrum ponatur ? non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur : nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. » (21, 22.)

V. Beda. « Quia supra dixerat Apostolis et eis qui cum illis erant : « Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : (*v.* 11.) illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt, » nunc ostendit per eos, aliquando etiam cæteris idem mysterium esse revelandum, et pectus omnium qui domum Dei essent intraturi fidei flammis illustrandum. »

Notandum est Regem in publicatione legis apud Matthæum Apostolos eisdem verbis alloqui, sed tanquam principes Regni quibus incumbit proprio exemplo omnibus subditis prælucere. (*Matth. V*, 14-16.)

Hic autem Doctores Ecclesiæ Jesus supremus Doctor alloquitur ut mysteria Regni cæteris communicent.

Ill^{mus} Beelen eamdem quoad sensum inter Matthæum et Marcum differentiam animadvertit. — In Marc. pag. 223 Nota 5.

In *v.* 21. annotat Ill^{mus} Beelen : « Hâc admonitione usus est in alio loco Salvator, (*Matth. V*, 14-16.) et eam accommodavit discipulis, qui bonâ vitâ lumen forent hominibus.

Hæc admonitio in hoc loco iterum ab ipso adhibetur, sed accommodata mysteriis absconditis Regni Dei (*Matth. XIII*, 11, *Marc. IV*, 11), quæ ipsos docebat ; et intendit his verbis inculcare in mentibus discipulorum, quod lumen cognitionis, quod in ipsis accendebat, intendebatur, ut aliis communicatum, coram omnibus luceret. Nam (*v.* 22) dicitur : « Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur... : » ergo nihil mysteriorum, quæ ipsos docebat, destinatum erat ut maneret absconditum ; sed intendebatur ut publicaretur. Cultus Jesu-Christi divinus non noverat ullam esotericam doctrinam. »

(*V.* 23-25.) Ut in cordibus apostolorum hæc doctrina radices agat insistit cœlestis Propheta : « Si quis habet aures audiendi audiat. Et dicebat illis : videte quid audiatis. In quâ mensurâ mensi fueritis, remetietur vobis et adjicietur vobis. » Ill^{mus} Beelen ait : « Dat Jesus rationem ob quam oportet audire doctrinam cum maximâ attentione : si fuerit mensura attentionis magna, eadem tradetur mensura sapientiæ ; nec solummodo in eâdem mensurâ, sed etiam ultra mensuram attentionis : « Et adjicietur vobis. »

Eadem verba de mensurâ a Domino adhibentur 1° in Matthæo, in sermone montis, VII, 2; applicantur judicio in proximum exercendum: « In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini: et in quâ mensurâ mensi fueritis remetietur vobis. »

2° In Lucâ applicantur charitati proximi: « Date et dabitur vobis: mensuram bonam.... eâdem quippe mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis. » (*Luc. VI*, 38.)

Valde notandum est in tribus Evangelistis triplicem Domini dignitatem in exemplo mensuræ elucere:

Dignitatem regiam in Matthæo: Regi enim ut judici judicium relinquendum est ab Ecclesiæ filiis.

S. Paul. ad Rom. XIV, 4. « Judicas alienum servum? Domino suo stat aut cadit. »

Dignitatem Prophetæ Doctoris in Marco: Doctoris est Doctores Ecclesiæ ad scientiam stimulare ut alios doceant. In Luca dignitatem Sacerdotis et victimæ. Qui de fructu sacrificii mercedem promittit iis qui se proximo in charitate immolaverint ut ipse vitam suam dedit discipulis.

(*V.* 25.) Quæ *v.* 24. præcedenti docuit, exemplo desumpto e vitâ communi, magis confirmat: « Qui enim habet dabitur illi: et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. »

(*V.* 26-32.) Sequuntur parabolæ seminis et grani sinapis quæ supra ex V. Beda, et Illmo Beelen fuerunt expositæ.

Notat etiam Chrys. « Postquam posuit parabolam de fructificatione seminis Evangelii, subjungit aliam parabolam de grano sinapis, ad ostendendam excellentiam doctrinæ Evangelicæ ad omnes alias doctrinas. »

Quæ verba S. Doctoris etiam confirmant apud Marcum de sacrâ doctrinâ quæstionem esse, quod perfecte respondet scopo generali totius Evangelii.

(*V.* 33.) « Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire. »

Ill^mus Beelen. « Cor eorum incredulum, erat ratio ob quam ad illos loquebatur in parabolis obscuris, absque explicatione earumdem: non erant digni, ut Jesus, aliter quam obscurè, abscondita Regni Dei mysteria illis proponeret, et

ideo « loquebatur eis verbum, prout poterant audire. » Ad justificandam hanc interpretationem, ait, remittimus ad Marcum IV, 11 ; Matth. XIII, 10-18.

(*V.* 34.) « Sine parabola autem non loquebatur eis ; seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. »

Calmet ex Maldon. et Grotio : « Cum de regni sui mysteriis, Ecclesiæque suæ institutione agebatur, hæc illis palam non aperiebat : at morum præcepta summâ perspicuitate illis tradebat, uti liquet ex sermone quem habuit in monte. »

C. IV, 35-40 ; C. V.

Tempestas. Dæmoniacus et Geraseni. Hemorrhoissa et filia Jairi.

(*V.* 35.) « Et ait illis in illâ die cum sero esset factum : transeamus contra. » (*Matth. c. VIII,* 18.)

Ill^{mus} Beelen. « Ita est intelligendum acsi scriberetur : dum in Galilæâ prædicaret, *quâdam die*. Nam Marcus non intendit dicere quod ea quæ narraturus est (35-40.) facta sint eodem die quo Jesus omnes illas parabolas proposuit. »

(*V.* 36.) « Et dimittentes turbam assumunt eum, ita ut erat in navi... Et facta est procella magna venti... et erat ipse in puppi super cervical dormiens... »

Beda. Navicula quam ascendit passionis arbor intelligitur per quam fideles ad habitationem patriæ cœlestis ut ad stabilitatem securi littoris perveniunt. Ascendente autem illo in puppim crucis, fluctus blasphemantium persecutorum assurgunt... et discipulorum imbecillitas concutitur. Excitant autem discipuli Dominum, quia cujus mortem viderant, maximis votis resurrectionem quærebant. Vento exsurgens comminatus est, quia resurrectione celebrata diaboli superbiam stravit. »

C. V. 1-13. Dæmoniacus, legio in porcos immissa.

Hic autem dæmoniacus desperatissimus gentium populus est, non lege naturæ, nec Dei, nec humano timore alligatus.

V. Beda. « Populus gentium per operum fæditatem quasi in monumentis jacebat, per factum superbiæ in montibus

errabat, per verba durissimæ infidelitatis quasi lapidibus se concidebat. Legio dæmonii eum possidens nomen est: quia populus gentium diversis idololatriæ cultibus erat mancipatus. »

(*V.* 14-20.) Geraseni. Dæmoniacus liberatus in decapoli prædicans.

Rogantes Dominum Geraseni ut discedat de finibus eorum in ignorantiâ declarant tempus suæ conversionis nondum advenisse : ut ait Beda : « Quasi conscii fragilitatis propriæ, præsentia Domini se judicabant indignos. » Sed in signum futuri reditûs gentium ad Deum suum, mandat Dominus homini liberato ut suis annuntiet mirabilia Dei : « Vade, ait, in domum tuam ad tuos, et annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. Et abiit, cœpit prædicare in decapoli, quanta sibi fecisset Jesus : et omnes mirabantur. » 19. 20.

« Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare. » (*v.* 21.)

S. Lucas in transitione de Gerasenis ad Jairum et Hemorrhoissam omittit hanc circumstantiam, « et erat circa mare, » quod magis gentes respicit. Sed legitur cap. VIII, *v.* 40 : « Factum est autem cum rediisset Jesus (de terra Gerasenorum), excepit illum turba : erant enim omnes expectantes eum. »

S. Lucas non utitur quidem voce « mare » : sed adhibet vocem « stagnum » ubi Marcus « mare » scribit. Vide *Luc.* *V*, 1. 2. — *VIII*, 22. 33. Græce *λιμνην* ait ; ubi Marcus *θάλασσαν.* »

(*V.* 22-43.) Hemorrhoissa et filia Jaïri.

V. Beda. « In sanatione hemorrhoissæ mulieris et suscitatione puellæ, salus ostenditur generis humani, quæ a Domino ita dispensata est. Ut primò aliqui ex Israel ad fidem venirent, deinde plenitudo gentium intraret, ac sic omnis Israel salvus fieret. Annorum autem duodecim erat puella, et annis duodecim mulier erat passa, quia peccata non credentium apparuerunt in initio fidei credentium. Unde dicitur : « Credidit Abraham Deo et reputatum est illi ad justitiam. »

Antiquissima in Ecclesia traditio narrat hemorrhoissam fuisse gentilem et habitasse Cæsaream Philippi et in memoriam curæ miraculosæ, coram domo sua posuisse monumentum, quod eam repræsentabat genuflexam coram Domino, ipsi gratias agentem propter acceptum beneficium.

C. VI.

1-6. *Jesus in Patriâ.*

Post figuras redit cœlestis Doctor ad litteram : Tempus historicum resumit conando suos ad se convertere.

Theoph. « Post præmissa miracula Dominus in patriam suam revertitur, non ignorans quoniam spernerent eum, sed ut occasionem non haberent ulterius dicendi, quia si venisses credidissemus tibi. »

Scandalizantur autem de fabro. (*v.* 3.)

Beda. « Scandalum et error Judæorum salus nostra est. » .... Judæorum miranda notatur cæcitas qui nec prophetis suis credere de Christo, nec ipsi inter se nato voluerunt credere Christo. »

« .... Et circuibat castella in circuitu docens. » (*v.* 6.) Theo. « Verbum Dei in vicis abjectis et vilibus seminat. »

Electi inter Judæos sunt publicani et peccatores : sed populus per patriam designatus generatim in scandalo detinetur.

7-13. *Missio Apostolorum.*

Marcus eâdem brevitate utitur quâ Lucas : non loquitur de iis quæ futura sunt post mortem Jesu, ut facit Matthæus X, 18-22.

« Et cœpit eos mittere binos. » (*v.* 7.)

Sunt hic Apostoli quasi testes fideles « Testis velocis : » « In ore duorum vel trium stat omne verbum. »

« Et præcepit eis ne quid tollerent in viâ nisi virgam tantùm... » (*v.* 8.)

Aug. de consens. Evang. « Quod ita solvitur, ait : intelligamus sub aliâ significatione dictam virgam, quæ secundum

Marcum ferenda est, et sub aliâ aliam, quæ secundum Matthæum et Lucam non est ferenda. »

Forsan apud Marcum Apostoli ferunt virgam prophetarum in signum miraculorum ab eis operandorum. Novimus prodigiosas virgas Moysis et Aaron ; et baculum Elisei quo mortuum suscitavit. Apud Marcum aliud speciale signum miraculorum habemus in oleo quo infirmi ungebantur :

« Et ungebant oleo multos ægros et sanabant. » (*v.* 13.) Ipsum sacramentum Unctionis est etiam in signum :

« Et oratio fidei salvabit infirmum » oleo sancto inunctum. (*Jacob V.* 14. 15.)

V. 14-29. *Mors Joannis.*

Apud Matthæum post missionem Apostolorum cap. X, narratur immediate, in cap. XI, quod Joannes discipulos suos mittit ad Jesum ut Regem suum agnoscant et in novum Regnum intrent. In Marco significatur finis totalis prædicationis præparatoriæ ad Regnum Messiæ in morte Joannis Præcursoris Domini, quæ hic narratur.

V. 30-44. *Jesus secedit in desertum. Miraculum quinque panum.*

Joanne mortuo Dominus secedens in desertum et distribuens quinque panes, significat transitum antiqui ad novum testamentum.

Ascendit cum discipulis in navim novellæ Ecclesiæ ut abiret seorsum « in desertum locum. » (*v.* 32.)

(*V.* 33.) « Et viderunt eos abeuntes et cognoverunt multi : et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt eos. »

V. Beda. « Christum autem petentem deserta gentium, multæ fidelium catervæ relictis mænibus priscæ conversationis sequuntur. »

(*V.* 34.) « Et exiens vidit turbam multam Jesus : et misertus est super eos quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit eos docere multa. »

Rex in Matthæo ante missionem Apostolorum agnoscit miserum statum populi et necessitatem allaborandi erectioni novi regni; quia per omnes civitates et castella ubi transibat, « erant vexati, jacentes sicut oves non habentes pastorem : » (*Matth. IX,* 35-38.) hic in Marco necessitatem Evangelii cœlestis Doctor manifestat : « quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit eos docere multa. »

(*V.* 35-44.) Quinque panes.

Theo. « Præponens Dominus quod utilius est, scilicet cibum sermonis Dei, deinde etiam corporalem cibum præbuit turbæ. »

Sensus mysticus hujus miraculi fuit apud Matthæum traditus. pag. 122.

Transfretatio discipulorum. Ægrotorum cura. v. 45-56.

Hanc materiam cum Matthæo Marcus tractat. Sensus mysticus etiam in Matthæo expositus fuit. Ex hoc loco Marcus ordinem Matthæi sequitur : Propheta fit quasi Regis pedissequus in novâ Ecclesiâ. Notandum tamen est Marcum in nomine Doctoris nihil dicere de hierarchiâ Regni, nec de ejus laicali constitutione : hæc Matthæo qui Regem repræsentat omnia servantur.

Post distributionem quinque panum sacerdotalis Victima in Lucâ singularis incedit : magis ac magis vestigia futuræ passionis premens, atque eamdem discipulis inculcans : cujus fructus fore uberrimos, misericors demonstrat.

C. VII.

1-23. *Oppositio Pharisæorum. Traditiones humanæ. Sola peccata communicant hominem.*

In novellâ Ecclesiâ post resurrectionem et ascensionem Domini legimus in Actibus Ap. oppositionem Judæorum. Hic in Pharisæis et Scribis descendentibus de Jerusalem incipit hæc pugna inter doctrinam synagogæ et Ecclesiæ Christi.

Marcus unâ cum Matthæo XV, 1-20 hæc tractat : sed cum agatur de materiâ doctrinali, magis accurate Doctor apud Marcum rem exponit.

Chrys. « Judæis considerantibus corporalem munditiem legis, Dominus contrarium vult introducere. Ea enim quæ Christi sunt intra hominem considerantur, ea verò quæ legis sunt, magis cernuntur extra hominem, quibus quasi corporalibus Crux Christi in brevi finem dare debebat. »

Chananæa. 24-30.

Theo. « Postquam de escis Dominus docuerat, videns incredulos esse Judæos, fines ingreditur gentium. Judæis enim infidelibus existentibus, salus ad gentes convertitur.

Chrys. « Tyrus et Sidon loca Chananæorum erant : venit ergo Dominus ad eos, non tanquam ad propinquos, sed tanquam ad eos quibus nihil est commune ad patres, quibus promissio facta est. Et ideo sic venit ut adventus suus Tyriis et Sidoniis non appareret. Unde dicitur : « et ingressus in domum neminem voluit scire » (*v.* 24.). Nondum enim tempus advenerat ut cum gentibus habitaret, et eas ad fidem adduceret : hujus enim tempus debitum erat post crucem et resurrectionem. Per hoc autem voluit Dominus discipulis ostendere, quod etiam gentibus aperuit ostium salutis. »

Aug. Quæst. Ev. « Advertendum est quod istud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus prædicandi non erat : ultro tamen venientes ad fidem non suscipere invidiæ erat. A suis noluit prædicari : « Neminem voluit scire » ; requiri autem se voluit, et ita factum est. »

Notandum est solum Doctorem in Marco rationem hanc sapientiæ et prudentiæ afferre, quæ magis eum spectare videtur.

V. 31-37. *Surdus mutus.*

(*V.* 31, 32.) « Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. »

In loco ubi habitabant juxta Josephum permulti Gentiles inter Judæos, Dominus operatur miraculum quo in figurâ significat se intra fines Israel generis humani salutem procuraturum : incipit universalis redemptio a primitiis Judæorum, transit ad plenitudinem Gentium ; et finaliter etiam juxta Paulum Judæi omnes salutem assequentur.

Chrys. « Quia propter transgressionem Adæ, natura humana multam incurrerat passionem, ac membrorum et sensuum læsionem, veniens Christus in seipso perfectionem demonstravit humanæ naturæ, et propter hoc digitis aures aperit, et sputo loquelam dedit. Simul etiam ingemuit nostram causam suscipiens in seipso, et naturæ misertus humanæ, videns miseriam in quam humanum genus inciderat. »

C. VIII.

1-9. *Septem panes.*

Mysteria in hoc miraculo contenta apud Matthæum fuerunt exposita. (pag. 125. 126.) Marcus verò addit :

« Quidam enim ex eis de longè venerunt. » (*v.* 3.) Beda ait : « Credentes de gentibus de longe venerunt ad Christum ; Judæi vero de propè, qui legis et prophetarum erant litteris edocti de illo. »

(*V.* 10.) « Et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha.

Allioli putat Dalmanutha esse districtum in quo sitæ erant Mageddan et Gesara.

Postquam spiritualibus cibis perfectè fideles refecit, cum Ecclesiâ suâ transit mare hujus mundi et tendit ad portum Cœlorum.

V. 11, 12. *Quæstiones Pharisæorum tentantes Dominum.*

Pharisæi Dominum tentant signum de cœlo petentes. (Sine figuris tempus historicum resumitur et narratio producitur usque ad transfigurationem Domini, in quâ gloriam futuræ resurrectionis ostendit tanquam Rex, Propheta et Sacerdos, in Matthæo, Marco et Lucâ.)

Beda. « Sicut autem supra turbam credentem refecturus gratias agebat, ita nunc ob stultam pharisæorum petitionem gemit : quia humanæ naturæ circumferens affectus, sicut de hominum salute lætatur, ita super eorum dolet erroribus. »

V. 13-21. *Pharisæos relinquit : suos reprehendit propter parvam intelligentiam.*

Theo. « Dimittit quidem Dominus pharisæos quasi incorrectos : nam ubi spes est correctionis, ibi morandum est : ubi vero malum incorrigibile est, inde recedendum. Dispensative etiam panes sumere discipuli sunt obliti, ut reprehensi a Christo fierent meliores, et ad virtutis Christi notitiam pervenirent. »

Beda. « Per occasionem autem præcepti quod Salvator jusserat, dicens : « cavete a fermento Pharisæorum et a fermento Herodis, » (*v.* 15.) docet eos quid significent quinque panes et septem. Si enim fermentum prædictum traditiones perversas significaret, quæritur an cibi quibus nutritus est populus Dei num veram doctrinam significent ? » — Notandum est quod apud Marcum non dicitur sicut apud Matthæum, quod « tunc intellexerunt, quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrinâ pharisæorum et sadducæorum. » (*Matth. XVI,* 12.) Solummodo postquam multum acuit obtusum eorum ingenium (*v.* 17-20.), Cœlestis Doctor « dicebat eis : quomodo nondum intelligitis ? » (21.) Apud Matthæum futuros duces populi Christiani Rex instruit ; apud Marcum futuros doctores Ecclesiæ Propheta magnus magis circa sapientiam et prudentiam serpentis erudit. Verba quæ Matthæus in hoc loco omisit, monstrant obcæcatum ingenium Apostolorum : ait enim Jesus : « Adhuc cæcatum habetis cor vestrum ? Oculos habentes non videtis ? et aures habentes non auditis ? » (*v.* 17, 18.) Pungit eos ut omnino separet eos a doctrinâ falsâ inimicorum.

Cæcus Bethsaidæ. v. 22-26.

Beda. « Adducunt autem ad Dominum cæcum, id est, qui non vidit quid fuit, quid est et quid erit. Sed quem uno

verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanæ cæcitatis ostendat, quæ vix et quasi per gradus ad lucem redeat. Et gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adjuvat. Quisquis autem ita longi temporis obscuritate depressus est, ut inter bonum et malum discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit : quia facta multitudinis absque luce discretionis videt. »

Ill[mus] Beelen : « Quod Dominus tam diversimode miracula operatur, signum est quod sit ipse Dominus : et non servus qui non possit aliter agere quam a Domino est præscriptum. »

Licebit forsan addere rationem mysticam a sancto Thoma datam : nam in Marco magis quam apud Matthæum et Lucam occurrunt hæc signa extraordinaria ; et ideo videntur insinuare divitias « Gratiarum gratis datarum » quibus divinus ac supremus Propheta, seu Doctor fidei ad adducendos ad se infideles est instructus.

Ita docet S. Doctor de incarn. « Sicut in capite sunt omnes sensus ; ita in Christo fuerunt omnes gratiæ... Unde manifestum est quod in Christo excellentissime fuerunt omnes gratiæ gratis datæ, sicut in primo et principali Fidei Doctore. »

Confessio Petri. v. 27-39.

(*V.* 29.) « Tu es Christus. »

(*Luc. IX*, 20.) « Christum Dei. »

(*Matth. XVI*, 16.) « Tu es Christus Filius Dei vivi. »

Orig. Super Matthæum. « Quia Marcus et Lucas scripserunt : « Tu es Christus ; » « Christum Dei ; » non adjicientes quod positum est in Matthæo, « Filius Dei vivi, » propterea non scripserunt ad confessionem relatam beatitudinem. »

In systemate S. Augustini ratio patet quare diversimode de confessione Petri Evangelistæ locuti sunt :

In Matthæo Petrus confitetur divinitatem Regis sui quam a Patre cœlesti didicit. Tantæ gratiæ ipse Rex addit firmitatem Petræ ut Regi succedat, atque totum ædificium Ecclesiæ in perpetuum portet.

Lucas et Marcus referunt Petri confessionem magis gene-

ralem, quâ agnoscit Messiam, seu Christum Domini: Ut Propheta et Sacerdos inunctus Dominus, Christus bene vocatur. — Unctioni Regis in Matthæo additur agnitio divinitatis, propter indefectibilitatem divini Regni.

(31-33.) De prædictione passionis et de resistentiâ Petri apud Matthæum quæstio fuit.

(34-38.) Adhortatur cœlestis Doctor ad sui sequelam. Beda. « Postquam discipulis mysterium suæ passionis et resurrectionis ostendit, hortatur eos unâ cum turbâ ad sequendum suæ passionis exemplum. »

(39.) « Et dicebat illis: amen dico vobis quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Regnum Dei veniens in virtute. »

C. IX.

V. 1-12. *Transfiguratio.*

Diversas interpretationes hujus facti apud Matthæum tradidimus. (*Matth. XVII.*)

Chrys. « Moysen et Eliam in medium introducit, primò quidem, quia turbæ dicebant, Christum Eliam aut unum prophetarum, Apostolis se cum iis ostendit, ut differentiam servorum et Domini cernerent. Et etiam quia de transgressione legis Judæi Christum accusabant, et blasphemum eum putabant, tanquam sibi gloriam Patris attribuentem, eos qui in utroque fulserunt in medium ducit. Etenim Moyses legem dedit, et Elias gloriæ Dei zelator fuit. Unde ei non assisterent, si Deo et legi ejus contrarius esset. Et ut scirent quod vitæ et mortis potestatem habet, propter hoc et Moysen qui mortuus erat, et Eliam qui nondum mortem passus fuerat, in medium introducit. Item per hoc significavit quod doctrinæ legis Christi, prophetarum doctrina pædagogus fuit. Significat etiam conjunctionem novi et veteris Testamenti. Et quoniam in resurrectione cum prophetis Apostoli conjungentur, et una erit obviatio Regi communi. »

Quæ habentur de adventu Eliæ (*v.* 10-12) apud Matthæum explicata sunt.

V. 13-14. Venit Jesus ad alios discipulos.

Beda. « Notandum in omnibus locis distantiam mentis scribarum et turbæ. Scribæ enim nihil devotionis, fidei, humilitatis et reverentiæ ei exhibuisse narrantur, sed veniente Domino mox omnis turba stupefacta expavit eumque salutans accurrit. »

V. 15-28. Lunaticus.

Marcus in his omnibus sequitur ordinem Matthæi ubi mysterium Lunatici expositum fuit, unâ cum admonitione facta a Domino Apostolis circa orationem et jejunium.

Attamen apud Marcum animadvertimus cœlestem doctorem circa fidem magis insistere quod ipsi maximè incumbit: et ideo ait patri pueri :

« Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. » Cum audiverit primum Doctorem fidei loquentem pater fiducialiter agit : « Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat : credo, Domine : adjuva incredulitatem meam. » (*v.* 22, 23.)

Apud Marcum cœlestis Doctor hic omittit ea quæ Rex in Matthæo dixit de monte per fidem transferendo. Postea occasione fici arefactæ cum Matthæo hoc etiam Marcus notat.

(*V.* 29-31.) Iterum prædicit Dominus passionem tanquam omnium fundamentum et origo bonorum, atque Evangelicæ Doctrinæ per totum orbem spargendæ.

V. 32-36. Redarguit ambitionem Apostolorum et proponit exemplum parvuli.

Ill^mus Beelen. « In eis quæ de hac querelâ in Matthæo, Marco et Lucâ narrantur, hic ordo sequendus est : In viâ disputabant inter se discipuli de loco magis vel minus insigni quem quisque in regno Christi occuparet.

Quum domum pervenissent interrogantur a Jesu de hâc disputatione. Tunc Jesus habet hanc conversationem cum Petro de quâ Matth. XVII, 23-26 : de didrachmate solvendo et de statere invento in ore piscis : post hæc veniunt disci-

puli ad Jesum et questionem proponunt: « quis putas, major est in regno cœlorum ? » (*Matth. XVIII, 1.*)

In hoc loco et in sequentibus patet diversitas inspirationis Matthæi et Marci.

Apud Matthæum Rex agit cum Petro de primatu in exemplo didrachmatis ; et etiam in sequentibus c. XVIII, 17-19 tractat de potestate clavium et Ecclesiæ auctoritate.

Marcus omnia hæc omittit et loquitur de privatâ disputatione Apostolorum in viâ. Dominus proponit exemplum parvuli. Joannis Zelotypiam comprimit, et postea de vitando scandalo loquitur usque in finem capitis IX.

V. 37-39. *Zelotypia Joannis pro honore Jesu.*

Marcus cum Luca hoc narrat. Videtur Matthæus hæc omittere quia apud ipsum jam anticipatè hic consideratur Regnum ut compositum ex iis qui quocumque modo ad Ecclesiam pertinebunt.

« Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis: amen dico vobis non perdet mercedam suam. » (40.)

Ill^{mus} Beelen et Calmet hunc versum connectunt cum 36° in quo agitur de mercede dandâ illi qui recipit parvulum.

Verba interpellationis Joannis habentur ut parenthesis.

V. 41-49. *De scandalo vitando et de pace inter Doctores Evangelii.*

Versiculus 49 omnino spectat Apostolos ut privatos Ecclesiæ Doctores de quibus proprie ad Marcum pertinet. Sic legimus: « Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit : in quo illud condietis ? habete in vobis sal et pacem inter vos. »

Ill^{mus} Beelen. « Sal est aliquid utile, quamdiu saporem condiendi conservat. Si fiat infatuatum prorsus inutile redditur. Jesus hic cogitat de discipulis quibus prius dixerat: « Vos estis sal terræ : » (*Matth. v.* 13.) nunc autem eos admonet ut saltem sal in se servent, nempe sal amoris pacis, et ideo non disputent inter se circa præcedentiam ut fecerant in itinere. (*v.* 33.)

C. X.

V. 1-31. *Perfectio doctrinæ Christi.*

Matrimonium indissolubile. Parvulorum benedictio. Juvenis dives. Centuplum promittitur. (*Vide Matth. XIX.*)

Ad. v. 30. notat Ill^{mus} Beelen quod præcipua merces Apostolis promissa apud Matthæum, (XIX, 28.) scilicet : « quod sedebunt super duodecim thronos judicantes duodecim tribus Israel, » à Marco omittitur.

Rationem mysticam hujus omissionis jam in Matthæo annotavimus.

(*V.* 30.) « Cum persecutionibus. »

Solus Marcus nomine cœlestis Doctoris hæc dicit : maximas consolationes promittens in persecutionibus, præmunit adversus ea quæ tendunt ad fundamentum fidei eruendum.

V. 32-34. *Petens Jerusalem prædicit iterum passionem.*

« Erant autem in viâ ascendentes Jerosolymam : et præcedebat illos Jesus, et stupebant.... » (*v.* 32.)

Quantus fervor Doctoris in viâ Crucis ! fit quasi sacerdotalis Victimæ pedissequus !

V. 35-45. *Filii Zebedæi.*

Dominatio inter Apostolos interdicitur. Notationes scripsimus apud Matthæum. (*Matth. XX.*)

V. 46-52. *Cæcus Jericho.*

Sensus mysticus in Matthæo fuit notatus.

(*V.* 50.) « Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. »

V. Beda postquam gentium saluti applicavit visum hujus cæci apud Marcum, addit : « Projecto autem vestimento exilit » populus gentium qui abjectis mundi retinaculis expedito mentis gressu ad largitorem æternæ lucis properat. »

C. XI.

V. 1-11. Ingressus in Jerusalem.

Non intuens, « quæ nunc est Jerusalem, » sed illam « quæ sursum est, » per passionem acquirendam, cum majori venit celebritate, et passurus non refugit eos qui veniens regnum proclamaturi sunt, cum ad illud per contemptum mortis perventurus sit et velit ab omnibus agnosci ut Propheta Filius Dei.

(*V.* 1-4.) «....Mittit duos ex discipulis suis.... Invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio. » — Hanc circumstantiam narrat solus Marcus.

Ambros. « Invenerunt eum ligatum ante januam, quia extra Christum quicumque est, foris est in viâ. In transitu, sive in bivio addidit, ubi nullius certa possessio, non præsepe, non alimenta, non stabulum : misera servitus cui vagum jus est. Plures nempe dominos habet qui unum non habet. Alieni ligant ut possideant, iste solvit ut teneat. Vehementiora enim dona novit esse quam vincula. »

(*V.* 9.) « Et qui præibant et qui sequebantur clamabant dicentes : Hosanna ! »

(*V.* 10.) « Benedictus qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis. » (*Vide Matthæum XXI.*)

V. Beda. « Benedictus qui venit » ut scilicet gentem, cui David quondam temporalis regni gubernacula præbuit, hanc ipse verbis et factis ad Regnum cœleste vocaret.

Illa gens est verus Israel qui præsertim ex gentibus ad Dominum suspirabunt.

(*V.* 11.) « Et introivit Hierosolymam in templum : et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. »

Hunc zelum Prophetæ cœlestis solus Marcus notavit : juxta verba Malachiæ : « Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis : et angelus Testamenti quem vos vultis. Ecce venit dicit Dominus exercituum. Et quis poterit

cogitare diem adventûs ejus, et quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum. » (*Malach. III,* 1, 2.) Beelen. Ex diabus visitationibus templi signatis a Marco (XI, 11, 15), Matthæus silentio potuit præterire priorem, ut solum de altera loqueretur, in qua quæstio est de vendentibus et nummulariis.

V. 12-14. *Maledictio fici.*

(In Matthæo mystica tradita est expositio.)

« Esuriit. » (*v.* 12.) Beda : « Esuriens salutem humani generis ficum vidit, id est, Judæum habentem folia, id est eloquia legis et prophetarum, et quæsivit in ea fructum boni operis, docendo, corripiendo, miracula faciendo : et non invenit et ideo damnavit. »

V. 15-17. *Vendentes e templo ejicit.*

(V. 15.) «....Cœpit ejicere vendentes....

Solus Marcus scribit : « Et non sinebat ut quisquam tranferret vas per templum. » (16.)

Dominus eos damnat qui per atria templi transibant, ut compendiaria via uterentur : summum Dei templo honorem vindicans.

(*V.* 17.) Solus etiam Marcus postquam cum Matthæo et Luca dixit : « Quoniam domus mea domus orationis vocabitur, » addit : « Omnibus gentibus. »

Insignis est hæc prophetia et magis divinum Prophetam spectans, cui omnia loca et tempora obversantur.

(*V.* 18.) Glo. « Quem autem effectum correctio Domini in ministris templi habuerit, ostendit Evangelista cum subdit : « Quo audito principes sacerdotum et scribæ quærebant quomodo eum perderent. » Secundum illud Amos : « Odio habuerunt corripientem in porta, et loquentem perfecte abominati sunt. » Ab hoc autem iniquo proposito ad tempus solo timore retrahebantur : « Timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

(*V.* 19-21.) « Et cum vespera facta esset egrediebatur de

civitate. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei : Rabbi ecce ficus cui maledixisti, aruit. »

Hic synagogam sub figura fici « radicitus » emortuam vident. Arboris radix est fides : infidelitate autem Judæorum hæc radix totalitur aruit. Quod Petrus super cujus fidei soliditatem Ecclesia ædificanda est, fidenter asserit.

V. 22-26. *Fidei potestas, misericordia erga inimicos.*

(22.) « Et respondens Jesus, ait illis : habete fidem Dei. (23.) Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : tollere et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei. (24.) Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, et evenient vobis. »

Vivam fidem hic iterum inculcans magnus Propheta, mutuæ consulit charitati discipulorum suorum, ne instructi sublimibus donis gratis datis, misericordiæ erga alios obliviscantur. Jam supra, etiam in Marco, vidimus quanto studio Dominus inculcavit ut Doctores Ecclesiæ inter se pacem et concordiam habeant : « Habete sal in vobis et pacem intra vos. » Hic autem (*v.* 25. 26.) ait : « Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem, etc.... »

V. 27-33. *In qua potestate Dominus agat.*

Apud Matthæum fuit expositum. (XXI.)

C. XII.

Coloni homicidæ et petra angularis. (1-12.)

Quæ sunt Cæsaris danda sunt Cæsari, et quæ sunt Dei Deo. (13-17.)

Sadducæi confutati. (18-27.) Amor Dei et proximi. (28-34.) (*Vide Matthæum XXI. XXII.*)

(28.) « Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum, quod esset primum omnium mandatum. »

Lex amoris Dei et proximi, totius legis compendium, legi timoris veteris testamenti opposita, publicatur a Rege in Matthæo, et in Marco a teste veritatis confirmatur.

Notandum est apud Marcum, (32-34.) Scribam, tanquam veteris Testamenti doctorem, quæstionem amoris Dei et proximi, juxta sibi datam a Deo sapientiam elucidare : « Bene, magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus, et sacrificiis. »

Tunc ipse primus fidei Doctor, « videns quia sapienter respondisset » suaviter fidei viam sternit legis Doctori antiquæ. « Dixit ille : Non es longe a Regno Dei. » Insinuat illum esse in recta via ut se tanquam promissum Messiam agnoscat, et ita gratiæ Evangelii fiat particeps. Verba Domini simul gratiosa sunt invitatio ut Scriba Evangelium regni amplectatur.

Notandum est pleniorem, diversis in locis, apud Evangelistam Joannem, charitatis interpretationem dari a « Verbo Incarnato : »

« Deus enim est Charitas ! »

(*V.* 35-37.) Christus Filius Davidis ejusque Dominus. (*Matth. XXII.*)

(*V.* 38-40.) Præmunit contra Scribas.

In Matthæo per totum caput XXIII de his Dominus verba fecit : hic solum eorum ambitionem et avaritiam quas velo pietatis cooperiunt arguit. Ut Propheta nullum Væ ! pronuntiat : judiciariam potestatem Regi in Matthæo, et Regi justitiæ in Luca (sacerdoti secundum ordinem Melchisedech.) tribuens.

(*V.* 41-44.) Vidua de indigentia mittens. (*Luc. XXI,* 1-4.) Meritum hujus viduæ extollunt una Propheta et Sacerdos.

Jesus dixit : (*Matth. VI,* 33. *Luc. XII,* 31.) « Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus. » Ad hoc præceptum rite adimplendum firmissima fides fundamentum est, super quod spiritus sacrificii construit ædificium eximiæ pietatis in Deum.

Et ideo non incongrue videntur Evangelistæ Jesu Prophetæ et Victimæ sacerdotalis hoc viduæ pauperculæ exemplum nobis retulisse.

C. XIII.

Ruina templi, destructio Jerusalem et finis mundi.

De die judicii apud Marcum legimus :

(*V*. 32.) « De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater. »

Quod ita interpretatur Ill^mus Beelen : « Neque Filius, nisi Pater, » Filius hic non significat « Filius hominis » sed Filius Patris, Filius Dei, Deus-Homo Jesus-Christus, qui omnia scit, etiam ut homo (*Coloss*. *II*, 3.), quia ejus humanitas est Divinæ Personæ humanitas. Sed quomodo Jesus de se loquens dicere potest, quod « Filius de die illo, vel hora non sciat ? » Hoc dicit ut Doctor et Missus a Deo, et ut talis « de illo die, vel hora » interrogatus ab Apostolis (*v*. 3.) sciebat Filius solum illud quod Pater ei præceperat mundo nuntiare ; et poterat respondere, quando interrogaretur circa aliquid quod ipsi non erat mandatum nuntiare, quod illud nesciret. » (Vide Matthæum XXIV.)

C. XIV.

Judæorum conspiratio in Jesum qui unguento a muliere perfunditur. Judæ proditio. Institutio Eucharistiæ. Christi patientis historia usque ad negationes Petri ejusque pœnitentiam.

In traditione Judæ legimus : « Ducite (*v*. 44.) eum caute. » Tanta est traditoris cæcitas ut divinam sapientiam cœlestis Prophetæ impugnare audeat !

(*V*. 51.52.) Adolescens aufugiens. Hoc a solo Marco, narratur.

V. Beda. « Sicut Petrus, qui culpam negationis pœnitentiæ lacrymis abluit, recuperationem ostendit eorum qui in martyrio labuntur, ita cæteri discipuli, qui articulum comprehensionis fugiendo prævenerunt, cautelam fugiendo do-

cent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt. » (Vide Matthæum XXVI.)

C. XV.

Passio continuatur.

Per totum caput Matthæum sequens, omittit tamen Marcus ea quæ specialiter regium characterem, et vindictam in inimicos a Leone de Tribu Juda insinuant. (Vide Matthæum XXVII.)

C. XVI.

Resurrectio.

Uti animadvertimus, persona Jesu Doctoris apud Marcum minus signatur in passione.

Passio totum Christum amplectitur. Præterea dantur etiam sermones et actiones communes quæ æqualiter omni personæ et characteri aptantur.

In Resurrectione Christus Doctor Propheta iterum clare revelatur.

V. 1-8. Sanctæ mulieres ad sepulchrum. — Angelus.

« Viderunt juvenem sedentem a dextris. » (*v.* 5.)

Greg. « Quid vero per sinistram, nisi vita præsens ? quid vero per dexteram, nisi vita perpetua designatur ? quia igitur redemptor noster præsentis vitæ corruptionem transierat, recte Angelus qui annuntiare perennem ejus vitam venerat, in dextera sedebat. »

Sicut in Matthæo Angelus supra petram monumenti sedens et fulminans terrore custodes, repræsentat regem Victorem ; ita Angelus in Marco « sedens a dexteris » repræsentat Filium Dei, primum fidei Doctorem exaltatum in gloria ut legitur in fine ejus Evangelii :

« Et Dominus quidem Jesus... assumptus est in cœlum et sedet a dextris Dei. » (*v.* 19.)

(*V.* 7.) « Surrexit... ite, dicite discipulis ejus et Petro. »

Petrus supremus Ecclesiæ Doctor hic signatur. Ut vidimus

Petrum deflectentem ad pristinam infirmitatem quando dormiebat in horto : propter quod a Domino correptus est his verbis : « Simon dormis ? » (*Marc. XIV*, 37.) ita post pœnitentiam de Domino suo ter negato, videmus eum a Domino iterum confirmatum per vocem Angeli, in prærogativa Petræ; quia super soliditatem ejus fidei oportebat construi discipulorum cæterorum fidem.

V. 9. « *Apparuit primum Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia.* »

Congrue a Marco narratur liberatio Mariæ Magdalenæ a septem dæmoniis, ob gratias gratis datas quæ maxime juxta sanctum Thomam ad primum fidei Doctorem pertinent. Multum ab hac apparitione diversa narratur eadem apud Joannem Evangelistam apparitio. « Verbi incarnati. » Cujus sensus mysticus in loco exponitur.

Supponitur, juxta opinionem communem, Mariam Magdalenam unam solam esse Mariam de qua diversa narrant sancta Evangelia : et non duæ, vel etiam tres.

Omni modo, sensus mysticus idem manet.

(*V.* 10. 11.) Apostoli non credunt Mariæ nuntianti resurrectionem Domini.

V. 12. « *Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam.* »

Hæc apud Lucam, *XXIV*, 13-35, narrantur. Jesus ibidem loquens de passione, et seipsum tradens probabiliter in SS. Eucharistia, sese demonstrat esse Victimam redivivam et factam Sacerdotem in æternum.

V. 14-18. *Apparitio undecim Apostolis.*

« Novissime recumbentibus illis undecim apparuit et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. Et dixit eis : euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus

erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. » (v. 14-16.)

Regiæ potestati in Matthæo repræsentatæ, succedit, hic in Marco, Doctoris sapientia quæ exprobrat incredulitatem et duritiam cordis Apostolorum. Anteàquam eos mittat, ut et ipsi fideles facti emolliant corda omnis creaturæ, per doctrinam Evangelicam, signantes credentes signaculo baptismi quod est fidei sacramentum, eorum prius fidem stimulat.

Jubet ipsos cœlestis Doctor prædicare efficaciam fidei qua salvandi sunt futuri discipuli.

Præterea promittit « gratias gratis datas » credentibus, quarum ipse ut primus fidei Doctor est exemplar et origo. Sic loquitur : « Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis ; serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. » (v. 17-18.)

V. 19. *Ascensio et glorificatio.*

« Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cœlum, et sedet a dextris Dei. »

Apud Lucam videmus Jesum Sacerdotem ascendentem in cœlum, « dum benediceret discipulis. » (*XXIV*, 51.)

Interpretatur S. Thomas de Inc. Quæst. 58 art. 2 ad secund.

« Quod Christus secundum quod homo assumptus est ad divinum honorem, qui in prædicta sessione designatur ; sed tamen ille honor divinus convenit Christo, in quantum est Deus, non per aliquam assumptionem, sed per æternam originem. »

Et art. 3 concludit : « Christus secundum quod Deus, sedere dicitur ad dexteram Patris, prout unam cum ipso naturam habet : secundum quod homo sedet ad illius dexteram, ut homo denotat divinum suppositum, eodem dignum honore in natura assumpta, et in potioribus bonis Patris constitutum. »

V. 20. *Prædicatio Apostolorum.*

« Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. »

Primus ac supremus Doctor fidei ad dexteram Dei sedens, confirmat gratiis gratis datis, sermonem Doctorum suorum ubique terrarum omni creaturæ Evangelium prædicantium.

FINIS ANALYSIS MYSTICÆ

EVANGELII SECUNDUM MARCUM.

ANALYSIS MYSTICA

EVANGELII SACERDOTALIS VICTIMÆ

SECUNDUM LUCAM.

Catena aurea. Procemium S. Thomæ in Lucam :

« Inter cætera incarnationis Christi mysteria, quæ Isaïas propheta diligenter et apertè prænuntiat, dicit (*cap.* 50.) : « Induam cœlos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. » Ex quibus verbis accipere possumus Evangelii secundum Lucam materiam, modum scribendi, finem et conditionem scriptoris. »

Aug. de consens. Evang., Lib. I, cap. 2 et 6. « Lucas enim circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus videtur. Unde per Vitulum significatus est, propter maximam Victimam Sacerdotis. »

Ambr. (*præf. in Lucam.*) « Vitulus enim sacerdotalis est victima ; unde bene congruit vitulo hic Evangelii liber ; qui a sacerdotibus inchoavit, et consummavit in Vitulo ; qui omnium peccata suscipiens, pro totius mundi vita est immolatus, et ipsam Vituli immolationem Lucas stylo quodam pleniore diffundit. »

Glos. « Quia igitur passionem Christi principaliter exponere Lucas intendit, hujus Evangelii materia significari

potest in eo quod dicitur : « Induam Cœlos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum : » nam ad litteram in passione Christi tenebræ factæ sunt, et in discipulis fides obscurata est. »

Hier. (*Super Isaïam LIII.*) « Et Christus despectus erat et ignobilis, quando et pendebat in cruce, et absconditus est vultus ejus atque despectus, ut humano corpore divina potentia celaretur. »

Euseb. (*in Ecclesiast. Historiâ, Lib. III. c. 4.*)

« Lucas genere quidem Antiochenus, arte medicus, secundum hanc medicinam, quam ex Apostolorum vel societate vel traditione susceperat, duos nobis medicinales libros, quibus non corpora, sed animæ curentur, explicuit : unde sequitur : « ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. »

Hier. (*super Isaïam cap. L.*) « Dicit enim se a Domino accepisse sermonem, quomodo lassum errantemque populum sustentet et revocet ad salutem. »

C. I.

V. 1-4. Prooemium Lucæ.

Euseb. (*in Ecclesiast. Hist. Lib. III. c. 4.*) « Lucas in initio Evangelii sui causam cur scripserit, indicavit ; videlicet quoniam multi alii temere præsumpserant enarrare res quæ sibi magis erant ad liquidum compertæ. Et hoc est quod dicit :

« Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationes eorum. »

Hier. « (*ad Eusebium, in prolog. Super Evang.*)

« Circa numerum vero Evangelistarum sciendum est plures fuisse qui Evangelia scripserunt ; sicut et Lucas Evangelista testatur dicens : « Quoniam quidem multi conati sunt ordinare, » etc. Et sicut perseverantia usque ad præsens tempus monumenta declarant : quæ a diversis auctoribus edita, diversarum hæresum fuere principia; ut est illud juxta Ægyptios, et Thomam, et Bartholomæum, et duodecim quoque Apostolorum, et Basilidis atque Apellis, et reliquorum quos

enumerare longissimum est : Ecclesia autem quæ supra Petram (Domini voce) fundata est, quatuor flumina paradisi instar eructans quatuor annulos et angulos habet per quos quasi arca Testamenti et custos legis Domini lignis mobilibus vehitur. »

Quanto amore et studio debeamus amplecti sacerdotalis Victimæ Evangelium docet Beda, (catena aurea) in verba : « Optime Theophile ! » Theophilus autem interpretatur: « amans Deum vel amatus a Deo : » quisquis ergo amat Deum sive a Deo se desiderat amari, ad se scriptum putet Evangelium, et ut sibi datum munus, sibique commendatum pignus conservet. »

Jesus ut Sacerdos et Victima est animarum nostrarum modo specialissimo medicus, tanquam bonus Samaritanus : sic ex sancto Hieronymo decuit ut medicus prius corporum Lucas, postea fieret medicus animarum, tradendo doctrinam medelæ sacerdotalis Victimæ in sancto Evangelio, quod Sacerdotis personam magis insinuat. Idem Evangelista eamdem medecinam docet Ecclesiam e sanguine Christi enatam in historiâ Actuum Apostolorum. Hæc sunt verba sancti Hier. ad Paulinum epist. 103. « Si noverimus scriptorem eorum esse Lucam medicum, cujus laus est in Evangelio, animadvertemus pariter omnia verba illius animæ languentis esse medecinam. » Idem in Epist. ad Philom. ait :

« Lucas medicus Evangelium et Actus Apostolorum Ecclesiis derelinquens, quomodo Apostoli de piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt ; ita de medico corporum, in medicum est versus animarum. Cujus liber quotiescumque legitur in Ecclesiis, toties ejus medecina non cessat. »

De Evangelio misericordiarum Domini sic loquitur Anselmus cap. IV ad Coloss. « Lucas primo fuit medicus corporum, deinde conversus ad Christum factus est medicus animarum. Inde est quod plus quam alii Evangelistæ loquitur de misericordiis Redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus pelluntur. Præterea Sacerdotis personam in Christo describit, intervenientem pro peccatis totius mundi. »

(*Apud a Lapide T. XVI. P. 1-3 Vives., Argum. Lucæ.*)

Quæ fuerunt a Matthæo et Marco omissa et tradita a Luca, Christi misericordiam et pietatem in peccatores et miseros magis commendant. Talia sunt : « annuntiatio, conceptio, nativitas, præsepe, fasciæ, pastores, circumcisio, præsentatio in templo, inventio inter doctores ; sanctæ Mariæ Magdalenæ, Zachæi, et unius e duobus latronibus in cruce conversio ; Parabolæ pharisæi et publicani, boni Samaritani, filii prodigi, Lazari et divitis epulonis et similium.

(*V.* 5-7.) Lucas de sacerdotio Jesu agens accuratè demonstrat sanctum Joannem ex sacerdotibus descendere : ita Euthem. (*P.* 7 *a Lapide.*) « Demonstravit quod præcursor a sacerdotali descendit tribu, non secundum patrem tantùm, sed etiam secundum matrem, et utrinque sacerdotalis erat. » Quare infert S. Ambrosius : « Non solùm a parentibus, sed etiam a majoribus S. Joannis nobilitas propagatur ; non sæculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. »

V. 8-25. *Annuntiatio præcursoris facta Zachariæ.*

Triplex mysterium quod a Lapide (*P.* 10) notat in nominibus Zachariæ, Elisabeth et Joannis bene prognosticat misericordiam Victimæ sacrosanctæ infinitam ejusque gratiam ;

« Nam Elisabeth, id est, juramentum Dei, promittentis : et Zacharias, id est, memoria Dei, memoris sui promissi, pariunt nobis Joannem, id est, Dei misericordiam et gratiam.

Sancti Patres et moderni apud eumdem auctorem in ipso nomine Joannis ejus prærogativas detegunt, quæ maximè bonitatem Christi erga nos extollunt.

1° Joannes, ait Maldonatus, est idem quod gratiosus, vel ut Pagninus : Domini donum vel misericordia.

2° Eo quod jam Deus misertus esset populi destinando Messiæ præcursorem, scilicet Joannem, et propediem mittendo ipsum Messiam ; per Christum enim et non per Moysen et legem, gratia et veritas facta est. (*Joan. I,* 17.)

3° Deus etiam Joannis misertus est, implendo eum suâ gratiâ copiosâ et multiplici, aiunt Beda, Jansenius et Maldonatus, quâ eum effecit Israelis doctorem, prophetam, virginem, anachoretam, martyrem ac Christi indicem et præcur-

sorem. Fuit ergo Joannes quasi filius charitatum, filius, inquam, gratiarum, in quo scilicet expoliendo, ornando et condecorando, omnes charitates, omnes gratiæ Dei, conspirasse videntur. »

(*V.* 11.) « Apparuit autem illi(Zachariæ) Angelus Domini, stans a dextris altaris incensi. » Ambros. (*de angeli apparitione.*) « Non immerito autem Angelus videtur in templo, quia veri Sacerdotis annuntiabatur jam adventus; et cœleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent: non enim dubites assistere angelum quando Christus immolatur. Apparuit autem a dextris altaris incensi, quia divinæ insigne misericordiæ deferebat: « Dominus enim a dextris est mihi, ne commovear.» (*Psalm.* 15.)

(*V.* 13.) « Ne timeas, Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua. » Aug. (*de quæst. Evang. L. II. quæst.* 1.) « Quod dicitur Zachariæ, « exaudita est deprecatio tua, » pro populo intelligendum est; cujus populi quoniam salus et redemptio et peccatorum abolitio per Christum futura erat, adhuc nuntiatur Zachariæ nasciturus filius, quia præcursor Christi destinabatur. »

(*V.* 15.) « Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ. » Ambr. « Alius est spiritus vitæ hujus, alius gratiæ: ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum: iste non ætatibus coercetur, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur. »

(*V.* 17.) « Et ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ. » Ambros. « Quia sanctus Elias virtutem habuit magnam et gratiam. Virtutem ut ad fidem animos populorum a perfidiâ retorqueret: virtutem abstinentiæ, atque patientiæ et spiritum prophetandi; in deserto Elias, in deserto Joannes; ille Achab regis gratiam non quæsivit, hic sprevit Herodis; ille Jordanem divisit, hic ad lavacrum salutare convertit; hic prioris, ille sequentis dominici præcursor adventus. »

Beda. « Quod autem de Elia per Malachiam prædictum est (IV.), hoc per angelum de Joanne dicitur, cum subditur: (*v.* 17.) « Ut convertat corda patrum in filios; » spi-

ritualem antiquorum sanctorum scientiam populis prædicando infundens. « Et incredulos ad prudentiam justorum » quæ est non de legis operibus præsumere, sed ex fide salutem quærere (*Rom. X.*) Quia verò Zachariam pro plebe supplicantem dixerat exauditum, subjungit : « parare Domino plebem perfectam : » in quo docet quo ordine plebs eadem salvari et perfici debeat ; ad prædicationem scilicet Joannis pœnitendo et credendo in Christum. »

(*V.* 23-25.) Beda. « Misticè autem per Zachariam sacerdotium Judæorum, per Elisabeth potest lex ipsa designari quæ sacerdotum doctrinis exercitata spirituales Deo filios gignere debebat ; sed non valebat quia « neminem ad perfectum adduxit. » (*Hebr VII.*) Erant ambo justi, quia bona est lex et sacerdotium pro illo tempore sanctum. Ambo processerant in diebus suis, quia adveniente Christo jam incurvantur ad senium. »

V. 26-38. *Annuntiatio incarnationis Christi facta ab Archangelo Gabriele beatæ Mariæ Virgini.*

(*V.* 26-27.) « Missus est Angelus Gabriel... ad Virginem... et nomen Virginis Maria. »

A Lapide in hoc loco, demonstrat in nomine Archangeli mysterium annuntiationis significari : « Gabriel, id est, Vir Deus. Quasi diceret : Deus incarnabitur eritque homo puer, quantum ad naturam ac ætatis et corporis progressum ; idem tamen erit vir, quia a primo conceptionis instanti anima ejus erit plena omni scientiâ, gratiâ, fortitudine. »

Beda. « Aptum humanæ reparationis principium, ut angelus a Deo mitteretur « ad virginem » partu consecrandam divino : quia prima perditionis humanæ fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiæ decipiendam. »

Ipsum Mariæ nomen præcinit « Viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto. » (*Luc. I,* 78.) Hâc de causâ Maria fuit gratiâ plena, ideoque mare gratiarum : (Mara-iam, id est Magistra, vel Domina maris.) quare

sicut « omnia flumina intrant in mare, » (*Eccles. I*, 7.) sic omnino gratiæ quas habuerunt angeli, patriarchæ, prophetæ, apostoli, martyres, confessores, virgines, confluxere in Mariam, ait Bonaventura in specul. c. II (apud a Lapide in Lucam.)

(*V.* 28.) « Ave, gratia plena, Dominus tecum ; benedicta tu in mulieribus. »

Primitiæ gratiarum « Victimæ magni Sacerdotis, » sunt in Mariâ plenitudo gratiarum.

Greg. Nyss. (*Orat. in Christi Nativitatem.*) « Contra vocem prius editam mulieri, dirigitur nunc sermo ad Virginem. In illa doloribus partûs est causa peccati punita ; in hâc per gaudium mæstitia pellitur : unde jucunditatem non absurde prænuntiat Angelus Virgini, dicens : « Ave. »

Hier. (in *Serm. de Assumpt.*) « Et bene « gratiâ plena, » quia cæteris per partes præstatur ; Mariæ vero simul se totam infudit gratiæ plenitudo. Vere « gratiâ plena, » per quam largo Spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura. Jam autem erat cum Virgine, qui ad Virginem mittebat angelum, et præcessit nuntium suum Dominus ; nec teneri potuit locis qui omnibus habetur in locis : unde sequitur : « Dominus tecum. » « Magis quam mecum : ut Aug. (in *serm. de Nativ. Domini serm.* 14.) ipse enim in tuo est corde, in tuo fit utero ; adimplet mentem, adimplet ventrem. »

Græc. (*vel Geometer in catenâ Græcorum Patrum.*) Hoc autem est totius legationis complementum. Dei enim Verbum ut sponsus supra rationem unionem efficiens, tanquam ipse germinans, idemque germinatus, totam naturam humanam sibi ipsi conformavit. Ultimum vero ponitur tanquam perfectissimum et compendiosum : « Benedicta tu in mulieribus ; » una scilicet præ cunctis mulieribus : ut etiam benedicantur in te mulieres, sicut mares in filio ; sed magis utrique in utrisque : velut enim per unam feminam et unum marem peccatum simul ac tristitia intravit, sic et nunc per unam et unum benedictio revocata est et lætitia, et ad singulos est profusa. »

« Nec, ait S. Bernardus, (apud a Lapide in Lucam) in terris locus dignior uteri Virginis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit, nec in cœlis regali solio, in quo Mariam Filius ejus sublimavit. »

(*V.* 32. 33.) Encomium Jesu : « Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. »

Orig. (*hom.* 6.) « Vide ergo magnitudinem Salvatoris, quomodo in toto orbe diffusa sit : ascende in cœlos, quomodo cœlestia repleverit ; descende cogitatione ad abyssos, et vide eum illuc descendisse. Si hoc videris, pariter intueberis opere completum : « Hic erit magnus. » Non agitur hic de omni præsentia Filii Dei, in quantum Deus est, sed de professione Christianæ fidei.

Græc. « Neque carnis assumptio Deitatis derogat celsitudini, imo potius humanitatis humilitas sublimatur ; unde sequitur : « Et Filius Altissimi vocabitur. » Non utique tu impones vocabulum, sed ipse vocabitur ; a quo nisi a consubstantiali genitore ? « Nullus enim Filium novit nisi Pater. » (*Matth., XI.*) Penes quem vero infallibilis est notitia geniti, is verus interpres est erga impositionem congruam nominis quo dicit : « Hic est Filius meus dilectus. » (*Matth., XVII.*) Ab æterno quidem est, quamvis nunc ad nostram doctrinam nomen patuerit ; et ideo ait : « Vocabitur, » non fiet vel generabitur ; nam et ante sæcula fuerat consubstantialis Patri. Hunc ergo concipies, hujus mater efficieris, hunc Virginalis cella concludet, cujus cœleste spatium capax non existit. »

Græc. (vel Severus Antiochenus in *catenâ Patrum Græcorum.*)

« Et ut Virginem redderet memorem prophetarum, subdit :

« Et dabit illi Dominus Deus sedem David, » etc. Ut noscat liquido quoniam qui nasciturus est ab ea, ipse est Christus, quem illi promiserunt David ex semine nasciturum. »

Basil. (ad *Amphilochium.*) « Non autem in materiali sede

David sedit, translato Judaïco regno ad Herodem ; sed sedem appellat David in quâ resedit Dominus indissolubile regnum. » Unde sequitur : « Et regnabit in domo Jacob, » etc. Beda. « Domum Jacob totam Ecclesiam dicit ; quæ vel de bonâ radice nata, vel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta olivam. » (*Rom. XI.*) Græcus (vel *Geometer in catena Græcorum Patrum.*) « Nullius autem est in æternum regnare nisi Dei solius : quo fit ut etsi propter incarnationem dicatur « David sedem » accipere, tamen idem ipse in quantum Deus, rex æternus agnoscitur. Sequitur : « Et regni ejus non erit finis. » Non solum in quantum Deus est, sed etiam in eo quod homo : et in præsenti quidem habet regnum multorum, finaliter vero universorum, cum ei omnia subjicientur. »

(*V.* 34. 35.) Greg. Nyss. (*oratio in diem natalem Christi.*) « Attende etiam mundæ virginis vocem : partum annuntiat angelus, ipsa vero virginitati innititur ; præstantiorem incorruptibilitatem angelica visione dijudicans : unde dicit : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco. » Græcus. (*Geometer*). « Sed considera qualiter virgini solvit dubium angelus, ac explanat intemeratum connubium et ineffabilem partum : sequitur enim : « Et respondens angelus, dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, » etc. Chrys. (*hom.* 49 *in Genes.*) « Quasi dicat : non quæras ordinem naturalem, ubi naturam transcendunt et superant quæ tractantur. »

Greg. Nyss. (in libro *de vita Moysis.*)

« Tabulas enim nostræ naturæ, quas culpa confregerat, denuo verus legislator de terra nostra sibi dolavit, absque concubitu Divinitatis suæ corpus susceptibile creans, quod divinus digitus sculpsit ; scilicet Spiritus superveniens virgini. »

Et iterum *in diem nat. Christi* :

« Insuper » et virtus Altissimi obumbrabit tibi : « Altissimi regis virtus » Christus est, qui per adventum Spiritus sancti formatur in virgine. Dicit : « obumbrabit tibi ; » quia sicut corporis umbra præcedentium charactere conformatur,

ita indicia Deitatis Filii ex virtute generandi patebunt : sicut enim in nobis quædam vivifica virtus in materia corporali conspicitur, qua homo formatur, sic in Virgine Altissimi virtus per vivificantem Spiritum pariter corpori insitam materiam carnis ex Virgineo corpore ad formandum novum hominem assumpsit. » Unde sequitur : « Ideoque et quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. »

Græc. (Victor Presbyter in *cat. græc. patrum.*) « Tu autem attende qualiter Virgini Angelus totam Trinitatem edidit, dum Spiritum sanctum commemorat, Virtutem et Altissimum : Trinitas enim indivisibilis est. »

(*V.* 36-38.) « Et ecce Elisabeth cognata tua.... »

Nazianzenus (in *cat. græc. patrum ex carminibus ejus.*) « Sed quæret aliquis : qualiter ad David Christus refertur ? si quidem Maria de sanguine manavit Aaron, cujus cognatam Angelus Elisabeth asseruit : sed hoc nutu superno contigit, ut regium genus sacerdotali stirpi jungeretur ; ut Christus qui Rex est et Sacerdos, ab utrisque secundum carnem nasceretur. Legitur etiam in Exodo (*cap.* 6 *v.* 23.) quod Aaron primus secundum legem sacerdos, duxit ex tribu Judæ in conjugem Elisabeth, filiam Aminadab. Et attende sacratissimam Spiritus administrationem, dum et hanc Zachariæ conjugem statuit Elisabeth vocari, reducens nos ad illam Elisabeth quam duxerat Aaron. »

« Dixit autem Maria : ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. »

Eusebius (vel *Geometer.*) « Alius aliud quiddam in præsenti sermone Virginis extollet apicibus : hic quidem constantiam, hic obedientiæ promptitudinem : alius quod non allecta et tam splendidis et arduis per magnum Archangelum promissis, alius quod non excessit modum in dando instantias ; sed æqualiter cavit et Evæ levitatem, et Zachariæ inobedientiam. Mihi autem humilitatis profunditas non minus conspicitur admiranda. »

Greg. « Per ineffabile namque sacramentum conceptu sancto et partu inviolabili secundum veritatem utriusque naturæ eadem Virgo ancilla Domini fuit et mater. » Beda. « Accepto

autem Virginis consensu, mox angelus cœlestia repetit, unde sequitur : « Et discessit ab illâ angelus. »

Euseb. (vel *Geometer.*) « Non solum impetrans quod optabat, sed stupens in Virgineâ formâ et virtutis plenitudine.

V. 39-56. *Visitatio.*

Maria apud cognatam Elisabeth. Stupenda nimis Victimæ sacerdotalis, in visitatione Mariæ apud Elisabeth, misericordia nobis apparet : cur Maria cognatam visitavit ?

« Respondeo, ait a Lapide :

1° Ut verbum in se conceptum aliis annuntiaret, ejusque gratiam eis aspiraret. Volebat enim Christus in eâ incarnatus illico inchoare officium Salvatoris, ad quod a Patre missus est.

2° Ut Joannem a peccato originali expiaret, eumque cum Elisabetha matre Spiritu sancto impleret ; sicque Christi honor omniumque devotio cresceret.

Ita Origenes hic, hom. 7 : « Jesus, ait, qui in utero virginis erat, Joannem adhuc in ventre matris positum sanctificare festinabat. »

Sic videmus misericordem Victimam merita in ipsa incarnationis humilitate acquisita cum festinatione præcursori applicare : « Nondum natus, inquit S. Leo serm. de Epiphania, Joannes prophetica exultatione commotus est, quasi etiam intra matris viscera clamaret : « Ecce Agnus Dei. »

(*V.* 41.) « Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. »

Orig. (in *catena græcorum patrum.*) « Non autem dubium est quin quæ tunc repleta est Spiritu sancto, propter filium sit repleta. »

(*V.* 42-45.) Salutationem Elisabeth S. Bernardus, serm. 3 de annuntiatione, interpretatur : præsertim in verba, « Et benedictus fructus ventris tui. » « In te sola, ait, rex ille dives et prædives exinanitus, excelsus humiliatus, immensus abbreviatus, et ab angelis minoratus est ; verus denique Deus et Dei Filius incarnatus, sed quo fructu ? nempe ut omnes ejus paupertate locupletemur, ejus humilitate sublevemur, ejus minoratione magnificemur, ejus incarnatione adhærentes Deo, incipiamus unus esse spiritus cum eo. » Quæ verba

sancti Doctoris Victimæ expiationis maxime conveniunt.

Beda. « Nec mirum, si Dominus redempturus mundum operationem suam inchoavit a matre ; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore. »

(*V.* 46-55.) Magnificat Maria Dominum !

« Canit Virgo quomodo Deus per ipsam tandem præstiterit, quod Israelitarum patribus promiserat, divinam videlicet incarnationem ; atque hoc est proprium carminis argumentum. »

In verba : « Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, » ait a Lapide : « Cur Deus miserit Christum, fuit communis Israelis et totius generis humani, morti et gehennæ ob peccata addicti, miseria, cujus miserens Deus misit Christum, ut ab illâ nos eriperet, et Deo cœloque restitueret. Unde S. Leo. (*Serm.* 1 *de jejunio decimi mensis.*) : « causa, ait, reparationis nostræ non est, nisi misericordia Dei. »

Tantâ dignatione « recordatus est misericordiæ suæ » quam « locutus est Deus ad Patres nostros, Abraham et semini ejus, » ut eam durare voluerit in æternum : « In sæcula. » (*v.* 55) (ut interpretatur apud a Lapide Jansenius, Maldonatus, Brugensis.)

(*V.* 56.) « Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. »

Ambr. « Non autem sola familiaritas est causa quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus : nam si primo ingressu tantus profectus exstitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu sancto mater infantis, quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam ? Bene ergo inducitur exhibuisse officium et mysticum numerum custodisse. »

Beda. « Anima enim casta, quæ spiritualis Verbi desiderium concipit, necesse est ut alta cœlestis exercitii juga subeat, et quasi trium mensium dies ibidem demorata, quousque fidei, et spei, et charitatis luce radietur, perseverare non desistat. »

V. 57-66. Nascitur Joannes Baptista. Circumciditur, imponitur nomen.

Sacramenta primi sacerdotii in infante Joanne impleta narrantur, et ita fit dignus præcursor sacerdotalis Victimæ, de quo « infante » iisdem verbis loquitur S. Aug. (*de cons. Ev. L. I. c. VI. N°* 9.)

V. 67-79. *Canticum Zachariæ : « Benedictus. »*

In primâ parte (68-75) laudat Deum ob incarnatum in Virgine Messiam, cujus opus redemptionis mundi, et vim gratiæ decantat. — In secundâ parte (76-79) usque in finem, laudat Deum compellando Joannem filium suum, ejusque quasi procuratoris Christi officium et munus præcinit.

In *v.* 78 divinam misericordiam iterum signat a Lapide, interpretans verba : « Per viscera misericordiæ Dei nostri.... » « Assignat, ait, visceralem intimamque, ex imo cordis sinu fundoque manantem misericordiam Dei nostri, qui summæ miseriæ nostræ misertus, ut illi succurreret sua viscera, id est, Filium suum unigenitum, in ejus incarnatione dedit, et quasi in nos effudit. Anthropopathos ergo « viscera » significant intimam et summam Dei misericordiam. »

V. 80. « Puer autem crescebat et confortabatur spiritu; et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel. »

Uti Victimæ sacerdotalis privatam postea vitam Lucas enarrabit, ita convenienter de vitâ privata ejus præcursoris agit. De ipso Jesu dicit : « Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientiâ, et ætate, et gratia Dei erat in illo. » (*II, v.* 40.) Et iterum : Et Jesus proficiebat sapientiâ et ætate, et gratia apud Deum et homines. » (*II, v.* 52.)

« In desertis » Joannes didicit in eis esse quæ Dei sunt, ut postea Sacerdos duodennis in templo de seipso dicit : « quod in his oportet se esse quæ Patris sunt. » (*II. v.* 49.)» Nam,

ait Chrys., Joannes semper in hymnis, semper in orationibus fuit : nulli hominum antequam ad baptizandum accederet, Deo autem soli sua semper colloquia offerens. »

C. II.

V. 1-5. *Census universi orbis.*

(*V.* 1.) « Exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis. » V. Beda in Lucam monstrat hanc circumstantiam congruere nativitati Victimæ nobis immolandæ. Ita loquitur : « Non prætereunter tanta tamque benigna humilitas est intuenda, ejus qui non solum incarnari pro nobis, sed et eo tempore dignatus sit incarnari, quo mox censu Cæsaris adscriberetur, atque ob nostri liberationem, ipse servitio subderetur. »

Greg. (in homil. 8 in Evang.) ait :« Mystice autem nascituro Domino mundus describitur ; quia ille apparebat in carne qui electos suos ascriberet in æternitate. » Ita humilitati Victimæ conjungitur Virtus « Orientis ex Alto, » sive prodeuntis ex cœlo, quasi germinantis solis ad illuminandum eos qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent. (*Luc. I,* 78, 79.) Nam, addit a Lapide in Lucam, « significatur Christus « Oriens ex alto, » quasi alter Mechisedech, ἀπάτωρ ut homo, scilicet ut germen ex solâ terrâ, id est Virgine Matre castissime natus ; sed ut Deus, ἀμήτωρ id est, carens matre, scilicet ut radius a sole, id est, Patre generatus. Rursum ut sol purissimis suis radiis per vitrum penetrat et prodit, ita Christus uterum matris clausum nascendo penetravit. »

Etiam Origines virtutem simul et misericordiam « Orientis ex alto » proclamat : « Diligentius autem intuenti, inquit, sacramentum videtur quoddam figurari, quod in totius orbis professione describi oportuit Christum, ut cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in census, communionem sui præberet orbi. »

V. 6-20. *Nativitas Victimæ Bethlehemiticæ.*

Beda (in hunc locum) « Bene non solum propter indicium regii stemmatis, sed etiam propter nominis sacramentum, Dominus in Bethlehem nascitur. »

Greg. hom. 8 in Evang. « Bethlehem quippe « domus panis » interpretatur : ipse namque est qui ait : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. » Locus ergo in quo Dominus nascitur, « domus panis » antea vocabatur, quia futurum erat ut ibi ille per naturam carnis appareret, qui electorum mentes internâ satietate reficeret. »

Sancti Patres mire loquuntur de annihilatione sacratissimæ hostiæ : Beda (in hunc locum) ait :

« Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta sunt, ejus manus pedesque cunis astringuntur, ut nostræ manus ad opus bonum exertæ, nostri sint pedes in viam pacis directi. Cui cœlum sedes est, duri præsepii angustiis continetur, ut nos per cœlestis regni gaudia dilatet. Qui ad dexteram Patris sedet, in diversorio loco eget, ut nobis in domo Patris sui multas mansiones præparet. (*Joan.*, *XIV.*) Unde sequitur : « Quia non erat ei locus in diversorio. » Nascitur non in parentum domo, sed in diversorio et in via ; quia per incarnationis mysterium via factus est, qua nos ad Patriam (ubi veritate et vita fruemur) adduceret. »

Ambros. (apud a Lapide. Vives. P. 59) in Lucam :

« Ille igitur parvulus, ille infantulus fuit, ut tu vir possis esse perfectus. Ille involutus pannis, ut tu mortis laqueis sis absolutus. Ille in præsepibus, ut tu in altaribus. Ille in terris ut tu in cœlis. Ille locum in diversorio non habebat, ut tu plures haberes in cœlestibus mansiones. Qui cum dives esset, propter vos pauper factus est, ut illius inopiâ vos ditemini. » Ex quibus apposite pieque concludit : « Mea ergo paupertas illius patrimonium est, et infirmitas Domini mea est virtus. Maluit sibi egere, ut omnibus abundarem. Me illius infantiæ vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illæ

delicta lavarunt. Plus igitur, Domine Jesu, injuriis tuis debeo, quod redemptus sum, quam operibus quod creatus sum. »

Et Aug. (serm. 3 de nativ.) « O beata infantia, per quam nostri generis vita est reparata! O gratissimi delectabilesque vagitus, per quos stridores dentium æternosque ploratus evasimus! O felices panni, quibus peccatorum sordes extersimus! O præsepe splendidum, in quo non solum jacuit fænum animalium, sed cibus inventus est angelorum. »

Greg. Nyss. (de Nativ. apud a Lapide.) « Præsepe, ait, bestiarum est domus, in qua Verbum nascitur, « ut cognoscat bos possessorem et asinus præsepe Domini sui. » (Isa. I, 3.) Bos autem est Judæus legi subjugatus; asinus vero, animal oneribus ferendis aptum, gentilis sub gravissimo idololatriæ jugo gemens. Ordinarius autem cibus animalium est fænum. Producens enim, inquit propheta, fænum jumentis. Animal vero rationale pane vescitur: idcirco ergo in præsepi, ubi pabulum brutorum poni solet, panis vitæ, qui de cœlo descendit, proponitur, ut animalia quoque rationis experta rationalem cibum participarent. » Vel ut ait Beda in hunc locum: « Qui panis est Angelorum, in præsepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis suæ frumento reficiat. »

(V. 8-20.) Describit Evangelista angelum nuntiantem Christi ortum pastoribus; angelorum canticum in honorem « Orientis ex Alto; » pastorumque ad Christi adventum eorumque exultantium reditum.

Victima quam in stabulo mirati sumus, nunc ab Angelis extollitur: et luce cœlesti glorificatur: « Ipse enim, ait Beda, nobis ortum veræ lucis aperiens, filios noctis et tenebrarum, lucis effecit filios. » Ideo « claritas Dei circumfulsit » pastores.

« Angelus Domini (qui) stetit juxta illos, » (v. 9.) censetur a Toleto, Fr. Lucâ, et aliis fuisse archangelum Gabrielem: hic enim et B. Virgini et Zachariæ apparuit, fuitque totius hujus negotii incarnationis administer. Innuit idipsum Beda, dicens: « Angelus Mariam, Angelus Joseph, Angelus pastores instruit; et concipiendum, et conceptum, et natum

cœli cives Dominum testantur, ut et mortales sufficienter imbuant, et suum auctori servitium incessanter impendant.» (Apud a Lapide in Lucam.)

Rogat idem auctor cur pastores primi vocati sint ad Christum ?

1° Respondetur : Quod omnia hic in Christi præsepio spirent paupertatem et humilitatem, quodque pastores simplices, pauperes et humiles magis placeant Deo quam superbi divites, et increduli scribæ ac Pharisæi, juxta illud Christi: « Confiteor tibi, Pater, Domine cœli et terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis, quia sic placitum fuit ante te. » (*Matth. XI*, 25.) Unde Theophylactus hic : « Doctos, ait, per indoctos vicit, divites per pauperes, per piscatores piscatus est orbem. »

2° « Quia hi pastores veterum patriarcharum vitam sectabantur, quibus proinde velut innocentibus et sanctis, sæpe Deus per angelos apparuit. Ita S. Ambrosius, serm. 9 : « Nec mirum inquit si Christi gratiam ante scire meruit innocentia, quam potestas, et prius cognoscere veritatem simplex rusticitas, quam superba dominatio. »

3° « Quia Christus futurus erat Pastor populi, juxta illud: « Ego sum Pastor bonus. » (*Joan. X.*)

4° Ut significaretur pastoribus rationalium ovium, puta hominum et fidelium, primum divina mysteria a Deo revelari, ut ipsi deinde eadem suas oves, id est, plebem sibi commissam doceant. »

5° Addit auctor de Mirab. sacræ scripturæ. Inter opera S. Augustini : « Quia Christus erat agnus pro salute mundi offerendus. Congrue ergo ipse primo pastoribus agnorum apparet. »

Cur autem Magi apud Matthæum introducantur, pastores autem apud Lucam ; jam in Matth. exposuimus ; Magi primitiæ gentilium quærunt Regem ; « Lumen ad revelationem gentium. »

Pastores electos judæorum figurantes quærunt gloriam plebis suæ Israel. Ut Simeon senex in templo exclamat (*II*, 32.)

(V. 10-12.) « Invenietis infantem pannis involutum et positum in præsepio, » ait Angelus pastoribus; postquam illos præmonuit se gaudium magnum ipsis evangelizare, quod erit omni populo: « quia, ait, natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. »

(V. 13. 14.) Hunc Salvatorem « Sacerdotem in æternum » chorus Angelorum cum laude proclamant : « Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum et dicentium : gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

De gloria nascentis summi Sacerdotis ita in hoc loco loquitur a Lapide : « Angeli omnes Christum Deum ac Dominum suum, in terram nascentem comitati sunt, sicut aulici omnes comitantur regem peregre proficiscentem, ac natum infantem Deumque immensum..... obstupuerunt, venerati sunt et adorarunt. Hoc enim significat Apostolus dicens : « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit : et adorent eum omnes angeli Dei, » (*Hebr. I*, 6.) uti ibidem explicat Chrys. Theophyl. Euthym. Ambrosiaster et alii.

Quare tunc stabulum et præsepium fuit quasi versum in cœlum empyreum, utpote plenum angelis, adeoque cherubinis ac seraphinis omnibus, qui relicto cœlo ad stabulum descenderunt, Deum suum hominem factum veneraturi : fuit enim hoc opus incarnationis et nativitatis Verbi prius inopinabile, et quasi incredibile, utpote opus summum et proprium divinæ potentiæ, justitiæ et clementiæ, superans omnem hominum et angelorum intellectum. »

Non igitur miremur « Multitudinem militiæ cœlestis » tam mirabilia sublimiter cantare. « Bene chorus Angelorum adveniens, » ait Beda, « Militiæ cœlestis vocabulum accipit, qui et duci illi potenti in prælio, qui ad debellandas aërias potestates apparuit, humiliter obsecundat. »

Quia vero Deus et homo nascitur, jure hominibus pax, et Deo gloria canitur. »

« Multitudo militiæ cœlestis » quasi Victimæ triumphum præcinit : nam prius « oportuit pati Christum, et ita intrare

in gloriam suam. » (*Luc. XXIV*, 26.) Tunc factus est Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Ex sancto Paulo ad Hebr. novimus Melchisedech interpretari : Regem justitiæ. Sed et ipse est Rex Salem, quod est Rex Pacis. Cœlestes igitur exercitus laudes Deo et gloriam, hominibusque pacem per Regem suum triumphantem alte canunt.

Toletus et Maldonatus apud a Lapide : « Gloria jam in Cœlis est Deo, et in terra est pax, quia omnes cœlites in cœlo glorificant Dei misericordiam, sapientiam, fidelitatem, quod Christum a se patribus promissum jam mundo fideliter exhibuerit : hinc in terra est pax, quia Christus natus est, ut ipse quasi rex pacificus homines qui nascuntur filii iræ, Deo reconciliet. »

(*V.* 15-20.) Petunt Bethlehem pastores, « et videntes cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. » Mirantur omnes dicta a pastoribus. Maria confert in corde suo. Revertuntur pastores glorificantes et laudantes Deum.

Beda. « Mysticè autem intellectualium pastores gregum, imo cuncti fideles exemplo horum pastorum, transeant cogitatione usque Bethlehem, et incarnationem Christi dignis celebrent honoribus. Transeamus autem abjectis concupiscentiis carnalibus toto mentis desiderio, usque in Bethlehem supernam, id est, domum panis vivi, ut quem illi in præsepio videre vagientem, nos in Patris solio mereamur videre regnantem. »

(*V.* 19.) « Maria autem conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo. »

A Lapide. « Scilicet conferens et comparans non oracula prophetarum de Christo, ut vult Beda, sed dicta et visa pastorum de Angelis concinentibus « Gloria in excelsis Deo, » etc., cum iis quæ ipsa in se experta erat ; puta cum annuntiatione Gabrielis, oraculo Elisabeth et Zachariæ, cæterisque quæ ipsa de Christo nato viderat et in se senserat. Idque primo : ut videns utriusque miram concordiam, omnia scilicet inter se optime consentire, magis firmaretur in fide, scilicet unigenitum Filium Dei ex se esse natum. (Ita Ambrosius.)

Secundo, ut secunda contemplatione harum rerum, inter

se adeo consentientium, animam pasceret, et certa spe reliqua expectaret, Deum scilicet hoc opus ad finem perducturum et per Christum homines redempturum.

Tertio, ut ea deinde suo tempore Apostolis, ac præsertim Lucæ hæc scripturo panderet, et ex ordine narraret. Vide hic in Virgine rarum exemplum virgineæ taciturnitatis ac modestiæ, item cœlestis prudentiæ, ac firmissimæ fidei et spei, admirantis præsentia et futura præstolantis. Conferebat enim ea quæ cernebat summæ humilitatis, cum iis quæ noverat summæ Majestatis, stabulum cum Cœlo, pannos cum illis prophetæ verbis : (*Psal. CIII.*) « Amictus lumine sicut vestimento; » præsepe cum throno Dei, animalia cum Seraphinis. »

(*V.* 20.) « Et reversi sunt pastores... » Beda (super Lucam.) « Magistri etiam spiritualium gregum modo cæteris dormientibus contemplando cœlestia subeunt, modo fidelium exempla quærendo circumeunt, modo ad publicum pastoralis officii docendo revertuntur. »

V. 21-24. *Circumcisio et Præsentatio. Purificatio B. Mariæ Virginis.*

Cyril. (in catenâ græc. patrum.) Secundum legis præceptum eodem die (quo Jesus circumcisus est) impositionem nominis recepit. Unde sequitur :

« Vocatum est nomen ejus Jesus. » Quod interpretatum est Salvator : editus enim fuit ad totius orbis salutem, quam sua circumcisione præfiguravit; secundum quod Apostolus dicit (ad Coloss.) « Circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, » scilicet in circumcisione Christi. »

Beda. « Hujus autem nominis etiam electi in sua spirituali circumcisione participes existere gaudent ; ut sicut a Christo christiani, ita etiam a Salvatore salvati vocentur : quod illis a Deo vocabulum, non solum priusquam in utero Ecclesiæ conciperentur, sed etiam ante tempora secularia vocatum est. »

(*V.* 22.) « Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino. »

Titus (Bostrensis.) « Eleganter Evangelista protulit, quod « completi sunt dies purgationis ejus secundum legem.» Nam revera non incumbebat necessitas Virgini sacræ, ut dies purgationis ejus expectaretur ; quæ cum ex Spiritu sancto concepisset, caruit contagio. »

« Misit Deus Filium suum ... factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret. » (Gal. IV.) Ideo sancta Mater Hostiæ sacerdotalis Filium suum imitata est quando dies purgationis advenerant. De quo dicit S. Bernardus : « Vere, o Beata Virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione; sed numquid Filio tuo opus erat circumcisione? esto inter mulieres tanquam una earum: nam et Filius tuus sic est in numero puerorum. »

« Tulerunt illum in Hierusalem ut sisterent eum Domino.» Athan. (in catenâ græc. patrum.) « Sed quando paternis aspectibus latuit Dominus, ut ab eo videri non posset? aut quis locus excipitur ab ejus imperio, ut ibi existendo semotus a Patre sit, nisi afferatur Hierosolymam et introducatur in templum? sed forte causa nostri hujusmodi scripta sunt: sicut enim non gratia sui homo factus et circumcisus in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et spiritualiter circumcidamur, sic propter nos sistitur Domino, ut discamus Deo præsentare nos ipsos. »

(*V.* 23.) « Sicut scriptum est in lege Domini quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur.» Beda. « Quod ergo ait: « adaperiens vulvam, » consuetæ nativitatis more loquitur ; non quod Dominus sacri ventris hospitium quod ingressus sanctificaverat, egressus devirginasse credendus sit. »

(*V.* 24.) « Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini.... » Cyrill. (in cat. græc. patrum, ex homil. 17.) « O profunditas scientiarum sapientiæ et scientiæ Dei! offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum Patre: figuras legis custodit veritas; qui legis est conditor

sicut Deus, legem custodivit ut homo. Videndum autem quid hæc oblata insinuant. Nimirum loquacissima est turtur in avibus, at columba est animal mansuetum : talis autem factus est erga nos Salvator, mansuetudinem perfecte colens, et ut turtur orbem allexit, replens hortum suum propriis melodiis. Occidebatur ergo turtur aut columba, ut ipse per figuras nobis pandatur passurus in carne pro vita mundi. »

V. 25-35. *Senex Simeon.*

Ambr. « Non solum ab angelis et prophetis, a pastoribus et parentibus, sed etiam a senioribus et justis generatio Domini accepit testimonium : unde dicitur : Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon ; et homo iste justus et timoratus. Et bene justus, qui non suam, sed populi gratiam requirebat : unde sequitur : « expectans consolationem Israel. » Greg. Nyss. (orat. de occursu Domini) « Non utique mundanam felicitatem in consolationem Israel prudens Simeon expectabat, sed veram translationem ad veritatis decorem per separationem a legis umbrâ ; habuerat namque per oracula quod visurus esset Christum Domini priusquam de sæculo præsenti transmigraret. »

(*V.* 27, 28.) « Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus..... et ipse accepit eum in ulnas suas. » Greg. Nyss. (ubi supr.) « Quam beatus ille sacer ad sacra introitus, per quem ad vitæ terminum maturavit ! beatæ manus quæ Verbum vitæ palpaverunt, et ulnæ quoque quas ad susceptionem paravit ! » Beda. « Accepit senior infantem Christum, ut insinuet hoc sæculum quasi senio jam defessum ad infantiam et innocentiam christianæ conversationis rediturum. »

V. 29-32. *Canticum Simeonis.*

Orig. (hom. 15.) « Si autem ad tactum fimbriæ vestimenti mulier sanata est, quid putandum est de Simeone, qui in suas ulnas accepit infantem, et gaudebat videns parvulum a se gestari qui venerat ad vinctos resolvendos ? sciens neminem

eum posse de claustro corporis emittere cum spe futuræ vitæ, nisi is quem in brachiis continebat : unde dicitur : « Et benedixit Deum et dixit : nunc dimittis servum tuum, Domine. » Quasi diceret : quamdiu Christum non tenebam, clausus eram et de vinculis exire non poteram. « Secundum verbum tuum in pace. » Quis est autem qui de sæculo isto recedit in pace, nisi is qui intelligit quod Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi (II Cor., *V.*) nihilque habet inimicum Deo, sed omnem pacem bonis in se operibus assumpsit ? »

« Quia viderunt oculi mei salutare tuum. »

Greg. Nyss. (ut supra.) « Beati oculi tui, tam animæ quam corporis : hi quidem visibiliter Deum suscipientes ; illi vero, non solum quæ visa sunt attendentes, imo illuminati fulgore Spiritus Domini Verbum in carne cognoscentes : salutare namque quod oculis percepisti, ipse Jesus est ; quo nomine salus declaratur. »

« Quod parasti ante faciem omnium populorum. » Athan. (cat. græc. patrum.) « Scilicet confectam toti mundo per Christum salutem : qualiter ergo supra dictum est, quod expectabat Israel consolationem ? Eo quod scilicet tunc futuram esse consolationem Israel agnovit in spiritu, cum in omnibus populis paratum est salutare. »

« Lumen ad revelationem gentium, » Cyrill. (catena græc. patrum ex hom. 17.) « Nam Christus adveniens factus est lux tenebrosis et erraticis, quos diabolica manus pressit : vocati sunt autem a Deo Patre ad notitiam Filii, qui est lux vera. » Athan. (ubi supra.) « Israel autem, licet tenuiter, lege illuminabatur : et ideo non dicit quod lumen illis protulerit : sed subdit : « Et gloriam plebis tuæ Israel. » Memorans antiquam historiam, quod sicut olim Moyses Dominum alloquendo, gloriosam retulit faciem, sic et ipsi divinam humanitatis lucem pertingentes, vetus abjicientes velamen, in eamdem imaginem transformarentur de gloriâ in gloriam. »

V. 33-35. *Benedictio et Prophetia Simeonis.*

Græc. « Laudibus autem divinis exhibitis, vertit se Simeon

ad benedictionem adducentium puerum, unde sequitur : « Et benedixit illis Simeon. » Allioli, « Sancta vota super illos pronuntiavit. » Benedictione igitur utrumque donat, utrumque beatum proclamat ; occultorum vero præsagia dirigit tantum ad matrem, quatenus per communem benedictionem non privetur Joseph similitudine patris ; per ea vero quæ dicit matri seorsum a Joseph, veram eam prædicit genetricem : unde sequitur : Et dixit ad Mariam matrem ejus : « Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur. »

(Chrys. in *cat. græc. patrum.*) « Sicut enim lux, etsi oculos debiles turbet, lux est, hoc modo Salvator perseverat, etsi corruant plurimi : neque enim est ejus officium destructio, sed eorum vesaniæ : quamobrem non solum ex salute bonorum, sed etiam ex malorum dissipatione virtus ejus ostenditur : nam sol, quoniam multum radiat, propterea visus debiles præcipue perturbat. »

Simeon prophetizat « in ruinam et resurrectionem multorum » venisse Christum-Jesum : « Scilicet, ait Ambr., ut justorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum judex verus et justus, aut supplicia decernat, aut præmia. « Est enim Rex justitiæ, et Rex pacis ; Sacerdos in æternum. « Et in signum cui contradicetur. »

Greg. Nyss.(ubi supra.)« Hæc siquidem de Filio dicuntur, spectant tamen ad ejus genetricem, dum singula sibi assumit simul periclitata et glorificata ; nec tantum prospera, sed illi denuntiat etiam dolorosa. Nam sequitur : « Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. »

Hoc est, dolor Dominicæ passionis animam tuam pertransibit. Quo fit Maria coredemptrix cum Victima sacerdotali, « adimplens in se quæ desunt passionum Christi, » ut Apostolus de seipso dicit. Quanto magis Mariæ anima passioni Filii participavit ! Exclamare potest : « Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia ! » Coloss. I, 24.

V. 36-38. *Anna Prophetissa.*

Greg. Nyss. (asserit J. M. Peronne catena aurea : hunc locum in oratione Nysseni non inveniri) « Aspice Annam conformem Simeoni virtutibus : simul enim erant in templo, simul etiam digni reputati sunt prophetica gratia : unde sequitur : « Et hæc ipsa hora superveniens confitebatur Domino. » Hoc est, regratiabatur videndo mundi salutem in Israel, et confitebatur de Jesu quoniam ipse esset redemptor, idemque Salvator. Forsitan autem ob hoc aliquis Simeonem prævenisse fatebitur ; eo quod is quidem formam legis gerebat (nam et ipsum nomen notat obedientiam), illa vero gratiæ (quod interpretatio nominis manifestat) inter quos Christus medius erat : idcirco illum quidem dimisit cum lege morientem, hanc vero fovet ultra viventem per gratiam. » Beda. « Arridet etiam mysteriis Ecclesiæ Anna, et « gratia ejus » interpretatur, et filia Phanuelis est, qui « facies Dei » dicitur, et de tribu Aser (id est, beati) descendit. » (S. Hier. hunc sensum annectit nominibus in suo tractatu de nom. hebraicis.)

Omnia quæ adhucusque legimus misericordias proclamant sacratissimæ hostiæ pro salute mundi in cruce immolandæ ; Misericordias Domini per ipsam in æternum cantemus, concedat nobis Pater misericordiarum et Deus totius consolationis !

V. 39, 40. *Reditus sanctæ familiæ in Nazareth et encomium pueri Jesu.*

Beda. « Prætermisit hoc loco Lucas, quæ a Matthæo satis exposita noverat ; Dominum videlicet post hoc (ne ab Herode necandus inveniretur), et in Ægyptum a parentibus esse delatum, et defuncto Herode sic demum in Galilæam reversum, Nazareth civitatem suam inhabitare cœpisse. Unde multis prætermissis, Lucas dicit : « Et ut perfecerunt omnia, » etc. Theophyl. « Erat quidem eorum civitas Bethlehem, sicut patria, Nazareth vero tanquam habitaculum. »

Apud Matthæum exposuimus rationem mysticam quare

potius hic Evangelista fugam in Ægyptum, et exinde reditum narravit.

(*V.* 40) « Puer autem crescebat et confortabatur. » Cyril. (Vel potius Theodoretus in *cat. græc. patrum.*) « Decenter vero ætatis incremento sapientiæ conjunxit augmentum, cum dicit : « et confortabatur, » scilicet spiritu : nam juxta mensuram ætatis corporeæ, natura divina sapientiam propriam revelabat. » Theoph. « Non autem quasi suscipiens sapientiam, spiritu confortari dicitur : quod enim ab initio perfectissimum est, quomodo potest deinde perfectius fieri ? unde sequitur : « Plenus sapientia et gratia Dei erat in illo. » Beda. « Adhuc autem cum parvulus esset habebat gratiam Dei, ut quomodo in illo omnia mirabilia fuerant ita et pueritia mirabilis esset, ut Dei sapientia compleretur. »

V. 41-50. *Jerusalem Jesus cum parentibus petit.*

Beda. (in hom.) « Quod autem Dominus per omnes annos cum parentibus in pascha Hierosolymam venit, humilitatis est humanæ indicium : hominis namque est ad offerenda Deo sacrificia concurrere, et eum orationibus conciliare. Fecit ergo Dominus inter homines homo natus quod faciendum hominibus per angelos imperavit Deus. »

(*V.* 42, 43.) « Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam.... remansit puer Jesus in Hierusalem, et non cognoverunt parentes ejus. » Per triduum quærentes eum invenerunt eum in templo in medio doctorum. Græc. (Vel Metaphrastes vel Geometer, ubi supra.) « Miranda vero Dei Genitrix maternis affecta visceribus, quasi cum lamentis inquisitionem dolorosam ostendit ; et omnia sicut mater, et fiducialiter et humiliter, et affectuose exprimit : « Fili quid fecisti nobis sic, » etc. « Et ait ad illos : quid est quod me quærebatis ? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse ? » (*V.* 49.)

« Hæc verba Christi, ait a Lapide, sunt instruentis, consolantis et se excusantis, suumque factum defendentis, q. d. Non opus erat ut me quæreretis, quia cogitare poteratis me

negotia salutis mundi, ad quæ a Patre cœlesti missus sum, inchoando tractare. » Unde Beda ait : « Non quod eum quasi filium quærat, vituperat ; sed quid ei potius, cui æternus est Filius, debeat, cogit oculos mentis attollere. »

Quæ omnia magis appropriata sunt Victimæ sacerdotali, quæ juxta æternum Patris consilium et voluntati Patris in omnibus obediens, mundi salutem præparat.

V. 51, 52. *Et descendit cum eis Nazareth, et erat subditus illis.*

Obedientiâ Mariæ et Josepho incipit sacrificium illius ; qui postea « factus est obediens usque ad mortem. »

« Et Jesus proficiebat sapientiâ, et ætate, et gratia, apud Deum et homines. » Cyrillus (in thesauro, Lib. X. Cap. 7.) « Erat Verbum (factum homo) perfectum, cum sit virtus et sapientia Patris : verum quia dandum erat aliquid nostræ naturæ moribus (ne aliquid extraneum a videntibus reputetur) tanquam homo paulatim crescente corpore manifestabat seipsum, et quotidie sapientior ab audientibus et videntibus censebatur. »

Sic ergo Victima sacrificii saginata est filiis prodigis optimi Patris !

C. III.

V. 1-18. *Narrat Lucas prædicationem et baptismum Joannis, quibus homines disposuit ad gratiam Christi, quæ Spiritu sancto et igne manifestanda est.*

Greg. (in homil. 20.) « Quia Joannes illum prædicavit qui simul Rex et Sacerdos existeret, Lucas Evangelista prædicationis ejus tempora, non solum per regnum, sed etiam sacerdotium designavit. Unde dicitur : « Anno autem quinto decimo Tiberii Cæsaris... sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha factum est verbum Domini super Joannem Zachariæ filium in deserto. » (*v.* 1. 2.)

« Rex Judæorum, » quem magi quærebant natus est sub Herode alienigenâ qui sceptrum de Juda abstulit. Prædicatur

adventus Regis justitiæ et Regis pacis, sub imperatore gentili, « procurante Pontio Pilato (gentili) Judæam. » Sacerdos in æternum annuntiatur « sub principibus sacerdotum Anna et Caïpha. »

« Rex Judæorum » venit reparaturus ruinas Regni Davidici ; ita ut de temporali faciat æternum. Rex justitiæ et Rex pacis venit ut princeps hujus mundi ejiciatur foras ; et Sacerdos in æternum ut finem imponat sacerdotio antiquo, cui jam tunc temporis, ut ait V. Beda, « Legalibus præceptis vi et ambitione cessantibus, nulli pontificatus honor vitæ vel generis merito reddebatur. »

Joannes apud Lucam, utpote misericordem victimam repræsentans gratiam Christi abundantius prædicat : turbis enim, publicanis et militibus specialia assignat remedia salutis.

Apud Lucam etiam in signum misericordiarum sacratissimæ hostiæ, legimus : « Et videbit omnis caro salutare Dei. » (*v.* 6.)

(*V.* 5.) Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. »

Greg. Nyss. (in cat. græc. patrum.) « Quietam in virtutibus conversationem significat per valles, secundum illud (*Ps.* 64.) « Valles abundabunt frumento. » Ibidem Rex pacis regnabit.

Orig. (hom. 22.) « Intelligas quoniam montes et colles qui sunt adversariæ potestates, per adventum Christi prostratæ sunt. » Basilius, (cat. græc. patrum) « Sicut autem colles respectù montium magnitudine differunt, in aliis sunt idem, sic et adversæ potestates proposito quidem conformes sunt, immanitate tamen offensionum discernuntur. »

Montes et colles Rex Justitiæ subjugabit.

(*V.* 6.) « Et videbit omnis caro salutare Dei. » Simeon cantavit : « Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. » (*Luc. II. v.* 30, 31.)

« Nunc iterum ostenditur, ait Chrys. (ut supra), quoniam usque ad fines mundi diffundetur Evangelii virtus atque

cognitio, ex more ferino et obstinata voluntate, ad mansuetudinem et lenitatem humanum genus convertens. Non autem solum Judæi proselyti, imo tota humana natura salutare Dei videbit. »

(V. 7-14.) Audimus Joannem nomine Regis Justitiæ et Regis pacis discretionem facientem :

Ut præcursor Regis Justitiæ severe increpat malos. « Genimina viperarum ! » Ut præcursor Regis pacis remedia salutis præscribit peccatoribus conversis ad salutarem hostiam : « Qui habet duas tunicas det non habenti, » etc. (v. 11-14.)

S. Ambr. in verba : « Quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? » (v. 7.) Monstrat Joannem cognovisse obstinationem malorum, præsertim Pharisæorum : « Ostenduntur, ait, habere prudentiam naturalem, qui profutura videant et sponte deposcant, sed adhuc noxia non relinquant. » Sanctus autem Præcursor aperit omnes thesauros Victimæ sacerdotalis, quos Rex pacis jam hic applicare turbis, publicanis et militibus vere pœnitentibus gestit.

(V. 15-18.) « Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Joannes, dicens omnibus : ego quidem aqua baptizo vos, » etc.

Ambr. « Quid autem ineptius quam quod is qui in alio æstimatur, in seipso esse non creditur ? quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt ; et utique divini adventus signum in virginis partu, non in mulieris constitutum est. » Hic notare possumus quod divinus adventus per Virginem, Gentilium primitiis, Magis scilicet ab initio insinuatum est : « Illi autem intrantes domum invenerunt puerum cum Mariâ matre ejus. » (*Matth. II*, 11.) De Josepho hic tacetur.

Scandalum autem Judaicum, quod Jesus esset filius Joseph, ut sæpius impius populus improperat ; quasi implicite prædicitur quando pastores ad stabulum accedunt : hi enim « invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in præsepio. » Et ita etiam postea Judæi « quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt ; » ut supra dixit Ambrosius.

Orig. (hom. 27.) « Annuntiaverat Joannes Christum, baptismum Spiritus sancti prædicabat, et cætera quæ Evangelii historia tradidit. Exceptis ergo his alia nuntiasse monstratur in eo quod dicitur : « Multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo. » (v. 18.)

V. 19, 20. *Incarceratio Joannis.*

Beelen. « Quæ hic. v. 19 et 20 dicuntur de incarceratione Joannis, solum post Christi baptismum locum habuerunt. (v. 21-22.) Attamen jam nunc ea Lucas narrat ut ita brevem Baptistæ historiam claudat. »

V. 21, 22. *Baptisma Christi.* (*Sacerdotalis Victimæ.*)

Greg. Nazianz. « Accedit Christus ad baptismum, quod autem nulli dubium est, ut totum veteranum Adam immergat aqua. » « Et Jesu baptizato et orante, apertum est cœlum. » Ut perpendas, ait Chrys., quod suscepto baptismate opportuna sit jugis oratio. Beda. Quia etsi peccata sint omnia in baptismo laxata, non adhuc terrenæ carnis est fragilitas solidata ; nam quasi transito mari Rubro gratulamur submersos Ægyptios, sed in deserto mundanæ conversationis hostes occurrunt alii, qui duce Christi gratia nostro sudore vincantur, donec perveniamus ad patriam. »

V. 23-38. *Genealogia Jesu-Christi summi Sacerdotis nostri.*

« Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Qui fuit Eli, qui fuit Mathat..... Qui fuit Adam, qui fuit Dei. »

S. Aug. (*Lib. II de cons. Evang. C. III.*) insinuat mysterium latere in modo quo Lucas genealogiam Jesu narrat : « Nunc vero, ait, cum alter dicit, Jacob genuit Joseph ; alter autem Joseph qui fuit Heli ; etiam ipsa verborum differentia quid singuli suscepissent eleganter intimaverunt. »

Chrys. (hom.) notat quare Lucas ad Adam ipsum ascendat : « Matthæus quidem tanquam qui Judæis scribebat,

nihil statuit ulterius scribere, nisi quod ab Abraham et David Christus processerat ; hoc enim maxime placabat Judæos. Lucas vero (sicut qui omnibus communiter loquebatur) ulterius protendit sermonem, attingens usque ad Adam. » In sacrificio enim Victimæ sumus omnes una familia facti, scilicet filii Dei, Adæ posteri : Non est ultra Judæus neque Gentilis.

Ambrosius. « Putavit etiam Lucas ad Deum Christi originem referendam, quod verus Christi generator Deus sit : vel secundum generationem veram Pater ; vel secundum lavacrum et regenerationem mystici auctor muneris, et ideo non a principio generationem ejus cœpit describere, sed postea quam baptisma ejus explicuit : ut (et secundum naturam et secundum gratiam) Dei Filium demonstraret. Quid autem evidentius divinæ generationis indicium, quam quod de generatione dicturus Patrem præmisit loquentem : « Tu es Filius meus dilectus ? »

Aug. (*de cons. Evang. Lib. II, C. 4.*) « Et Matthæus quidem significare voluit Dominum descendentem ad nostram mortalitatem ; ideo generationes ab Abraham usque ad Christi nativitatem descendendo commemoravit, ab initio Evangelii sui.

Lucas autem, non ab initio, sed a baptismo Christi generationes narrat ; nec descendendo, sed ascendendo tanquam Sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans, ubi Joannes testimonium perhibuit, dicens (*Joan. I.*) : « Ecce qui tollit peccatum mundi ; » ascendendo autem pervenit ad Deum cui mundati et expiati reconciliamur. »

S. Hil. Ambr. et Beda etiam opinantur Lucam misticè in suâ genealogia Sacerdotem insinuare. Ipsum initium et finis genealogiæ etiam ex litterâ videntur hoc insinuare : Christus enim est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, de quo S. Paulus ad Hebræos dicit (VII, 3.) : quod sit « sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum. »

Nonne videtur analogia existere inter genealogiam Jesu apud Lucam et genealogiam Melchisedech ?

Hic erat sine patre : Jesus autem putabatur filius Joseph, (non dicitur erat filius Joseph.) ergo quasi sine patre. — Melchisedech erat sine matre. Hic in genealogia Christi de matre tacetur. — Melchisedech erat sine genealogia : Hic in genealogia Christi, mystica vox « qui fuit, » nullam generationem intimat. — Melchisedech non habebat initium dierum : apparuit Abrahæ ut vir perfectâ ætate. Sic Christi genealogia hic narratur tanquam viri quando « erat incipiens quasi annorum triginta. » — Melchisedech non habebat finem vitæ. Perfecti viri Christi genealogia ad Deum usque ascendit apud quem est immortalitas : Ita ut Sacerdos noster Jesus-Christus tanquam « Oriens ex alto » nobis verè appareat.

Quod supra jam ex S. Aug. notavimus de genealogia ascendente, S. Leo (*Serm. X de nat. Dom.*) etiam confirmat : « Lucas, ait, ab ipso Domini ortu seriem generis sursum versus retexuit, ut etiam illa sæcula quæ diluvium prævenerunt, huic sacramento doceret esse connexa, omnesque ab initio successionum gradus ad eum, in quo uno erat salus omnium, tetendisse. »

Lucas sursum versus descripsit « Ut significaret, ait Lucas Brug., per Jesum homines sursum reduci ad Deum, qui per Adam deorsum abducti fuerant a Deo. »

C. IV.

V. 1-13. Quadragenarium Domini jejunium et trina diaboli tentatio.

Ill^mus Beelen circa Domini tentationes in deserto animadvertit. « Volebat spiritus malignus investigare an Jesus esset vere Filius Dei ; et inducere illum in peccatum si esset merus homo. »

S. Ambrosius conjungens Jesu baptismum cum jejunio in deserto, feliciter loquitur : « Tria igitur sunt quæ ad usum proficiunt salutis humanæ : sacramentum, desertum, jejunium. Nemo nisi qui legitime certaverit, coronatur ; nemo autem ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ab omni-

bus ablutus maculis delictorum gratiæ cœlestis munere consecretur. »

Et quia Victima sacerdotalis post trinam tentationem non adscribit sibi victoriam per prolepsim partam, ut fecit Rex apud Matthæum, non increpat tentatorem, dicens : « Vade satana. »

Nec angeli dicuntur ei ministrasse postquam diabolus abscesserat. Legimus autem apud Lucam : (*v.* 13) « Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. » « Postea enim, ait V. Beda, non tentaturus, sed aperte pugnaturus advenit. » In hoc ultimo agone, venit « Angelus confortans eum. » (*Luc. XXII*, 43.)

In his videtur Jesus Victima speciali modo designari.

Vide appendicem in fine.

V. 14, 15. Docet in synagogis Galilææ cum magna fama et multo honore.

Omittuntur apud Lucam ea quæ in Matthæo videntur magis novum regnum spectare : de quo præsertim prophetia Isaïæ narrat : « Terra Zabulon, et terra Nephtali, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam, et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. » (*Matth. IV*, 15, 16.)

Nulla quæstio est de electione novi domicilii in Capharnaum, nec de electione quatuor Apostolorum.

Apud Lucam Sacerdos ivisse dicitur in Nazareth ubi erat nutritus et ibidem ex Isaia demonstrasse se esse Messiam. Longe igitur alia est inspiratio Spiritus sancti apud Matthæum et apud Lucam in hoc loco.

V. 16-30. Dominus venit Nazareth. Possumus hic notare quod Sacerdos ab initio adventus sui in Galilæam, sese Messiam aperte declarare non dubitat ; eodem modo quo apud Joannem primo anno prædicationis divinitatem pluries manifestat Verbum incarnatum.

Apud Matthæum et Marcum Rex-Propheta nobis exhibetur in initio pressius secutus esse prædicationem Joan-

nis de pœnitentia facienda, ut auditores possent in novum Regnum intrare ejusque doctrinæ et fidei participes fieri.

A tempore quo « regressus est Jesus in virtute Spiritûs in Galilæam » (*v.* 14.), apud Lucam tanquam Victima sacerdotalis, magis apparet ut unus de populo suo Israel. Et hoc est quod observat Cyrillus (in cat. græc. patrum.): « Largitur autem sui notitiam illis, inter quos educatus est secundum carnem. Decebat autem ex tunc eum notum fieri, et humanitatis fulgere mysterium apud eos, qui erant de sanguine Israel. Ideo legimus : « Et fama exiit per universam regionem de illo. » (*v.* 14.)

Calmet demonstrat quomodo Jesus in Nazareth aperte sese Messiam declaravit, et merita passionis misericorditer insinuavit. Sed « quia nemo propheta in patriâ suâ » (*v.* 24.), quamvis sit « Gloria plebis suæ Israel, » fructus passionis suæ maxime ad gentes transferendos esse ostendit : quæ figurantur in vidua Sareptana et Naaman syro.

Ita loquitur : « Triginta annos quibus Jesus-Christus permansit in Nazareth, jugiter religionis operibus vacavit, et omnibus sabbatis synagogæ interfuit, ut ibi legis lectionem audiret, atque Dominum laudaret. Verum hactenus illi satis videtur fuisse, auditorem ibi adesse, quin sapientiam et spiritum, quo repletus erat, ostenderet. »

In V. 18 : « Spiritus Domini super me.... » annotat : « Non fortuitu, sed divinitus factum est, ut Salvator hunc locum offenderet, qui egregie missionis illius initio conveniebat. Isaïas XI : 2 de se tanquam figura Messiæ verba fecit. Scit se a spiritu Dei missum, ut captivis Judæis proximam nuntiaret libertatem, et certiorem faceret populum extrema laborantem inopia, futurum ut a Deo quam primum ex eo squalore educeretur. Babylonis captivitas erat imago status humani generis : reditus ex hac captivitate, quem Cyrus permisit, ac portendit Isaïas, exhibebat humani generis redemptionem a Jesu-Christo complendam. Quod propheta tantum annuntiabat, Jesus-Christus ipse exequutus est. » — Juxta alios, in hoc loco Isaïæ, Christus de se loquitur : quod verius est.

(*V.* 18, 19.) « Propter quod unxit me, et evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem et cæcis visum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum et diem retributionis. »

« Jesu-Christi in mundum adventus, omnibus hominibus fuit optatissimus annus Jubilæi. Januam aperuit omnibus servis peccati ; et libertate oblata, nemo non gavisus, nisi qui noluit ; effudit ille sanguinem vitamque suam pro omnium mortalium redemptione, illis æternitatis aditum reseravit, iisque iterum jus ad immortalitatem, ac cœli beatitudinem comparavit, de quo propter protoparentis sui scelus fuerunt dejecti. »

« Annus idem, qui indulgentiæ, ac reconciliationis annus est justis, impiis annus erit iræ et ultionis. Venit Jesus « in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur : » ut prædixit Simeon (*Luc. II*, 34). Judæi fideles ac dociles qui Jesum-Christum receperunt, omnibus favoribus illius fuerunt cumulati ; qui vero illum abjecerunt, et crucifixerunt, patriæ templique sui ruinis oppressi sunt : quæ Romani expugnaverunt, diripuerunt, ferro flammisque vastarunt.

(*V.* 21.) « Hodie impleta est hæc scriptura. » Vel potius incipit adimpleri. Annuntio vobis redemptionem, libertatem, reconciliationem, veniam peccatorum vestrorum : ego ipse sum liberator, spes, salus, Messias vester : de me loquitur propheta iis in verbis, quæ modo audiistis, « in auribus vestris. »

Ita, ait Calmet, interpretantur hanc Jesu conclusionem Theophylact. Euthym. Maldonat. Grotius.

(*V.* 28.) « Repleti sunt ira. »

« Nazareni facile intellexerunt, Jesum abscedere velle, atque ad alios concedere, illis sua beneficia collaturum, eumque ipsorum incredulitatem, atque nequitiam cum aliorum docilitate comparantem, toto cœlo hos illis præponere ; itaque in iram atque indignationem exarserunt. Ad hæc Jesus se parem ferebat antiquis prophetis Elisæo, et Eliæ,

atque Naamani exemplo ab Eliseo curati, innuebat se paratum esse, ut et gentilibus favores suos communicaret : quæ recens adhuc in illum iræ, atque indignationis extitit causa. »

Ita Calmet ex Luc. Brug. Maldonat. Grot. Menoch. D. Thomâ, etc.

Vidua Sareptana et Naaman Syrus. (*v.* 25-27).

« In vidua autem illa ad quam Elias directus est, typus Ecclesiæ præmissus est. » (Ambr. catena aurea.)

Notandum est, quod hic apud Lucam Ecclesia minus consideretur ut Regnum, quam ut dispensatrix meritorum Christi et Sacramentorum, fructuum passionis Sacerdotis Victimæ. Quod melius etiam intelligimus exemplo Naaman.

Beda. « Naaman qui decorus interpretatur, populum significat nationum, qui septies lavari jubetur : quia illud baptisma salvat, quod septiformis Spiritus regenerat. Caro ejus post lavacrum sicut pueri apparet, quia mater gratias omnes in unam parit infantiam : vel quia Christo conformatur de quo dicitur : « Puer natus est nobis. »

Merito Naaman cujus dum aqua corpus abluitur, fide pectus abluitur, id est, populus gentium, Judæis lepra contumaciæ squalentibus, antefertur. Merito vidua Sareptana id est, Ecclesia, ligno crucis refici desiderans, Judæis fame verbi pereuntibus, pane sacrosancti corporis et vivifici Spiritus recreatur. »

(*V.* 29.) Et surrexerunt, et ejecerunt illum extra civitatem ; et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. »

Beda ait : « O pejor magistro discipulorum hæreditas ! Diabolus verbo Dominum tentat, Judæi facto. Ille dicit, « mitte te, » isti adoriuntur ut mittant. »

Nonne videtur sacerdotalis Victima hanc violentiam pati apud Lucam, eodem modo quo sæpius apud Joannem Verbum incarnatum sacrilegos passus est aggredi summâ violentiâ propriam suam Divinitatem ?

V. 31-37. *Prædicat Capharnai ibique curat dæmoniacum.*

Ait Ambrosius : « Sabbato medecinæ divinæ opera cœpta

significat, ut inde nova creatura cœperit, unde vetus creatura ante desivit, nec sub lege esse Dei Filium sed supra legem in ipso principio designaret. »

Idem S. Pater ait : « Mystice autem qui in synagoga spiritum habebat immundum, populus est Judæorum, qui innodatus diaboli laqueis, simulatam corporis munditiem interioris mentis sordibus inquinabat. »

V. 38. 39. *Socrus Petri a febre curata.*

Apud Matthæum et Marcum legimus idem miraculum. Sancti Patres interpretantur de synagoga quæ, renovatà juventute, in apparitione Domini facta est, ut ait Remigius, « de ministra mortis et pœnæ, postmodum ministra vitæ et gloriæ. »

Beda. « Quæ ei resurgens ministrabat, quia nunc quotidie per spirituale officium credens Deo ministrat. »

V. 40. 41. *Cum sol occidisset... curabat ægrotos... et exibant dæmonia a multis.*

Eodem ordine, post curam socrus Petri, hæc miracula vespere facta exponunt tres Evangelistæ Matthæus, Marcus et Lucas. Eodem modo sensus mysticus a sanctis Patribus traditur. Vespere intelligunt « occasum solis Justitiæ » in morte Domini.

Passio Domini est evangelistis communis, quamvis in illa ratio victimæ primas teneat et fundamentalis sit.

Cura dæmoniaci, et socrus Petri, cum miraculis vespere peractis, leguntur apud Marcum et Lucam eodem sabbato locum habuisse. Ut apud Marcum sancti Patres interpretati sunt, Dominus qui venit legem adimplere, elegit ad hæc patranda verum sabbatum, dilectamque Domino requiem : in quam electos suos figuraliter per hæc miracula repræsentatur introduxisse.

V. 42-44. Factâ autem die egressus est in desertum locum, et turbæ requirebant eum... et erat prædicans in synagogis Galilææ.

Hic ut apud Marcum, V. Beda « diluculo » interpretatur de resurrectione Domini; « qui a credentium turbis inquiritur. »

Diversimode respondet Jesus apud Marcum et apud Lucam volentibus retinere eum : hic (*v.* 43.) legitur. « Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei quia ideo missus sum. » Apud Marcum autem : « Eamus in proximos vicos et civitates, ut ibi prædicem, ad hoc enim veni. » (*Marc I,* 38.) Nonne videtur divina libertas cœlestis doctoris apud Marcum elucere ? « ad hoc enim veni, » ait. Et apud Lucam sancta obedientia Victimæ sacerdotalis cœlesti Patri, dum dicit : « quia ideo missus sum, » ut apud Marcum ex Chrysostomo exposuimus.

Hic est animadvertendum quod apud Matthæum, ut vidimus, post miracula vespere operata, narratur transitus maris, tempestas et excitatio Jesu e somno : in quibus etiam sancti Patres animadvertunt mortem et resurrectionem Domini figurari; sic igitur post figuram passionis Domini quæ « vespere » communiter a tribus Evangelistis significatur : apud Matthæum resurrectio diverso modo sub mysterio repræsentatur.

« Et erat prædicans in synagogis Galilææ. » Chrys. Nam si jugiter inhabitata coleret, diffamarent eum velut latitantem.

C. V.

V. 1-11. Jesus docet de naviculâ Petri turbas, deinde ad sui sequelam vocat Petrum, Joannem et Jacobum per ingentem piscium capturam.

S. Aug. (Lib. IV de cons. Evang.) interpretatur mystice hoc miraculum : « Joannes quidem videtur simile miracu-

lum dicere, sed illud longe aliud est quod factum est post resurrectionem Domini ad mare Tiberiadis : ibi enim non solum tempus valde diversum est, sed etiam res ipsa plurimum distat. Nam retia illic in dexteram partem missa, centum quinquaginta tres pisces ceperunt, magnos quidem ; sed pertinuit ad Evangelistam dicere, quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta : respicientem scilicet ad hoc factum quod Lucas commemorat, ubi præ multitudine piscium retia rumpebantur. »

Apud Joannem, ait, (in tract. in Joannem) :

« Piscatio est figura resurrectionis electorum. »

Apud Lucam, ait : « Piscatio est figura prædicationis apostolicæ quâ in Ecclesiam introducuntur boni et mali. »

Commissio hujus piscationis præsertim ad Petrum pertinet, ut ex verbis Domini apud Lucam intelligimus : « ex hoc jam eris homines capiens. » (*v.* 10.) Exponit enim ei Dominus, ait V. Beda, quid hæc captura piscium significet : « quod scilicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit homines capturus. Totusque facti hujus ordo quid in Ecclesia cujus ipse typum tenet, quotidie geratur ostendit. »

Rete in quo Petrus homines capit, est verbum Dei : nonne in Luca rete scissum est prædicatio verbi hujus qui verè « contritus est propter scelera nostra ? » verbum Victimæ in cruce passæ ; cujus merita duas naviculas Judæorum et Gentium implebunt, Petro præside ? Rete resurrectionis et vitæ non est scissum in Joanne et transmittit, in resurrectione mortuorum, justos ad æternitatis littus. Hoc rete est ipse qui dixit, « Ego sum resurrectio et vita ; est ipsum Dei Verbum.

Petrus etiam hic « traxit rete in terram. » (*Joan.* 21, 11).

Beda in Lucam animadvertit : « rumpitur rete ; sed non labitur piscis. » Sed quia tantus est numerus piscium tam bonorum, quam malorum, ideo naviculæ pene merguntur. (*v.* 7.) Et hoc notat bene militantem Ecclesiam, quia necesse est ut veniant scandala. Sed Jesus Sacerdos et Victima, in cujus passione homines capiuntur, sicut retibus pisces : Pe-

trum confirmat dicens : « Noli timere. » (*v.* 10.) Et alibi tanquam Rex intimat Petro divinâ certitudine quod « portæ inferi non prævalebunt adversus Regnum » super quod Domini sui Regis successor ipse instituetur (*Matth. XVI*, 18.)

V. 12-26. *Jesus curat leprosum, et multos alios sanat.* « *Secedebat in desertum et orabat.* » *Deinde docens coram Pharisæis et legis doctoribus inter alios paralyticum curat eique peccata remittit.*

Post piscationem miraculosam Lucas agit de leproso mundato et de paralytico sanato in corpore et anima. Leprosus repræsentat populum Judaicum sub lege mundatum in corpore : est figura futurorum. Paralyticus autem genus humanum sub lege christianâ animam mundante. Christus intervenit, multos ægrotos sanat ; secedit in desertum et orat. Omnia disponit ut merita passionis fructum ferant : jamque in paralytico præfiguratur applicatio meritorum Crucis : obtinet enim sanitatem corporis et animæ.

Sanitas corporis quasi imago et exemplum existit ipsius animæ puritatis, quæ etiam in re a Domino conceditur.

Itaque ut in Matthæo curatur puer centurionis post leprosum, quod juxta Chrys. transitionem de Judæis ad gentes significat ; sic in hoc loco Lucæ videmus transitionem de figuris antiquis mosaicæ legis, ad veritatem munditiei animæ per Christum obtinendæ.

Unus populus olim in figura mundabatur, nunc autem totus orbis in re mundatur.

V. 27-39. *Vocatio Matthæi.*

Narratur apud Lucam cum iisdem circumstantiis quæ apud Matthæum referuntur, ubi sensus mysticus sanctorum patrum expositus fuit.

Juxta scopum diversæ inspirationis, idem factum eademque doctrina potest diversos characteres induere apud diver-

sos evangelistas : vel expositio tendit ad promovendas Regni et ejus legis prærogativas ; vel insinuat pressius sequelam Christi ut Victimæ sacerdotalis ; vel doctrinam præsertim a Jesu Doctore propositam recommendat : quod ex « tota intentione » Evangelistæ ponderandum est.

C. VI.

V. 1-5. *Christus defendit apostolos qui vellebant spicas in sabbato.*

Postquam Dominus occasione vocationis Matthæi docuit quanto futura est perfectior lege veteri lex christiana : nunc aliquo facto tanquam exemplo a lege antiquâ cum discipulis secedit : et hoc est quod animadvertit Ambros. (catenâ aurea in Luc.) « Non solum comprehensione verborum, sed etiam ipso usu specieque gestorum incipit hominem Dominus veteris observatione legis exuere. Unde dicitur : « Factum est autem cum transirent per sata, discipuli ejus vellebant spicas, » etc.

Epiph. (*contra hæres. Lib. I. hær.* 30.) « Die igitur sabbati, visi sunt transeuntes per segetes, et spicas edebant : ostendentes quoniam dissolutum est vinculum sabbati, ubi magnum advenit sabbatum, hoc est Christus, qui fecit nos quiescere ab opere delictorum nostrorum. »

V. 6-10. *In synagoga curat manum aridam sabbato.*

Ut apud Matthæum notavimus ex Hier., hoc miraculo Dominus insinuare voluit synagogam infructiferam fuisse, suoque adventu in Apostolis esse bonis operibus restituendam : « Postquam autem ille venit in terras, reddita est in Apostolis credentibus dextera, et operi pristino restituta. »

In Matthæo (*XII,* 17-22.) Rex per oraculum Isaiæ et exemplo dæmonium habentis prænuntiavit gentes locum

judæorum pervicacium occupaturas : ibidem enim legimus (*v.* 14.) quod post curatam manum aridam : « Exeuntes Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. »

In Luca eadem Pharisæorum malitia describitur :

(*V.* 11.) « Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu. »

Hic Victima sacerdotalis quæ ante omnia ad populum suum Israel pertinet, nihil de gentibus insinuat ; sed legitur in montem secessisse ut, oratione præviâ, sese præpararet ad electionem Apostolorum, qui locum tenerent sacerdotum et Pharisæorum antiquæ legis : ita Evangelista ait :

V. 12. « *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* »

(Anselmus.) « Sicut verus pontifex obtulit preces nam in Evangelio sæpe legitur orasse, et maxime apud Lucam qui sacerdotis in eo descripsit personam. »

V. 13-16. « *Et cum dies factus esset vocavit discipulos suos ; et elegit duodecim ex ipsis... etc.*

Glossa (in hoc loco.) « Insurgentibus adversariis contra Christi miracula et doctrinam, Apostolos elegit quasi defensores veritatis et testes, quorum electioni orationem præmittit. »

Apud Marcum legimus : « elegit quos ipse voluit. » (*III,* 13.) Divini Doctoris independentiam et libertatem Filii Dei ibi notavimus.

Beda. « Mystice autem mons, in quo Apostolos elegit altitudinem designat justitiæ, qua instituendi erant, et eam prædicaturi. Sicut et lex in monte data fuit. »

V. 17-19. Descendit cum Apostolis et stetit in loco campestri; Curæ fiunt et dæmonia ejiciuntur.

Celebrata ordinatione Apostolorum, pluribus congregatis et de regione Judæorum, necnon a maritimâ Tyri et Sidonis, coram omnibus, discipulos suos sermone laudat eosque ad sui sequelam hortatur. Quanta cura pusilli gregis !

V. 20-49. Sermo in monte.

Ambr. in Lucam ait : « Divinitatis autem prompturus oracula incipit esse sublimior ; etsi in humili stabat, tamen oculos elevavit. Quid est levare oculos, nisi interius lumen aperire ? »

Jesus Victima sacerdotalis in Luca videtur in hoc sermone eam partem legis magis inculcare quæ convenit suæ sequelæ in via ardua crucis. Quasi adjuvans et dux videtur commilitones adhortari in spirituali prælio. Hic omnia sunt actualia et magis particularia, utpote ad « pusillum gregem » discipulorum directa : « Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei. » etc.

In Luca quatuor væ, quæ sequuntur quatuor beatitudines, diriguntur contra inimicos sequelæ Christi ; et pusilli gregis consequenter adversarios : nam Pharisæi, anteaquam apud Lucam sermo in monte habeatur, apud eumdem Evangelistam leguntur quatuor vicibus Domino restitisse :

1° (*V*, 21.) Quando secreto murmuraverunt ob remissionem peccatorum factam paralytico.

2° (*V*, 30, 33.) Quando Jesus manducavit et bibit cum publicanis et peccatoribus ; atque discipulis suis permisit edere et bibere.

3° (*VI*, 1-5.) Quando vellebant discipuli spicas in Sabbato.

4° (*VI*, 6-11.) Post curatam manum aridam in Synagoga die sabbati. Et hic facta est major separatio inter Christum et discipulos ; atque adversarios eorum.

Ex his omnibus apparet sermonem in monte apud Lucam, longe differre a sermone in monte relato a Matthæo; si ipsam intentionem sermonis utriusque inspiciamus.

In Luca Rex Salem, Rex pacis, per sequelam Victimæ sacerdotalis beatos prædicat discipulos, eosque præmunit contra adversantes; et Rex justitiæ, minas intentat adversus contemptores Crucis et sequelæ Sacerdotis et Victimæ.

Vide notata apud Matthæum in sermonem de monte. Matth. V. VI. VII.

C. VII.

V. 1-10. *Centurionis puer.*

Apud Matthæum post sermonem in monte, vidimus immediate et successive (*VIII.*) curatos fuisse 1° leprosum; 2° puerum centurionis. Et ex Chrys. didicimus Jesum in mysterio prænuntiasse gentiles intraturos in Ecclesiam et Judæis præponendos fore : quinimo explicitis verbis ad domum tendens centurionis sequenti se turbæ hoc prædixit (*VIII,* 11, 12.)

Hic autem apud Lucam centurio introducitur immediate post sermonem in monte, quasi vellet Sacerdos insinuare quod gentiles construent, juxta conclusionem sermonis, « domum suam supra petram. »

Jam ante sermonem, quando Jesus descenderat in plano, ubi agitur de curis languentium... nominantur civitates gentium Tyrus et Sidon : « Quæ quia civitates gentium sunt, ait Beda (in Lucam), consultim ponuntur, ut quanta sit facta fama virtusque Salvatoris intimetur, quæ externas quoque ad sanitatem doctrinamque capessendam civitates accersierat. » Unde sequitur: (*VI, v.* 18.) « Qui venerant ut audirent eum et sanarentur a languoribus suis. »

Postquam toties Salvatori restiterant Pharisæi, ut supra notavimus, quamvis Sacerdos prius ad populum Israel pertineat, quasi cogitur etiam ad gentes converti. Attamen in introductione centurionis ad Jesum apud Lucam, animadvertimus Judæorum prærogativas apprime servari. Tanquam

ad illum qui educatus et nutritus fuit in medio Judæorum, primitiæ Gentilium sub figura centurionis ad Jesum accedunt, mediantibus senioribus populi, ut legimus: (*v.* 3-5). « Misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei; Quia dignus est ut hoc illi præstes: diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse ædificavit nobis. »

Sic videtur in Luca præeminentia Judæis debita, juxta rituale antiquum observari: quod decet commemorari in Evangelio sacerdotali, ubi ab initio ceremonias antiqui Sacerdotii adimpletas etiam in infante Jesu vidimus.

V. 11-15. *Resuscitatur filius viduæ Naïm.*

Beda ait: « Pulchre autem Evangelista Dominum prius misericordiâ motum esse super matre, ac sic filium resuscitare testatur: ut in uno nobis exemplum imitandæ pietatis ostenderet, in altero fidem mirandæ potestatis astrueret. »

Sæpius apud Lucam et diversimode misericordia Domini magis elucet! quam bonitatem Domini populus hic peculiariter laudat, exclamans:

V. 16, 17. « *Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.....* »

Si liceret in sequela mystica historiæ misericordiarum Domini, hic videre conversionem Judæorum in fine sæculi, postquam plenitudo gentium intraverit; perfecte adimpleta esset populi exultatio, et inclamaret in jubilatione: « Quia Deus visitavit plebem suam! »

V. 18-23. *Joannes mittit discipulos ad Jesum.*

Ambr. (catena aurea.) « Mystice autem in Joanne supra diximus typum esse legis, quæ prænuntia fuit Christi. Mittit ergo Joannes discipulos suos ad Christum, ut supplementum scientiæ consequantur; quia plenitudo legis est Christus. »

Dictum est *v.* 17 post miraculum operatum filio viduæ

Naim: « Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. » Joannes igitur intelligens jam nucleum discipulorum Jesu augeri et tempus sibi instare quo minuatur, ut Salvator crescat, mittit ad eum discipulos, ut eum, etiam sacerdotalem Victimam sequantur; uti missi fuerunt apud Matthæum ad Regem agnoscendum, et ita Regni ejus participes fierent.

Notat Calmet: « Non dubitatio, neque inanis curiositas Joannem impellunt, ut ad Jesum-Christum discipulos mittat; verum gloriæ Salvatoris cupiditas, atque desiderium, ut discipuli sui illum agnoscerent, eique adhæreant, hoc illi suasit. »

V. 24-28. *Encomium Joannis.*

Chrys. (hom. 38 in Matth.) « Sufficit quidem Domini vox præbens testimonium præeminentiæ Joannis inter homines; reperiet autem qui vult et rei veritatem consonam, si mensam ejus consideraverit, si vitam, si mentis excellentiam: velut enim qui cœlitus descendisset, degebat in terra; fere nullam gerens curam de corpore, intellectualiter erectus in cœlum, et soli Deo conjunctus, de nullo mundanorum sollicitus; sermo severus et lenis: nam cum populo Judæorum viriliter et ferventer, cum rege audacter, cum propriis discipulis leniter conferebat: nil frustra vel leviter, sed omnia convenienter agebat. »

(*V.* 29-35.) Chrys. (hom. 38 in Matth.) « Præmissa commendatione Joannis, magnum Pharisæorum et legisperitorum prodibit crimen; qui nec post publicanos baptisma Joannis acceperint. Unde dicitur: « Et omnis populus audiens et publicani justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. Pharisæi autem ac legisperiti consilium Dei spreverunt in semetipsos non baptizati ab eo. »

V. 36-50. *Simeon Pharisæus et publica peccatrix.*

Hoc exemplum præcedentia confirmat: pharisæorum a Jesu damnatur superbia; humili peccatrici gratia conceditur.

Ambr. (catena aurea.) « In domo autem pharisæi, id est,

in domo legis et prophetarum, non pharisæus, sed Ecclesia justificatur: » Incipit in pusillo grege electorum inter Judæos, quos ut peccatores Pharisæi despiciunt, Ecclesiæ justificatio.

Prouti in Matthæo post encomium Joannis et væ! adversus civitates impœnitentes, Rex gratias agit æterno Patri quia mysteria regni revelavit parvulis (*XI.*) qui jugum suave Regis sui tulerunt: eodem modo hic apud Lucam Jesus sacerdotalis Victima, post encomium Joannis et reprobatam pharisæorum superbiam, quia Joannem et Jesum rejecerunt; docet sub figuris Pharisæi et peccatricis quæ venit in domum Simonis ungere pedes Domini, quomodo novella Ecclesia « pusilli gregis » subintrat in locum superbæ Synagogæ Judæorum. « Et quia dilexit multum remittuntur ei peccata multa. » Murmurant Judæi, dicentes: « Quis est hic qui etiam peccata dimittit? » Jesus autem confirmat misericordiam quam exercuit: « Dixit autem ad mulierem: fides tua te salvam fecit: vade in pace. »

Sacerdos hic erga incipientem Ecclesiam dat amoris specialissimi signa. In Luca (*XII, 4.*) discipulos suos « amicos » nominat. Primitiæ omnium bonorum Jesu sacerdotalis Victimæ pertinent ad electos inter Judæos: et quo magis miseros eos elegit, eo magis ditavit eos.

Mulier peccatrix quæ actualiter incipientem Ecclesiam figurat; est etiam figura futuræ Ecclesiæ gentium quæ per tot sæcula a Deo fornicatæ sunt idola et dæmonia colentes.

C. VIII.

V. 1-18. *Prædicatio Jesu. Parabola seminantis.*

(*V.* 1-3.) Jesus prædicat per civitates: sunt duodecim cum illo, et aliquæ mulieres quibus misericordiam fecerat, « quæ ministrabant ei de facultatibus suis. »

Hier. hic ait: « Consuetudinis Judaïcæ fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus darent: hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus se abjecisse commemorat. »

In Luca sese magis in omnibus Jesus conformat mori Judaico, quia ut animadvertimus, specialiter pertinet ad Judæos tanquam Sacerdos et Victima. Præterea in mulieribus curatis et liberatis a dœmonio iterum salutaris hostiæ misericordiam laudamus.

V. Beda hic etiam docet quomodo Sacerdos discipulos suos ad sui sequelam in ministerio sacro informet : « More aquilæ, ait, provocantis ad volandum pullos suos, Dominus pedetentim discipulos suos ad sublimia erigit : siquidem primum docet in synagogis et miracula facit. Ex his duodecim quos Apostolos nominat, elegit : postmodum omnes prædicans secum ducit. »

(*V.* 4-15.) Parabola seminantis et ejusdem coram discipulis tradita explanatio.

Valde notandum est quomodo hic in expositione ejusdem doctrinæ Rex et Sacerdos differenter incedant : In parabola seminantis triplex classis audientium qui fructum non afferunt computatur in Matthæo (*XIII.*), et etiam hic in Luca.

Sed in Matthæo describitur etiam triplex classis eorum qui fructum ferunt juxta agri qualitatem : triginta scilicet, sexaginta, vel centum.

In Luca non ponitur nisi una classis : ut ipsa dicit parabola, nominans « terram bonam : quæ ortum fecit fructum centuplum. » (*v.* 8.)

In applicatione parabolæ nulla etiam fit distinctio ; nam legitur : (*v.* 15.) « Quod autem in terram bonam : hi sunt qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientiâ. »

In distributione agri diversa videntur diversæ personarum classes significari juxta locum quem in Regno tenent ; et consequenter fructus computari : si quis oculus sit atque optimum agrum acceperit producit centum. Si quis sit manus, producit sexaginta. Si quis pes, triginta producit. — Diversi etiam gradus perfectionis significantur.

Sacerdos autem, in hac Lucæ parabola, solum considerat perfectam sui imitationem, ad quam omnes Christiani vocantur : nam sive oculus, sive manus, sive pes : unumquodque

membrum perfectum habere potest exercitium, quod est: « in corde bono et optimo verbum retinere et fructum afferre in patientia. » Notandum vere est, interpretes intelligere per verba: « in patientia, » summam perfectionem, quæ ideo centum, seu maximum attingit.

Eadem analogia existit inter parabolam talentorum (*Matth. XXV.*), et parabolam decem mnarum. (*Luc. XIX.*)

Rex apud Matthæum inequaliter distribuit et servi inequaliter lucrum referunt.

Sacerdos in Luca, ex infinito thesauro meritorum suorum, æqualiter dat omnibus : sed hic tamen videmus quomodo etiam servus fidelis in omnibus, « in patientia, » (ut dicitur in parabola agri), possit cum una mna decem mnas acquirere : quamvis in hoc loco minor etiam perfectio non excludatur, siquidem laudatur servus qui solum quinque mnas lucrifecit.

Servus inutilis tum a rege tum a sacerdote damnatur in utroque Evangelista.

(*V.* 16-18.) Ut Doctor in Marco (*IV*, 21-23), sic in Luca Sacerdos discipulos hortatur ut fructum afferant in attendendo mysteria magisterii et doctrinæ Christianæ, quam oportet illos cæteris communicare : addit stimulum ut cum omni studio attendant et addiscant et ita augeatur eorum scientia ; ne forte cum negligentes fuerint « etiam quod putant se habere auferatur ab illis. » « Videte ergo, ait, quid audiatis : qui enim habet dabitur illi ; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. » (*v.* 18.)

V. 19-21. *Mater et fratres Jesu.*

Videtur Jesus insinuare in matre et fratribus qui eum inquirunt, Judæos qui habere putant, sed quibus auferetur, ut detur novis Sacerdotis Matri et fratribus : namque ait : « Mater mea et fratres mei, hi sunt qui verbum Dei audiunt et faciunt. » (*v.* 21.) In hoc sensu loquitur Ambrosius : « Illud intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat Judæos ex quibus est Christus secundum carnem, (ad Rom.), Ecclesiamque synagogæ credidit præferendam. »

Addit Beda (Catena Aurea in hoc loco). « Intus enim eo docente venientes intrare nequeunt, cujus spiritualiter intelligere dicta negligunt. »

V. 22-26. *Transfretatio stagni et sedata tempestas.*

Uti apud Matthæum (*C. VIII.*) vidimus, tempestatem, et excitationem Jesu e somno interpretantur sancti Patres de morte et resurrectione Christi.

Mira habetur consonantia inter ea quæ præcedunt transitum mysticum apud Matthæum, apud Lucam et apud Marcum.

(*a.*) Cum Rege in Matthæo non possunt transire qui in magnis ambulant, quia « Filius hominis non habet ubi caput reclinet. » (*Matth. VIII*, 20.) Neque illi qui non renuntiant parentibus ad Regem sequendum : « Dimitte, ait, mortuos sepelire mortuos suos. » (*Matth. VIII*, 22.)

(*b.*) Cum Sacerdote, quamvis totus sit devotus populo suo, ac Judæos diligat tanquam filius parentes ; de quo amore testimonium reddit dum flet super Jerusalem : (*Luc. XIX*, 41.) attamen non possunt cum illo transire qui tantum mater et fratres sunt secundum carnem : nam « etiam quod putant se habere auferetur ab illis. »

Sed vera mater et veri fratres secundum spiritum « qui verbum Dei audiunt et faciunt, » mysticum transeunt stagnum, tanquam Sacerdotis discipuli.

(*c.*) In Marco III, 35, ait Jesus : « Qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est. » Deinde, cap. IV, proponit turbis tres parabolas : discipulis autem seorsum omnia interpretatur. « Et ait illis in illa die cum sero esset factum : Transeamus contra. Et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo. » (*v.* 35-36.)

S. Chrys. ait : « Discipulos quidem assumpsit Dominus.... Sed solum ipsos assumpsit. »

Transitus igitur mysticus idem hic est qui in Matthæo et Luca.

V. 27-39. Dæmoniacus in terra Gerasenorum.

Ille homo figura est electorum inter Judæos qui convertentur ad Dominum post mortem ejus. Quia nondum est tempus historicum, sed figuratum, Geraseni etiam mysterium minime intelligentes, Dominum e finibus suis egredi rogant. Dæmoniaco non permittitur venire cum Jesu, quia ejus cura fuit figura eorum quæ fient post mortem Domini.

Ipse Jesus redit mystice quasi ad tempus actuale et historicum, continuans conversionem procurare electorum in Israel qui volunt vere « audire et facere. » Sequitur enim :

(*V.* 40.) « Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba ; erant enim omnes expectantes eum. » Hic comparanda sunt cum Luca quæ narrantur apud Matthæum (*VIII,* 28-34.) et apud Marcum (*V,* 1-20) ; et quæ ibidem ex sanctis Patribus annotata sunt.

V. 41-56. Cura Hemorrhoissæ. Resurrectio filiæ Jairi.

Hæc duo miracula eodem ordine narrantur apud Matthæum : (*IX,* 18-26.) Ibidem vidimus quomodo per hæc duo miracula sancti Patres intelligant conversionem gentium post mortem Domini, et generalem conversionem Judæorum in fine sæculi. (*Vide Marcum V,* 22-43.)

C. IX.

Adhuc usque Jesus secum duxit Apostolos ut discant sequelam Magistri.

Post expositam diversimode in mysterio historiam eorum qui Ecclesiæ Sacerdotis et Victimæ aggregabuntur usque in finem mundi : nunc incipit Jesus augere numerum electorum inter Judæos, etiam ministerium Apostolorum adhibens. Cum summo Sacerdote sunt et ipsi duces pusilli gregis « cui Pater complacuit regnum dare » ut dicitur Lucæ XII, 32.

V. 1-6. Missio Apostolorum.

Apud Matthæum (*X.*) comparavimus missionem Apos-

tolorum ut a Rege datam pro universali Ecclesia omnium temporum in Matthæo ; et missionem creditam Apostolis apud Lucam, ut magis tempus actuale, ante mortem Victimæ spectantem. Post mortem, Victima facta Sacerdos in æternum, de novo dat missionem in quâ iterum ante omnia Judæos commendat, seu Jerusalem, dicens : « Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die ; et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. Vos autem testes estis horum. (*Luc. XXIV*, 46-48.) In Matthæo autem Rex ait : « Euntes docete omnes gentes.... » (*XXVIII*, 19.)

(*V.* 6.) Accepta missione « egressi autem circuibant per castella prædicantes et curantes ubique. »

Euseb. (catena græca.) « Cum autem præcinxisset Dominus discipulos suos tanquam milites Dei divinis virtutibus ac sapientiæ monitis, mittens eos Judæis, ut doctores et medicos, ipsi secundum hoc procedebant »

(*V.* 7-9.) *Mors Joannis.*

Mors Joannis hic narratur occasione miraculorum Jesu de quibus audiit Herodes : « Joannem, ait, ego decollavi : quis est autem iste de quo ego talia audio ? Et quærebat videre eum. »

In Matthæo et Marco Herodes asserit de Jesu : « Hic est Joannes Baptista, ipse resurrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. » (*Matth. XIV*, 2.)

Et Marc. VI, 16. « Quem ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit.

Convenienter mors Joannis hic memoratur si sensum mysticum inspicimus. Jam, adjuvantibus Apostolis, nucleus sequentium Sacerdotem suum efformatur. Præparatio viarum Domini in Joanne cessavit. Ipsa novella Ecclesia in semitis ab ipso Domino directis ambulat.

(*V.* 10.) « Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt : et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. »

Ambr. « Mystice autem postquam illa quæ Ecclesiæ typum accepit, a fluxu curata est sanguinis, posteaquam Apostoli ad Evangelizandum regnum Dei sunt destinati, gratiæ cœlestis impertitur alimentum. Sed quibus impertiatur adverte : non otiosis, non in civitate quasi in synagoga vel in sæculari dignitate residentibus, sed inter deserta quærentibus Christum. » De his dicitur :

(*V.* 11.) « Quod cum cognovissent turbæ (secessum Jesu in desertum), secutæ sunt illum : et excepit eos et loquebatur illis de regno Dei et eos qui cura indigebant sanabat. »

Præparavit in figura, secessione sua in desertum, transitum a ritu antiquo ad novum testamentum quod in miraculo quinque panum repræsentatur juxta sanctos Patres.

V. 12-27. *Quinque panes. Confessio Petri.*

Beda. « Nondum erant apostolis nisi quinque panes Mosaicæ legis, et duo pisces utriusque testamenti, quæ in abdito mysteriorum latentia quasi in aquis abyssi tegebantur..... Frangit, (panes et pisces) et ante turbas ponenda distribuit discipulis, quia legis et prophetiæ sacramenta eis ut per mundum prædicent patefecit. »

Ambr. « Hic vero panis, quem frangit Jesus, mystice quidem Dei verbum est et sermo de Christo ; qui cum dividitur, augetur : de paucis enim sermonibus omnibus populis redundantem alimoniam ministravit. Dedit sermones nobis velut panes, qui dum nostro libantur ore, geminantur. »

Notare possumus hic Sacerdotem in Lucâ totaliter separari a Verbo Incarnato, a Rege et a Propheta : Nam Matthæus, Marcus, et Joannes narraverunt apostolos post miraculum mare transisse, ipsosque a Jesu, super mare ambulante, non longe a terra fuisse junctos. Solus Lucas immediate post miraculum subdit :

(*V.* 18-20.) « Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli ; et interrogavit illos dicens : Quem me dicunt esse turbæ?.... »

« Respondens Simon Petrus, dixit : Christum Dei. ».

Nota. In Joanne post transitum maris, miraculo præmisso quinque panum, legem Mosaicam figurantium, transit Jesus ad promissionem præbendi, in nova lege, panem qui de cœlo descendit ; in sanctissimo sacramento Eucharistiæ. (*VI.*)

In Matthæo et Marco Rex et Propheta post transitum maris a lege Mosaica transeunt ad augendum numerum subditorum novi regni veritatis. (*Matth. XIV*, 33-36, *et Marc*, *VI*, 54-56.) Jesus sacerdos, in Luca, post miraculum, specialem erga discipulos curam exercet, ut sæpius alibi apud hunc Evangelistam. Eos Patri Cœlesti in oratione commendat, postea eorum fidem scrutatur, passionem suam prænuntiat, ad sui sequelam hortatur, et in transfiguratione futuram, per passionem, acquirendam gloriam tribus Apostolis demonstrat, Moyse et Elia testibus. (*v.* 18-36.)

Quatuor Evangelistæ, mire in hoc loco, quatuor Jesu-Christi characteres repræsentant.

(*V.* 21, 22.) Sacerdos, confessione Petri facta, « increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc, dicens : quia oportet Filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et a principibus sacerdotum et scribis, et occidi et tertiâ die resurgere. »

Chrys. (hom. 55 in Matth.) « Opportune etiam Dominus tunc vetuit nulli dicere quod ipse esset Christus, quatenus sublatis, de medio scandalis, et crucis consummato patibulo, habitualiter imprimeretur audientium menti conveniens de eo opinio... Nam si Petrus ex solo auditu scandalizatus est, quid quamplures paterentur, cum audissent Filium Dei esse, viderent autem crucifixum et consputum. »

Notamus Petrum non resistere Victimæ sacerdotali : non potuit apud Matthæum et Marcum intelligere passionem et mortem ignominiosam Regis et Doctoris : et restitit. Numquid apud Lucam insinuat Spiritus sanctus Victimæ esse naturalem immolationem, ita ut opponi non possit ? Qualitatem Victimæ videtur Petrus prorsus ignorasse : supposuit Regem, supposuit Divinum prophetam ; et ab eis ignominiam crucis alienam putavit. Cum circa hoc nullam revelationem a Deo acceperit, sensum multitudinis secutus est.

(*V.* 23-26.) Etiam discipulos sacerdotalis Victimæ oportet pati « ne Filius hominis erubescat eos, » cum venerit in majestate sua et Patris et sanctorum Angelorum. »

Hic in Luca sacerdos dicit : « tollat crucem suam *quotidie* » si quis vult post me venire.

(*V.* 27.) « Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei. »

Ambr. « Semper autem Dominus sicut erigit ad præmia futura virtutum, atque utilem sæcularium rerum docet esse contemptum ; ita etiam infirmitatem mentis humanæ, præsentium remuneratione sustentat... Ergo bonus magister ne quis desperatione frangatur aut tædio, continuo se videndum fidelibus pollicetur. »

« Regnum Dei » quod videndum promittit interpretatur Theoph. (in hoc loco Cat. aurea) de transfiguratione. Greg. (hom. 32) de præsenti Ecclesia quam constructam conspicient, et contra mundi hujus gloriam erectam.

V. 28-36. *Transfiguratio.*

Quæ hic specialiter Sacerdotem et Victimam spectant, sunt Jesu oratio ; dicitur enim : « et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera. » Et apparitio Moysis et Eliæ qui ipsum de sua morte alloquuntur.

« Et ecce duo viri loquebantur cum illo : erant autem Moyses et Elias visi in majestate : et dicebant excessum quem completurus erat in Jerusalem. » (*v.* 30, 31.)

« In majestate » visi sunt Moyses et Elias, ut ostendant Crucis gloriam, et ad solatium Apostolorum passionem timentium conferant.

Cætera fuerunt notata apud Matthæum.

V. 37-43. *Lunaticus.*

Ad radices montis ubi Jesus transfiguratus fuerat, et ubi de instanti passione cum ipso Moyses et Elias fuerant locuti : immediate videmus in figurâ fructum passionis applicatum

generi humano, per lunaticum, repræsentato. Sic enim ait V. Beda, ut antea etiam notavimus in Matthæo : « In hoc dæmoniaco significantur omnes qui originalis culpæ reatu adstricti veniunt in mundum rei, secundum gratiam salvandi. »

In v. 41 increpat Jesus incredulos, præsertim Judæos, ut interpretes intelligunt : « O generatio infidelis, et perversa, usquequo ero apud vos et patiar vos ? » Cyril. (catena græca,) « Ferens quasi moleste eorum conversationem propter pravitatem ipsorum. » Chrys. « Per hoc etiam ostendit desideratum sibi esse suum recessum; et quod non erat grave crucis patibulum, sed magis ipsorum conversatio. »

(V 44, 45.) « Omnibusque admirantibus in omnibus quæ faciebat, » Jesus de instante passione verba facit ad discipulos; qui ipsum non intelligunt et interrogare timent. Antiqua idea de Messia patiente, tempore Jesu-Christi, erat apud multitudinem obliterata.

V. 46-48. *Ambitio Apostolorum.*

O mira cæcitas in Apostolis crucis Domini mysterium ignorantibus ! Dum sacerdotalis Victima loquitur de propria annihilatione, illi cogitant de præeminentia. Cyril. (ut supra) « Dominus autem qui novit salvos facere, videns in mente discipulorum super hoc cogitationem exortam, velut quamdam amaritudinis radicem, priusquam augmentum susciperet, radicitus eam evellit, exemplo parvuli quem ipsis proponit suscipiendum in suo nomine.

« Nam, ait, qui minor est inter vos omnes, hic major est. » (v. 48.) Cyr. (ut supra) « Quod de modesto dicit, qui nihil de se sublime putat propter honestatem. »

V. 49, 50. *Joannes prohibet hominem qui dæmonium ejecit.*

Theoph. « Quia ergo Dominus dixerat : Qui minor est inter vos, hic major est, » timuit Joannes ne forte malum aliquod fecerint, propria potestate quemdam hominem pro-

hibentes: nam prohibitio non minorem ostendit prohibentem, sed majus aliquid sapientem. Unde subditur: « respondens autem Joannes dixit: præceptor vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum. » Non quidem invidentes, sed operationem miraculorum dijudicantes: non enim cum eis miraculorum potestatem acceperat; neque enim Dominus miserat eum sicut illos; neque Jesum in omnibus sequebatur: unde subdit: « Quia non sequitur nobiscum. » Ambr. « Joannes enim plurimum diligens, et ideo redamatus plurimum, excludendum putat beneficio eum qui non utatur obsequio. »

Forsan tamen in Joanne et Jacobo Spiritus sanctus intendit præsentare particularismum Judæorum qui in omnibus cupiunt primas tenere, severi erga extraneos: sic videmus Joannem cum fratre primum locum ambire in regno veritatis. — Hic excludunt hominem non actualiter sequentem Dominum, a beneficio explicite collato apostolis. — Iterum volunt ut ignis descendat super Samaritanos qui non receperunt eos.

Dominus autem suo responso hanc judaïcam zelotypiam prorsus intendit excludere: « Et ait ad illum Jesus: noli prohibere: qui enim non est adversus vos, pro vobis est. »

(*V.* 51.) Mire ardet Victima sacerdotalis ut ad supplicium tendat: supersunt diversi menses ante verum tempus passionis, jamque loquitur hic de eo Evangelista quasi infra paucos dies sese vellet in Jerusalem immolare: ita legimus:

« Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. » Exinde maximos conatus apud Lucam instituit ut futuræ passionis suæ meritorum Judæos participes efficiat; et ideo præsertim Pharisæos sæpius propter eorum pervicaciam severissime increpare non dubitat.

V. 52-56. *Defendit Samaritanos contra Boanerges.*

Spiritus judaicus magis ac magis, in conversione gentium totaliter a Christianismo excludetur. « Filius (enim)

hominis non venit animas perdere sed salvare. » v. 56.)

Notandum est quod apud Joannem Jesus a Samaritanis bene excipiatur post allocutionem ejus cum Samaritana ad puteum. (*Joan. IV.*) Duobus etiam diebus apud eos remanet.

Verbum incarnatum jam contemplabatur messem Samaritanorum ante tempus maturam. Jam lux vera lucebat in tenebris; eadem « quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. »

Apud sanctum Lucam vero Jesus ut sacerdotalis Victima, tanquam unus de populo suo habet faciem hominis Judæi euntis in Jerusalem. (*Luc. IX*, 53.) Ut talis nondum Samaritanos adire poterat : « non enim coutuntur Judæi Samaritanis, » (*Joan. IV*, 9) ait mulier.

Hæc mutua inimicitia est in morte Victimæ destruenda. Et ideo videmus hic mystice eamden figuram, quam apud Gerasenos mirati sumus qui, liberatis dæmoniacis, rogarunt Dominum ut exiret de finibus eorum : quasi Spiritus sanctus ore horum populorum exprimere vellet nondum advenisse tempus reale quo Jesus inter illos conversaretur, sed esse tantum figurale tempus.

Paulatim et ipsi Judæi in Ecclesia christiana sui particularismi obliviscentur cum « ubique adorabitur in spiritu et veritate a veris adoratoribus quos Pater Cœlestis quærit. » (*Joan. IV*, 21-24.)

V. 57-62. *Postquam Jesus « faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem »* (v. 51), *tres homines sese offerunt, qui ipsum sequantur.*

Duo primi sunt similes duobus qui vespere voluerunt transire fretum cum Rege : sed ipse uni tunc significavit quod nec haberet ubi caput reclinaret, et alteri respondit quod erat necessarium valedicere patri ad intrandum in regnum. (*Matth. VIII.*)

Eodem modo in hoc loco Sacerdos monet in sui sequela esse privationem summam ; et renuntiandum parentibus.

Hic jubet hominem, postulantem primum sepelire patrem, si vult fieri discipulus « annuntiare regnum Dei. » (*v.* 60.)

Tertius in solo Luca offert sese Sacerdoti, « Et ait : sequar te, Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his qui domi sunt. Ait ad illum Jesus : nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei. » (*v.* 61, 62.)

Victima sacerdotalis magis insistit perseverantiæ in ferenda cruce « Quotidie ; » in via crucis obfirmata mens est maxime necessaria. Postea in Lucâ iterum Jesus maxime constantiam commendat in homine turrim ædificante, et in Rege qui vult committere bellum. (*Luc. XIV*, 28-33.) Ut in via crucis fratres confirmet, Petro virtus promittitur : « confirma fratres tuos. » (*Luc. XXII*, 32.) Ut animose incedant et pugnent viriliter ipsi Apostoli post Domini mortem, jubentur, ne ab Hierosolymis discederent, sed expectarent promissionem Patris, dicit illis : « Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadùsque induamini virtute ex alto. » (*Luc XXIV*, *v.* 49.)

C. X.

Missio 72 *Discipulorum.*

(*V.* 1-12.) « Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. »

Orig. « Quod bini famularentur, Dei verbo antiquum esse videtur. Eduxit enim Deus Israel de Ægypto per manus Moysis et Aaron ; Josue quoque et Caleb concordantes paccaverunt provocatum a duodecim exploratoribus populum. Unde dicitur : frater a fratre adjutus, ut civitas vallata. »

Bini etiam mitti videntur ante faciem Domini quasi ubique in mentem populi Judæorum rèvocaturi legem et prophetas quæ Dominum præcesserunt.

In hac speciali missione, a Luca commemorata, videmus quanto zelo Victima sacerdotalis allaborat saluti Israel.

(*V.* 9.) « Et dicite illis : appropinquavit in vos regnum Dei. » Chrys. hic dignitatem Regni Christi admiratur : « Vide autem, ait, dignitatem Apostolorum (seu discipulorum), nihil sensibile monentur proferre, qualia qui circa Moysen et prophetas, scilicet bona terrena, sed quædam nova et mirabilia, scilicet regnum Dei. »

V. 13-15. *Væ civitatibus impœnitentibus !*

In Matthæo invenimus eadem Væ ! pronuntiata occasione Joannis-Baptistæ quem una cum Jesu Judæi rejecerunt. (*Matth. XI*, 20-24.)

Ibi Væ contra civitates opponuntur benedictionibus illorum qui Regem humilem sequentes, suave ejus jugum portant. (*Matth. XI*, 28-30.)

Hic in Luca Sacerdos invehit in civitates postquam « faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. » (*Luc. IX*, 51.) Civitates igitur impœnitentes Væ Sacerdotis incurrunt quia ejus instans sacrificium et illos qui ad Regnum pacis populum præparant contemptui habent.

(*V.* 16.) « Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. » Beda. « In audiendo quisque vel spernendo Evangelii prædicationem, non viles quasque personas, sed Dominum Salvatorem, imo ipsum Patrem spernere se, vel audire discat. »

V. 17-24. *Reditus discipulorum.*

(*V.* 18.) « Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. »

Maxime hic notandum est quod Sacerdos et Victima prædicit quid brevi in passione sua faciendum est, ut Calmet, Beelen, cum multis ex sanctis Patribus verba v. 18 interpretantur :

« Scilicet, quod dæmonis regnum ad finem adventavit. Hic tenebrarum princeps jamjam evertendus est, ex arce ubi dominatur, æque præcipiti lapsu decidet, ac fulgur, qui

nubem scindit et evanescit. Hoc idem ferme est ac illud quod ait Joan. XVI, 11. « Princeps hujus mundi jam judicatus est. » et Joan. XII, 31. « Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. » Cum vos mitterem ut pauperibus Évangelium annuntiaretis, videbam satanam de solio cadentem; videbam imperium illius jamjam everti. Novissimus conatus hujus tenebrarum imperii est mors Salvatoris, quemadmodum ipse ait in Luca: (*XXII*, 53.) « Hæc est hora vestra et potestas tenebrarum. »

(*V.* 19.) « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones et super omnem virtutem inimici, et nihil vobis nocebit. »

Græcus legit « *δέδωκα*. » Potestatem illis nunc confirmat et auget; sed alter textus legit: *δίδωμι*, do.

(*V.* 20.) Monet quod suam veram gloriam in cœlestibus collocaturi sint: « Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis. »

(Ita Calmet et videtur consentire Ill^mus Beelen.) Hæc dona gratis data, quæ longe superantur a donis Spiritus sancti gratum facientibus post resurrectionem Domini concedentur a primo fidei Doctore omnibus discipulis qui crediderint, ut legimus in Marco XVI, 17, 18. « Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent et bene habebunt. »

(*V.* 21-24.) « In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit: confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.... »

Notandum. Apud Matthæum Rex eadem congratulatione utitur. (*Matth. XI*, 25-30.) Sed ibidem comparatio instituitur inter Judæos impœnitentes, et simplices corde qui intrant in Regnum Christi. Arcana mysteria Regni, subditis Regis patefiunt, et absconduntur ab infidelibus Judæis.

Hic autem apud Lucam Sacerdos Jesus in sua congratula-

tione magis comparationem attendit inter legis veteris sapientes, scilicet Pharisæos, Scribas.... et proprios discipulos. Et hoc cum intentione totius Evangelii Lucæ magis convenit. Sic interpretatur Theophyl. (catena aurea.) « Sicut benignus pater videns filios suos dirigi, gaudet : sic et Christus exultat quod Apostoli tantis bonis facti sunt digni. Potest sic distingui, ut dicitur « a sapientibus, » id est, a Pharisæis et Scribis legem interpretantibus. « Et prudentibus : » id est, ab his qui a scribis fuerant docti. Parvulos vero vocat Dominus suos discipulos, quos non legis doctores, sed de turba, et piscatores elegit, qui sunt vocati parvuli quasi non malevoli. »

(*V.* 23, 24.) « Beati oculi... multi prophetæ et reges voluerunt videre.... et audire quæ auditis et non audierunt. » Hæc etiam Matth. habet (*XIII*, 16, 17.)

Beda. « Illi enim a longe aspicientes, per speculum in enigmate viderunt. Apostoli autem in præsentiarum habentes Dominum, quæcumque voluissent interrogando discentes, nequaquam per Angelos, aut alias visionum species opus habebant doceri. »

Legisperitus tentans Dominum, et Parabola Samaritani.

(*V.* 25-28.) « Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum et dicens : Magister quid faciendo vitam æternam possidebo? » Cyrillus. « Volens legisperitus seducere Christum, ut aliquid contra Moysen loqueretur, id est tentans ipsum, magistrum vocans, doceri non patiens. Et quia Dominus solitus erat his, qui veniebant ad illum, loqui de vita æterna, utitur legisperitus ejus eloquiis. Et quia tentabat astute, nihil aliud audit nisi quæ per Moysen edita sunt. Sequitur enim : « At ille dixit ad illum : in lege quid scriptum est? quomodo legis?... » Cum autem legisperitus respondisset quæ continebantur in lege, Christus cui nota sunt omnia scindit fallaciæ ejus retia : « dixitque illi : recte respondisti : hoc fac et vives. »

(*V.* 29.) « Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus? »

Ill[mus] Beelen. « Videtur quod inter Judæos aliqui amorem proximi magis, alii minus extendebant. Jesus aperte docet quod debeat ad inimicos extendi. Samaritanus enim vulneratum suscipit cum tamen Judæi « non coutantur Samaritanis. »

V. 30-37. *Parabola Samaritani.*

In hâc parabola videmus verum Sacerdotem novi testamenti determinare sensum legis charitatis erga proximum. Augustinus ait : « In Samaritano se voluit intelligere Dominus noster Jesus-Christus. »

Græcus. (id est, Severus Antiochenus in cat. græca) « Vocat autem hic Christus se Samaritanum opportune, cum enim alloqueretur legisperitum superbientem in lege, voluit exprimere quomodo nec sacerdos, nec levita, et qui conversabantur in lege, legis propositum implebant ; sed ipse venit consummaturus legis propositum. » Venit secus eum. Vel secus viam venit ; fuit enim vere viator : non deviator, gratia nostri descendens ad terram.

(*V.* 33-34.) « Et videns eum, misericordia motus est. » etc. Aug. (contra Pelag.) « Videns quidem eum jacentem, non valentem, non currentem ; et ideo misericordia motus est ; quia in illo nullum meritum invenit, quo curari dignus esset, sed ipse de peccato damnavit peccatum in carne (ad Rom., *VIII.*) : unde sequitur : et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, » etc. Chrys. « A cœlesti medico conscissa loca ligantur, et intra seipsa retinentia medicinam, operante medicamine, pristinæ sanitati redduntur. Infuso ergo vino et oleo imposuit eum super jumentum suum, (*v.* 34) « et duxit eum in stabulum, et curam ejus egit. » Chrys. « Est enim stabulum Ecclesia, quæ in itinere mundi lassatos et sarcinis delictorum defessos suscipit venientes, ubi deposito onere peccatorum, viator lassus reficitur, et refectus salubri pascuo reparatur. »

Cyril. (in cat. græc. patrum.) « His ergo præmissis, oppor-

tunc jam Dominus legisperitum interrogat, subdens : (*v*. 36, 37.) « Quis horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones ? At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. » Neque enim sacerdos, neque levita, factus fuit proximus patientis, sed ille qui fuit ejus misertus. Inutilis est enim sacerdotii dignitas, et legis scientia, nisi per bona opera confirmetur, unde sequitur : (*v*. 37.) « Et ait illi Jesus : vade et fac similiter. » Misericordia est eminens virtus sacerdotii novi testamenti.

Ambr. « Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia. »

V. 38-42. *Martha et Maria.*

(*V*. 38-42.) Mystice videtur Martha quæ « excepit illum in domum suam, » significare synagogam. Maria autem soror ejus junior, « quæ sedebat ad pedes Domini, et audiebat verbum ejus » significat Ecclesiam.

Ante oculos ponit Sacerdos differentiam inter synagogam et Ecclesiam, sive juniorem sororem subintroeuntem in locum senioris.

Synagoga tota occupatur in præparatione propter adventum Messiæ : vult ministerium retinere cæremoniarum. E contra nova sponsa non curat nisi ipsum sponsum possidere ejusque doctrinam.

Activa est synagoga ; Ecclesia incipit contemplari quem in æternum facie ad faciem intuebitur.

Sic duobus successive exemplis, 1° sacerdotis et levitæ antiquæ legis ex una parte et Samaritani ex altera. 2° Exemplo Marthæ et Mariæ, Sacerdos Jesus-Christus probat quomodo in synagoga a doctoribus lex præceptorum non intelligatur ; nec lex cæremoniarum quæ figuræ sunt futurorum.

(*V*. 42.) « Maria, seu Ecclesia optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, » scilicet ipsum sponsum Sacerdotem in æternum.

C. XI.

V. 1-13. Jesus docet discipulos orare.

(*V.* 1-4.) Calmet supponit discipulum rogantem ut Jesus discipulos orare doceat, ut fecit Joannes, non adfuisse quando Rex in monte, apud Matthæum, modum orandi omnes publice docuit, legem novi Regni promulgando.

Notatu dignum est quod Dominus formulam orationis tradens generalem pro omnibus temporibus apud Matthæum VI, 5-15, docuit etiam quales in oratione defectus vitari oporteat : tum pharisæorum per ostentationem orantium, (*v.* 5.) tum Ethnicorum qui se credebant in multiloquio esse exaudiendos. (*v.* 7.)

Apud sanctum Lucam videmus Sacerdotem private orantem : « Et factum est cum esset in quodam loco orans, ut cessavit » rogatur ut discipulos formulam orationis doceat. Eadem est quæ in Matthæo, quamvis videatur duas petitiones omittere, quæ tamen in aliis duabus implicite continentur.

Spiritus sanctus hic docere videtur Sacerdotii proprium esse orare et consequenter orationem docere; præsertim quia orationis verum fundamentum, Spiritus est sacrificii : qui est vere Spiritus Victimæ Sacerdotis Jesu. Ita loquitur S. Paulus, ad Hebræos (*V*, *v.* 6-10.) de Jesu Sacerdote : « Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam : et consummatus factus est omnibus obtemperantibus Sibi, causa salutis æternæ, appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech. »

(*V.* 5-8.) Sacerdos subdit immediate post formulam orationis, instantiam in eadem etiam importunam adhibendam esse : quod illustrat exemplo hominis ab amico tres panes de nocte commodantis.

In hunc locum pulchre ait Theophylactus : « Media nox est

profundum tentationum, in quo quis constitutus petit a Deo « tres panes, » necessitatem scilicet corporis, animæ et spiritus, per quem in tentationibus non periclitamur. « Amicus » autem qui de via venit, ipse Deus est, qui tentationibus probat; cui non habet quod apponat, qui in tentatione infirmatur. Quod autem dicit, « et clausa est janua, » intelligendum est quod decet nos ante tentationes præparatos esse : postquam vero in eas incidimus, præparationis janua clauditur, et imparati inventi, nisi Deus adjuvet, periclitamur. »

(V. 9-10.) Explicitis verbis docet iterum quomodo in oratione perseverandum est.

(V. 11-13.) Et claudit exemplo filii rogantis panem a patre, subjungens : « Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris ; quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ? »

Quod autem Sacerdos hic insinuat de « Spiritu bono » quem « Pater de cœlo dabit petentibus se, » forsan licet intelligi de « Spiritu bono » orationis. Docet enim S. Paulus ad Rom. VIII, 26: « Spiritus est qui adjuvat infirmitatem nostram : nam quid oremus sicut oportet nescimus : sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. »

V. 14-36. *Subditur cura de dæmonio muto. Multa Jesus improperat Judæis malignantibus.*

(V. 14.) Glossa (in catena aurea) sic connectit miraculum dæmoniaci curati cum præcedentibus : « Promiserat Deus quod Spiritus bonus daretur orantibus : cujus quidem beneficium subsequenti miraculo demonstrat ; unde sequitur : « Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. »

(V. 15-16.) Qui rejiciunt spiritum piæ orationis, dixerunt : « In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. »

(V. 17-20.) Impossibilitatem demonstrat miraculi per Beel-

zebub facti, quia si regnum ejus divisum est, desolabitur. Docet se dæmonium ejicere ut filii Judæorum in digito Dei, et consequenter « pervenisse in eos regnum Dei. »

(*V.* 21-26.) Hæc elucidat exemplo dæmonii custodientis atrium qui expellitur : sed in fine Jesus adjungit, Judæos, propter obstinationem, fore a revertente malo spiritu pejus quam ante expulsionem vexatos : « Fiunt novissima eorum pejora prioribus. » (*v.* 26.)

Sæpius in antiquo testamento nominantur « atria Domini, » tanquam Deo sacra. Nonne hic Jesus contraponit atrium inimici, atrio Dominico ? revera hostis antiquus jam legem corrupit in synagoga : armatura ejus avaritia est, hypocrisis et vanæ traditiones, quas Pharisæos docuit. Venit Sacerdos et Victima ut hac armatura eum exuat.

In hoc sensu locum Lucæ Cyrillus intelligit : (catena græca.) « Postquam enim Dei summi Verbum totius fortitudinis dator et Dominus virtutum, factum est homo, invasit illum et arma ejus abstulit. Nam qui dudum irretiti fuerant ab eo Judæi in divinam ignorantiam et errorem, evocati sunt per Sanctos Apostolos ad notitiam veritatis et oblati sunt Deo Patri per fidem adhibitam Filio. »

Novimus hæc solum de electis Judæorum dici posse : quasi integra natio noluit ab hoste liberari, et ideo dicitur spiritus immundus ad miserandum populum esse reversus. Populus judaïcus repræsentatur sub figura hominis prius a dæmonio liberati, in quem postea cum septem aliis spiritibus se nequioribus revertitur.

Ambr. « Itaque in uno homine totius populi Judaici comparatio est. »

Dicit immundus spiritus : « revertar in domum meam unde exivi. » Orig. « Id est, ad eos qui sunt ex Israel, quos vidit nihil divinum in se continentes, sed desertos et vacantes habitationi ejus. »

(*V.* 27-28.) « Beatus venter qui te portavit.... At ille dixit : Quinimo, beati qui audiunt Verbum Dei et custodiunt illud. »

Hæc laus piæ feminæ convenit a Luca describi : Synagoga

Sacerdotem mystice in sinu portavit, sed non ideo beata facta est, quia verbum ejus non audivit. Beata autem Virgo et Jesu discipuli verè beati sunt, quia « audiunt Verbum Dei et custodiunt illud. »

Benedictio igitur mulieris connectitur cum præcedenti Judæorum maledictione.

Nam ut ait Beda (in hoc loco.) « Jesus sua sententia, Quinimo, beati qui audiunt...., sapientes Judæorum percutit, qui verbum Dei non audire et custodire, sed negare et blasphemare quærebant. »

(*V*. 29-32.) Jam directe Sacerdos judæos impios objurgat. Exemplis reginæ Austri et Ninivitarum monstrat quam parum profuit generationi huic Messiam in sinu gestasse, et verbum ejus non custodisse : « Regina Austri et viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac et condemnabunt eam. »

(*V*. 33-36.) Pius Sacerdos sub exemplo lucernæ monstrat quantam curam egit ut mundaret atrium Judaicum : dirigit præsertim verba sua adversus infideles Judæos qui (*V*. 16.) signum petiverunt de cœlo. Probat se nihil omisisse ad procurandam eorum salutem ; et incredulitatem eorum adscribendam esse propriæ malitiæ. (Sic interpretatur Ill^{mus} Beelen.) Exemplum lucernæ, ait, etiam a Salvatore in aliis locis adhibetur, sed in diversa applicatione. (*Matth. V*. 15. *Marc. IV*, 21. *Luc. VIII*, 16.) « Hic intendit Jesus, ut videtur, monstrare incredulis qui, *v*. 16, signum petiverunt, quod obscuritas fidei eorum non culpæ ejus erat tribuenda ; quia non celaverat lumen suum, sed e contra quasi super candelabrum posuerat, et visibilem omnibus reddiderat. »

Optimus ubique Samaritanus maxime allaborat misericordiæ faciendæ misero populo suo, sed incassum : jure ideo postea flens super Jerusalem questus edit ex imis visceribus, dicens : « Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi ! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. » (*Luc. XIX*, *v*. 42.)

V. 37-54. *Pharisæus ad prandium invitat Jesum.*

Merito apud Lucam Sacerdos sæpius conversari legitur cum Pharisæis et legisperitis. Principia novi sacerdotii imprimere desiderat in cordibus doctorum veteris legis, et principum antiqui sacerdotii. In propria eorum domo eos sæpius et severissime frustra castigat. Frustra malignis hominibus Sacerdos lumen offert : nam in fine capitis (*v.* 53-54.) legimus : « Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi et legisperitæ graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum. »

Notare possumus accusationes quas in præcedentibus legimus, et Væ ! adversus pharisæos et legisperitos etiam inveniri in Matthæo XXIII. Sed ibidem Rex publice corripit in ipsa Jerusalem, in templo pharisæos et legisperitos non solum ut legis veteris doctores iniquos, sed etiam ut populi duces. Nam legimus ibi : (*v.* 1-3.) « Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum opera vero eorum nolite facere : dicunt enim et non faciunt. »

In Matthæo audimus verum « Ducem qui regit populum Dei Israel, » (ut in eodem regio Matthæi Evangelio dicitur, II, 6), adversus duces cæcos et hypocritas Væ ! regium terribiliter intonantem.

In Luca Sacerdos sacerdotes et legis doctores in propria eorum domo magis privatim, sed tamen cum justa severitate increpat.

C. XII.

V. 1-12. *Jesus roborat discipulos adversus persecutiones.*

Notat Calmet quam naturaliter et logice hic in Luca materiæ narrationis disponantur in præsenti et præcedentibus capitibus; sic ait : « In hoc et præcedentibus capitibus occur-

runt plurimæ sententiæ, quas alibi jam vidimus. Salvator enim nonnullas veritates, eo quod magni essent momenti, censuit iterandas. Pharisæi in populo tantam erant adepti existimationem atque auctoritatem ut omnino Evangelii progressus prohibere potuissent, nisi curasset Jesus-Christus evertere existimationem, quæ de illis percrebuerat ; detegens noxia eorum præcepta et mala quæ in religionem invexerant. »

Opportunitas ita hic docendi forsan luculentius apparet in systemate Augustiniano : in Luca enim Sacerdos et Victima sese opponit corruptis legis doctoribus, « qui tulerunt clavem scientiæ, id est, ait Vecchiotti in Jure canonico, summam interpretandi scripturam auctoritatem sibi assumpserunt. » Et quia ipsi non introierunt, et eos qui introibant prohibuerunt ; Sacerdos novæ legis tantam corruptelam verbis et exemplo damnavit.

Postquam Salvator animadvertit iram Pharisæorum et legisperitorum, præmunit coram turbis discipulos suos ne timeant iniquos persecutores. Hypocrisis eorum, ait, omnibus revelabitur ; corruptio cordis eorum, ab omnibus scietur ; ut Ill^mus^ Beelen interpretatur.

Verba (*v.* 2.) « nihil est opertum quod non revelabitur, » inveniuntur etiam, ait cl. Doctor, sed diversimode applicata apud Matthæum X, 26 ; Marc. IV, 22 ; Luc. VIII, 17. Et ut sensus hic apud Lucam clarior evadat Ill^mus^ remittit ad Rom. II, 16 ; et I Cor. IV, 5.

Congruum est ut discipuli, qui tanquam Victimæ, in sequela Magni Sacerdotis, persecutionibus exponentur, in futurum agonem confortentur, quem inter Judæos præsertim eos sustinere opportebit : « cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. » (*v.* 11.)

« Spiritus enim *sanctus* docebit vos... » (*v.* 12.)

V. 13-21. *Hæreditas dividenda inter fratres.*

Præsens exemplum præcedentibus annectens ita interpre-

tatur S. Ambrosius: « Totus superior locus ad subeundam pro confessione Domini passionem, aut contemptum mortis; aut spe premii, aut mansuri denuntiatione supplicii, cui nunquam venia laxetur, instruitur. Et quoniam avaritia plerumque solet tentare virtutem, etiam hujus abolendæ rei præceptum subjicitur et exemplum, cum dicitur: « Ait ei quidam de turba: magister dic fratri meo ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: homo quis me constituit judicem aut divisorem supra vos? » Tum subjungit similitudinem hominis divitis qui majora construere horrea intendit. (16-21.)

Forsitan non absque mysterio hoc exemplum avaritiæ in Luca traditur: Israeliticus populus est dives ille qui non cogitat nisi horrea plena et hujus sæculi delicias. Hunc fratres de hæreditate litigantes imitantur.

Juste Sacerdos Victima qui sanguinem suum effundet pro populo suo ut ipsi sempiternas et cœlestes divitias procuret, dedignatur constitui Judex minimæ rei temporalis, quæ forte, ut in exemplo divitis docemur, causa erit æternæ damnationis litigantium.

Populus Judæorum ad sortes quasi redire gestit, quæ olim terram promissam diviserunt. Ipse autem Sacerdos proprii Sanguinis sortes distribuit. Concludit igitur monstrando etiam Judæorum stultitiam: « Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti cujus erunt? sic est qui sibi thezaurizat, et non est in Deum dives. » (*v.* 20, 21.)

Subitaneam Domini vindictam et propriam paupertatem totus populus in Hierosolymitano excidio expertus est.

V. 22-34. *Vetat Dominus discipulos sollicitos sse de victu et amictu: Pater ipsis dabit regnum. Vendant possessiones et dent eleemosynam.*

(*V.* 22-31.) Sacerdos monet discipulos ne vana sit ipsis sollicitudo de victu et amictu; et in *v.* 31 concludit: « Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus: et hæc omnia adjicientur vobis. » (*Matth.* *VI*, 33.)

Sortes cœlestes adeant discipuli Domini ! Theophyl. hic notat : « Paulatim Dominus provehit ad perfectiorem doctrinam. Docuit namque supra, cavendum esse ab avaritia, subdiditque parabolam divitis, insinuans per eam quod stultus est qui superflua cupit. Deinde procedente sermone, neque de necessariis sinit nos sollicitudinem gerere, avaritiæ radicem evellens. Postquam stultus est qui sibi majorem vitæ mensuram attribuit ; et exinde magis efficitur cupidus, « nolite solliciti esse. »

Promissiones temporales primas apud Judæos tenebant : nunc autem primum est quærendum regnum Dei et justitia ejus. Proprio nos sanguine Victima sacerdotalis hæc de cruce docet !

Notandum est quod ea, quæ hic sollicite pius Samaritanus præmuniens crucis discipulos docet, contra avaritiam Judæorum ; jam antea Rex in lege generali de monte, pro universo Regno promulgaverat in Matthæo, VI, 25-34.

(*V.* 32.) Addit pius Sacerdos tenerrime discipulos alloquens : « Nolite timere, pusillus grex : quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. »

Non terram materialem promissionis ut olim. Calmet. « Deus qui vobis Regnum suum pollicitus est, vitæne hujus necessaria denegabit ? paccate ergo vitam ducite, atque in largitate ejus confidite. » (*Maldon. Grot.*)

(*V.* 33, 34.) « Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam Facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis : quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. »

Hic Sacerdos commendat discipulis omnibus ea quæ tres Evangelistæ narrant Dominum juveni diviti proposuisse. (*Matth. XIX*, 21 ; *Marc. X*, 21 ; *et Luc, XVIII*, 22.)

Hæc perfectio videtur a Sacerdote commendari pusillo gregi suorum qui eum propius sequuntur. In actibus Apostolorum fervorem pusilli hujus gregis miramur in illis qui omnia vendunt quæ possident deponentes pretium ad Apostolorum pedes. (*Act. Apost. IV*, 34. 35.)

In sermone de monte Rex in Matthæo, etiam dicit: « thesaurizate vobis thesauros in cœlo.... » sed hic (*Matth. VI*, 19-21) in generali promulgatione legis, omittitur prima pars perfectior, scilicet: « Vendite quæ possidetis et date eleemosynam. »

Notavimus eamdem analogiam in parabola agri, ubi apud Lucam summa perfectio commendatur: et solum fructum centuplum Sacerdos proponit iis « qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent et fructum afferunt in patientia. »

Mira in his omnibus habetur consonantia ; et unitas inspirationis apparet.

V. 35-40. *Jesus hortatur ut lumbi præcingantur.*

(*V*. 35-37.) « Sint lumbi vestri præcincti et lucernæ ardentes in manibus vestris: et vos similes hominibus expectantibus.... beati servi illi quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis quod præcinget se, et faciet illos discumbere et transiens ministrabit illis. »

Requisitus ardor in sequela Christi Sacerdotis bene indicatur in præcedentibus: sed apud optimum Samaritanum perfectio mercedis perfectioni servitii respondet. Theophyl. bene dicit: « Quasi vicem æqualem eis reddens, ut sicuti ipsi ministraverunt ei, ita et ipse eis ministret. »

De hâc mensa mystica in qua « faciet servos discumbere », oquitur in alio loco apud Lucam, dicens Apostolis post cœnam: (*Luc. XXII*, 29, 30.) « Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. »

O mira dignatio ! eadem Victima quæ in Luca dicit: « hoc facite in meam commemorationem, » (*Luc. XXII*, 19.) consecrans his verbis sacerdotes novi testamenti ; eisque relinquens plenum dominium in sacratissimum corpus suum, eadem Victima postquam in morte facta fuerit Sacerdos in æternum gloriosus secundum ordinem Melchisedech, resumet quasi Victimæ Cœlestis humilitatem : « præcinget se

et faciet servos suos discumbere » ut Dominos et Deos per totam æternitatem ; « et transiens ministrabit illis. »

(*V.* 38-40.) « Et si venerit in secunda vigilia.... et vos estote parati : quia qua hora non putatis filius hominis veniet. »

Matthæus eadem, vel similia verba ponit in ore Regis præparantis servos ad ultimum judicium. (*XXIV*, 42-44.)

Hic in Luca agit Sacerdos noster de proximo adventu quasi jam instet : ideo in fine hujus capitis (*v.* 58-59) strenue adhortatur ut pacem habeant cum adversario dum in via sunt cum illo. Cæteroquin excidium Jerosolymitanum quod instat est figura ultimi judicii : Caveant ne Salvatorem sib severum judicem efficiant !

V. 41-44. *De servo fideli et prudenti.*

Ill^{mus} Beelen. » Jesus non directe respondet petitioni Petri, an dicat hanc parabolam de vigilantia solum ad Apostolos, vel ad omnes. (*v.* 41.) Sed insinuat quod sua admonitio ad vigilantiam præsertim servos primi gradus spectat, quibus creditur cura aliorum servorum. »

V. 45-48. *De servo infideli.*

Ill^{mus} Beelen tam pro servo fideli quam pro servo nequam de quibus hic loquitur S. Lucas *v.* 41-48 ; remittit ad similem locum Matthæi in XXIV, 45-51 ubi agitur de præparatione ad extremum judicium.

Hic in Luca, *v.* 47, « qui cognovit voluntatem.... » « De futuris pastoribus est sermo, » ait Euthemius. Et *v.* 48. « Qui non cognovit.... » tales alloquitur quales plerumque sunt inferiores servi. In fine hujus versiculi concludit Sacerdos : « Omni autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum plus petent ab eo. »

V. 49-59. Venit Jesus Sacerdos ut mittat ignem in terram et separationem: reprehendit Judæos quod tempus gratiæ non dijudicent. monet ut quisque conetur in via ab adversario liberari.

(*V.* 49-50.) « Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur? baptismo autem habeo baptizari: et quomodo coarctor usquedum perficiatur. »

O tenerrima misericordiæ suspiria in ore Victimæ Magni Sacerdotis Jesu!

Sensus est, ait Ill^mus Beelen: «Priusquam autem ignis meus mittatur in terram ad accendendas persecutiones, « baptismo habeo baptizari; » Et! quantum coarctor ut adveniat momentum, quo morte mea in cruce perficiatur opus redemptionis generis humani. »

Quod in Luca Dominus « ignem » vocat, ait Ill^mus Beelen; hoc vocat in Matthæo X, 34: « gladium. »

Ita Rex et Sacerdos ab invicem distinguuntur.

(*V.* 51-57.) Divisiones in eadem domo; salutis incuria. Hic, ait Ill^mus Beelen, Dominus confirmat quod generatim annuntiaverat in *v.* 49: « Ignem veni mittere in terram. »

Apud Matthæum de divisionibus loquitur Rex in missione Apostolorum. (*Matth. X*, 34-36.) In Luca, eadem occasione, hic dirigebat verbum vituperii ad turbas ibi congregatas, ait Ill^mus Beelen, in quantum aliqui aderant qui non attendebant signis temporis in quo vivebant, quamvis in aliis rebus non deesset ipsis nec intellectus, nec attentio: (*Luc. XII*, 54-57.) « cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nimbus venit....

In *v.* 57 instat dicens: « Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est? » Hoc videtur esse admonitio pro populo, ait idem auctor, ut non patiantur se a cœcis ducibus seduci (Apud *Matth. XV*, 14; *XXIII*, 16-25.). Sed caveant « signa temporis » et « judicent a seipsis quod justum est, » scilicet: quid sibi sit faciendum.

Sacerdos igitur *v*). 54-57) adhortatur Judæos ut bene utantur sua præsentia : nam brevi tempus transibit.

Nota. Apud Matthæum Dominus respondens pharisæis et sadducæis eum tentantibus agit etiam de signis cœli (*XVI*, 1-4.)

(*V*. 58-59.) Usque hodie Jesus ut Victima cum Judæis est in via, sed impœnitentibus est simul adversarius. Ita legitur: « Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari.... non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas. »

Qui fuit in via Sacerdos misericors, pacem prædicans, idem in gloria ut alter Melchisedech, fiet Rex Justitiæ et inimicos destruet.

In Matthæo ubi agitur de adversario, Rex proposuit litem privatam, in publicatione legis. (*V*, 25.)

Præcedentia de quibus hic in Luca Jesus tractavit, illustrantur in capite sequenti tribus exemplis : Galilæorum, Turris Siloë, et arboris fici. Quanto zelo uritur Sacerdos pro salute Israel!

C. XIII.

V. 1-3. *De Galilæis.*

Glossa. « Quia de pœnis peccantium fecerat mentionem, opportune nuntiatur quorumdam peccantium pœna, ex cujus exemplo etiam aliis peccatoribus pœnam comminatur. Unde dicitur : « Aderant autem quidam ipso in tempore nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. » Jesus impœnitentibus Judæis minatur idem supplicium, dicens : « nisi pœnitentiam habueritis, similiter omnes peribitis. »

Beda. « Quia Judæi pœnitentiam non habuerunt venientes Romani... radicitus impiam gentem deleverunt, et non solum atria templi, qua sacrificia conferre consueverant, sed interiora domus humano sanguine fædarunt. »

V. 4. 5. Decem et octo occisi casu Turris Siloe.

Beda. « Significat autem Judæos hinc maxime perituros, quod nomen Salvatoris recipere noluerunt. Illa turris significat illum qui est turris fortitudinis : quæ merito est in « Siloë, » quæ interpretatur missus : significat enim eum qui missus a Patre, venit in mundum ; qui omnes super quod cecidit conteret. »

V. 6-9. De arbore Fici.

« Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ :.... Succide ergo illam : ut quid etiam, terram occupat ? » (*v.* 6-7.)

Theophyl. « Paterfamilias Deus Pater est ; cultor vero Christus ; qui ficum amputari ut sterilem non permittit : quasi ad Patrem diceret : Etsi per legem et prophetas fructum pœnitentiæ non dederunt, meis ego irrigabo passionibus et doctrinis ; et forsitan dabunt obedientiæ fructum. » « Sin autem in futurum succides eam. » (*v.* 9.) Beda. « Quod quidem per Romanos factum est a quibus gens Judæa succisa et a terra promissionis expulsa est. »

Nonne licet hic adducere verba Sancti Pauli ad Hebræos qui loquitur de Victima factâ Sacerdote in æternum, qui perpetuo intercedit pro nobis, ut Jesus in hoc loco facit ingrato Israel ? Hæc sunt verba Pauli : « Hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium. Unde et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum : semper vivens, ad interpellandum pro nobis. » (*Hebr. VII*, 24-25.)

V. 10-17. Mulier curvata. In synagoga die sabbati curatur.

Greg. (*hom.* 31 *in Evangelia.*) « Mystice autem significat ficulnea infructuosa, quod mulier inclinata : humana enim

natura ad peccatum ex voluntate corruens, quia fructum obedientiæ ferre noluit, statum rectitudinis amisit : et hoc significat ficulnea reservata quod mulier erecta. »

Synagoga terrena cogitans, cœlestia non inquirens, sursum respicere non valet. « Vocavit eam Dominus et erexit : » quia in nova Ecclesiâ sanitatem ei reddidit « ut Deum glorificaret. » In sabbato autem hoc factum est, postquam Sacerdos, immolata Victima sua, in requiem intravit.

(*V.* 14.) Indignatur Archisynagogus quasi Jesus sabbatum violasset.

Responderi potest homini doloso et iniquo verbis sancti Pauli ad Hebræos, IV, *v.* 9-11.

« Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. Qui enim ingressus est in requiem ejus : etiam ipse requievit ab omnibus operibus suis, sicut a suis Deus. Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. »

(*V.* 15-16.) Hypocrisim increduli Archisynagogi exemplo bovis et asini Sacerdos novi testamenti redarguit : « Hanc autem filiam Abrahæ..., non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? (*v.* 16.)

Beda. « Filia autem Abrahæ est Ecclesia. Idem ergo mystice est bovem vel asinum solutum a præsepio potum duci, quod est filiam Abrahæ vinculo nostræ inclinationis erigi. »

(*V.* 17.) Ait Glossa. « Erubescentibus adversariis et populo gaudente de his quæ gloriose fiebant a Christo, profectum Evangelii consequenter sub quibusdam similitudinibus manifestat :

V. 18, 19. 1° *Similitudine grani sinapis.*
V. 20, 21. 2° *Similitudine fermenti.*

Beda. « In erecta muliere, seu Ecclesia incepit regnum Dei : quod simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum et crevit, et factum est in arborem magnam... »

Jesus Sacerdos, in Luca, vocavit hoc granum sinapis no-

mine « Pusilli gregis, cui complacuit Patri Cœlesti dare regnum. » (*Luc. XII*, 32.)

« Homo accipiens granum, ait Beda, Christus est, hortus est Ecclesia ejus disciplinis colenda. »

(*V.* 20, 21.) 2° Profectum Evangelii manifestat similitudine mulieris et trium satorum farinæ fermentatæ quæ pusillum Sacerdotis gregem fermentat.

Ambrosius ait: « Plerique fermentum Christum putant. Sancta Ecclesia typum mulieris figurat. Farina autem hujus mulieris nos sumus, qui Dominum Jesum in cordibus nostris efformamus per tres gradus perfectionis. » Ex toto contextu eruimus hic agi de Ecclesia electorum inter Judæos; cum apud Matthæum parabolæ de grano sinapis, ac de muliere ad universalem Ecclesiam referantur, in connexione cum reliquis parabolis cap. XIII.

V. 22-30. *De paucitate salvandorum, inter Judæos, tempore Jesu-Christi.*

« Et ibat per civitates, et castella, docens, iter faciens in Jerusalem. » (*v.* 22.)

Glos. « Præmissis similitudinibus de multiplicatione Evangelicæ doctrinæ, ejus diffusioni ubique prædicando intendit. »

« Iter faciens Hierusalem. » Videtur in Luca Jesus continuo contemplari « baptismum quo habet baptizari. »

(*V.* 23-30.) Theophyl. « Non autem visitabat municipia, vitans Hierusalem; acsi timeret legisperitorum reprehensiones, aut mortem, quæ poterat inde contingere: nam ubi plures erant ægroti, ibi se medicus magis ingerebat. Sequitur: « Ait autem quidam illi: Domine si pauci sunt qui salventur? » Glos. « Quæ quidem quæstio ad hoc pertinere videtur, de quo supra agebatur. Nam in præmissa similitudine dixerat, quod requieverunt volucres cœli in ramis ejus: per quod intelligi potest multos esse qui salutis requiem consequerentur. Et quia ille unus pro omnibus quæsierat, Dominus non singulariter ei respondet. Unde sequitur: « Ipse

autem dixit ad illos : contendite intrare per angustam portam. »

Ill^{mus} Beelen notat in hoc loco, quod hæc parabola, quamvis generaliter applicari possit, præsertim directa est ad illos qui tempore Messiæ et in eadem regione cum ipso vixerunt. »

Possumus animadvertere apud Matthæum VII, 13, 14; et eodem capite 21-23 generalem esse applicationem in publicatione legis.

Sacerdos et Victima hic apud Lucam præsertim loquitur de difficultate salutis pro ipsis Judæis sui temporis : Venerat enim prius « ad redemptionem plebis suæ Israel. » Et ideo etiam Judæi allegant hanc amicitiam sibi factam ab hostia Bethlehemitica ut salventur, dicentes : « Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. » (*v.* 26.)

Sed Pater familias non agnoscit « operarios iniquitatis : » (*v.* 27.) « Nescio vos unde sitis : discedite a me, omnes operarii iniquitatis. »

Qui victima ad salutem « plebis suæ » venit, expellet cum æterno Patre populum suum e gloria, tanquam Rex Justitiæ; ut Gentes eorum locum occupent : « Et venient ab Oriente et Occidente, et Aquilone et Austro ; et accumbent in regno Dei : et ecce sunt novissimi, qui erant primi ; et sunt primi, qui erant novissimi. » (29. 30.)

Hic apud Lucam alloquitur Jesus directe gentem suam ut salvet « eos in via ab inimico » futuro de quo antea dixit. Prædicit obstinatis amarum fructum suæ iniquitatis quando veniet « in ruinam multorum, » et disperget « superbos mente cordis sui. »

Rex in Matthæo intentat populo Israel easdem minas, sed occasione hominis gentilis, centurionis scilicet ; in quo futuræ Ecclesiæ ex Gentibus fidem admiratur : simul ac regnum suum inter gentes extendendum esse prædicit. (*Matth. VIII*, 11, 12.)

V. 31-35. *Vulpes Herodes. Jerusalem homicida.*

Victima quæ libere sese immolat, non potest succumbere vili insidiatori, ut est vulpis Herodes : « Ite, ait, dicite vulpi

illi : ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. » (v. 31, 32.)

Ill^mus Beelen. « Hic non habetur prædictio mortis : sed libertatem suam Dominus astruit. Nam ex græco vertendum est in sensu activo : « Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor, id est, tertia die finem impono, abeo. »

(V. 33.) Et addit : « quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. »

Theophyl. « Nam assueti prophetarum sanguinibus, occident et Dominum. »

(V. 34, 35.) « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te.... »

Cyril. « Tanquam ad amicam negligentem amatorem, et ideo puniendam Dominus loquitur. » In Matthæo XXIII, 37-39 audimus Regem, qui juravit in ira sua si introibunt in ejus requiem, eadem verba terribili voce proferentem.

C. XIV.

Jesus in domo Pharisæi die sabbati.

Cyril. « Quamvis Dominus malitiam Pharisæorum cognosceret, tamen eorum fiebat conviva, ut prodesset præsentibus per verba et miracula. » Toties mitis victima in spelunca latronum inter homicidas conversatur !

V. 1-6. *Hydropicus.*

« Si liceat sabbato curare ? »

Beda. « Competenti argumento solvit quæstionem, ut ostendat illos violare sabbatum in opere cupiditatis, qui eum violare arguerunt in opere charitatis. »

Greg. « Recte hydropicus ante Pharisæum curatur, quia per alterius ægritudinem corporis in altero exprimitur languor seu ægritudo cordis et mentis. »

V. 7-11. *Parabola ad invitatos, humilitatem docet :*

V. 12-14. *Parabola ad invitantem, ut retributionem cœlestem quærat admonet.*

Theophyl. « Ex duabus partibus cœna composita, ex vocantibus et vocatis ; partem vocatorum ad humilitatem postquam monuit, consequenter vocantem monendo remunerat, retrahens eum ne gratia hominum convivaret. »

(*V.* 15.) « Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus qui manducabit panem in regno Dei. »

« Ille homo, ait Aug., in longinqua suspirabat, et panis iste quem desiderabat, ante illum discumbebat. Quis enim est panis regni Dei, nisi qui dicit : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi ? » nolite parare fauces sed cor. »

V. 16-24. *Homo quidam fecit cœnam magnam.*

Hac parabola Jesus præcedentia illustrat : Apud Pharisæum invitati venerant ambitiosi, superbi, terrenarum voluptatum avidi. Ipse invitans amicos et divites qui vicem possint rependere vocavit.

E contra in « cœna magna » divites invitationem rejiciunt, quia panis Cœlestis, terrenis contemptis, manducatur.

Invitans hic non requirit mercedem terrenam : ideoque omnes indigentes invitat : 1° *v.* 21. « Ex plateis et vicis civitatis ; dicens servo : pauperes ac debiles, et cæcos et claudos introduc huc. »

Sunt electi ex Judæis : præsertim publicani et peccatores. Est pusillus grex.

Sed quia ad mensam locus vacat, invitatur etiam numerositas gentium. Unde et eidem servo dicitur :

2° *v.* 22. « Exi in vias et sepes, et compelle intrare ut impleatur domus mea. »

A Lapide : « Cum de vicis et plateis ad cœnam Dominus invitat, illum videlicet populum designat, qui tenere legem sub urbana conversatione noverat. Cum vero convivas suos colligi ex viis et sepibus præcipit, nimirum agrestem populum colligere, id est, gentilem quærit. »

Apud Matthæum Rex fecit nuptias filio suo. (*Matth. XXII, 1-14.*) Contemnentes et servos male habentes ut homicidas perdit et succendit eorum urbem. (*v.* 7.)

Exercet etiam judicium inter invitatos et ejicit foras hominem vestem nuptialem non habentem. (*v.* 12, 13.)

(*V.* 25-27.) Pergit Lucas : Postquam Jesus (*v.* 24) dixit : « Nemo virorum illorum (contemnentium) qui vocati sunt, gustabit cœnam meam : » conversus ad turbas quæ sequebantur illum, ait : 26, 27. « Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem, et filios et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest méus esse discipulus. »

Quibus verbis litteraliter causam exponit exclusionis magnatum apud Judæos : terrena sapiunt ut vidimus in invitatione ad cœnam : qui autem volunt participes fieri cœnæ sacerdotalis, et sacrificii novæ legis debent terrenis renuntiare. Et quia in agone Christiano non sufficit bene incœpisse, duabus postea parabolis etiam perseverantiæ necessitatem in sui sequela inculcat.

V. 28-30. 1° *Parabola turrim ædificantis :*

Greg. Nyss. (Liber. de Virgin. cap. 18) « Insistendum est enim ut cujuslibet ardui propositi terminus astringatur variis augmentis mandatorum Dei, consummando opus divinum ; nam neque lapis unus est tota turris fabrica, neque unicum mandatum ducit ad animæ perfectionem ; sed fundamentum oportet subsistere, et secundum Apostolum (I ad Cor. 3.,) insuper apparatus est auri et argenti et pretiosorum lapidum apponendus. »

V. 31, 32. 2° *Perseverantiam docet parabola Regis commissuri bellum adversus alium Regem.*

Theophyl. « Est autem rex peccatum regnans in nostro mortali corpore : (Rom., 6,) sed et noster intellectus creatus est Rex. Ergo si repugnare velit peccato, toto animo cogitet

secum : nam dæmones sunt peccati satellites, qui videntur viginti millium numero præcellere decem millia nostra, quia cum incorporei sint, nobis comparati corporeis, multo majorem fortitudinem habere censentur. »

(*V.* 33.) Concludit optimus Sacerdos : « Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. »

Basil. (in Regulis brevioribus ad interrog. 263.) « Est autem intentio Domini per exempla prædicta non utique præbere potestatem vel dare licentiam cuiquam fieri discipulum ejus vel non fieri, sicut licet non inchoare fundamentum vel non tractare pacem ; sed ostendere impossibilitatem placendi Deo inter illa quæ distrahunt animam in quibus periclitatur velut captu facilis facta insidiis et astutiis diaboli. »

(*V.* 34, 35.) De novo, exemplo salis perseverantiam docet. « Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur ? Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat. »

Triplex sal nominatur in sanctis Evangeliis : 1° in Mattheo sal Regium quod in Apostolis oportet condire totum mundum : « Vos estis sal terræ. » (*Matth. V.* 13.) Ita Ill^mus Beelen intelligit :

« Quod sal est cibis, et sol terræ, hoc oportebat Apostolos esse humanitati. »

2° In Marco sal Doctorale pacis inter Apostolos (*Marc. IX*, 49.) « Bonum est sal : quod si sal insulsum fuerit, in quo illud condietur ? habete sal in vobis et pacem intra vos. »

Ill^mus Beelen. « Admonet discipulos ut in se sal servent, nominatim sal amoris pacis, et consequenter inter se de præeminentia non disputent. »

3° Sal perseverantiæ in sequela Victimæ sacerdotalis ; ut hic in Luca, juxta Ill^mum Beelen : « Sal est optima res, sic est etiam optimum fieri confessor nominis Jesu ; sed in hac confessione usque in finem perseverandum est. »

C. XV.

Quanto zelo humiles peccatores invitat ad salutem, tribus parabolis Victima Jesus demonstrat.

(*V.* 1, 2.) « Erant autem appropinquantes ei publicani, et peccatores ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi et Scribæ dicentes : quia hic peccatores recipit et manducat cum illis. »

Clare in duobus versiculis præcedentibus videmus sensum invitationis ad cœnam.

Divites, id est, Pharisæi et Scribæ contempserunt. Peccatores autem, id est invitati « ex vicis et plateis civitatis ; » cæci et claudi introducuntur.

Qui per vias et sepes inveniuntur, intrare compellit pater familias.

Hæc igitur est vera cœna hominis, scilicet Victimæ sacerdotalis ; miseros peccatores salvare et superbos rejicere.

Per totum caput hoc XV demonstrat quanto gaudio operam navat ut humiles et vere miseros salvet. Tria eligit exempla, seu tres parabolas ut suam misericordiam manifestam faciat.

(*V.* 3-7.) 1° Parabolam pastoris et ovis perditæ.

In Matthæo Rex proponit parabolam « ovis perditæ » apostolis, ut intelligant ejus pretium ; nec scandalizent parvulos in Christo. Sic in eodem exemplo distinguitur Rex et Sacerdos. (*Matth. XVIII,* 10-14.)

(*V.* 8-10.) 2° Parabolam mulieris quæ invenit drachmam perditam.

(*V.* 11-32.) 3° Parabolam Patris amantissimi et filii prodigi.

Beda. « Duabus primis parabolis quantum ipse cum angelis de pœnitentium salute gaudeat, insinuat. In hâc vero tertia (filii prodigi) non suum tantummodo suorumque gaudium demonstrat, sed et invidentium murmur reprehendit. »

In ultima parabola juxta Augustinum (Quæst. Ev.) Gentiles præsertim convivare cum optimo patre exhibentur : sic

loquitur : « In extremis terræ fuit frater minor, sed inde major exultatio cantantium Domino canticum novum : « quia laus ejus ab extremis terræ, » et propter eum qui absens erat, occisus est vir sciens ferre imbecillitatem : quia quibus non est narratum de eo viderunt.

Major filius populus Israel qui erat in agro, id est, in ipsa opulentia legis, et prophetarum ; terrena potius operatur. Indignatus est autem de fratre minore « et nolebat intrare » (*v*. 28.)

« Indignatur etiam Israel nunc et non vult intrare. Cum ergo plenitudo gentium introierit, egredietur opportuno tempore Pater ejus, ut etiam omnis Israel salvus fiat. »

Ambr. « Si enim desinat invidere, omnia sua esse sentiet ; vel Judæus sacramenta veteris testamenti, vel baptizatus nova etiam possidens. »

(*V*. 23, 24.) Festivitas vituli saginati :

« Adducite vitulum saginatum, » id est, ait Chrysost. Dominum Jesum Christum, quem vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati ; saginatum autem dixit, quia pinguis et opimus in tantum est, ut pro totius mundi salute sufficiat. Non autem ipse pater vitulum immolavit, sed aliis immolandum tradidit : permittente enim Patre, consentiens Filius, ab hominibus crucifixus est. »

Ambr. « Et manducemus. » Bene carnem vituli ; qui sacerdotalis est Victima quæ pro peccatis fiebat. Epulantem autem inducit, cum dicit : « Epulemur ; » ut ostenderet quoniam paternus est cibus, salus nostra, et Patris gaudium est nostrorum redemptio peccatorum. » Chrys. « Ipse enim pater gaudet in reditu filii, et convivatur in vitulo ; quia misericordiæ suæ fructum immolatione Filii sui gaudens Creator in acquisitione populi credentis epulatur. Unde sequitur : « Quia hic filius meus mortuus erat et revixit. »

Aug. (Quæst. Evang.) « Istæ epulæ atque festivitas nunc celebrantur, per orbem terrarum Ecclesia dilatata atque diffusa : Vitulus enim ille in corpore et sanguine Dominico, et offertur Patri, et pascit totam domum. »

C. XVI.

V. 1-18. Postquam Jesus docuit quanto amore miserrimos suscepit peccatores ad sui sequelam, in sequentibus admonet quanta oporteat prudentia suos discipulos salutem operari.

(V. 1-9.) Prius eligit parabolam villici diffamati. Calmet. « Hæc parabola est veluti superiorum confirmatio, eaque eodem tempore proposita fuit. Ibi ostendit Dominus qua cura peccatoris salutem, et conversionem perquirat ; istic docet, quemadmodum peccator vocationi suæ satisfacere debeat, et gratiam atque innocentiam tueri, et quo pacto ubi illius jacturam fecerit, rursus eamdem acquirere debeat. »

Dominus ipse applicat parabolam in versu 9 : « Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mammona iniquitatis ; ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. »

Æconomus, cujus prudentia pro exemplo proponitur, nequaquam imitandus est in infidelitate, qua contra Dominum utitur. Bona de quibus disponit sua non erant : atque illius habita ratione, erant opes iniquitatis. Sed ut cum merito eleemosynas erogemus, atque Deo placeamus, opus est, ut de nostro per jus ac fas parto bono stipem distribuamus. Ut ubi ultima passi fuerimus, in cœlo, æternaque beatitudine nos recipiant. Jesus hic exhibet pauperes tanquam cœli janitores, et quodammodo cœli dominos, aditum quibus voluerint, aperientes. »

(V. 10-12.) « Qui in minimo fidelis est et in majori erit fidelis. Qui in iniquo mammona, vel in alieno infidelis est, quis dabit ipsi quod suum est? » Calmet. « Jesus-Christus a terrenis ad spirituales divitias migrat. Ubi eos qui aderant docuit quemadmodum terrenis, ac perituris opibus utendum sit, ad Apostolos orationem convertit, eisque præcepta tradit quem in usum traducendæ, et quomodo comparandæ sint veræ, solidæque divitiæ. Non secus ac paterfamilias in rebus minimis servorum suorum fidem experitur, antequam illis

majora committat; neque adeo facile eis negotia alicujus momenti credit, quorum fidem in rebus minimis nequaquam satis habuit compertam. « Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? »

(*V.* 11.) Si vos Pharisæi avari fuistis opum fallacium, inanium, fluxarumque; quis vobis audebit committere veras opes, veritatum cœlestium cognitiones, evangelicam doctrinam, sacrorum administrationem, quæ bona sunt toto cœlo terrenis hisce rebus præstantiora? »

« Etsi in alieno fideles non fuistis : quod vestrum est quis dabit vobis? » (*v.* 12.) « Divitiæ bona sunt a nobis aliena quia Dei sunt qui earumdem nobis tradidit dispensationem. Nihil Judæis magis debitum fuisse videtur quam regnum Dei, Evangelii prædicatio, cœlestium veritatum cognitio. Attamen jure eisdem viduantur, eo quod in legis observantia, ac præsertim in charitate, quæ omnium aliorum præceptorum anima esse debet, infidelitatem præ se tulerunt. »

(*V.* 13.) « Nemo servus potest duobus Dominis servire : .... non potestis Deo servire et mammonæ. »

Sacerdos, qui ipse Veritas est, falsam fatuorum doctorum et sacerdotum scientiam cum severitate impugnat.

Quod hic introducit est actualis applicatio articuli legis a Rege in monte promulgatæ apud Matthæum *VI*, 24.

(*V.* 14.) « Audiebant autem omnia hæc pharisæi, qui erant avari; et deridebant illum. »

Calmet: « Scilicet Pharisæi, qui terrenas opes veras putabant esse, atque mercedem quam Deus pollicitus est observantibus legem suam (*Levit XXVI*, *V.* 3, 4, 5 *etc.*), Jesu-Christi doctrinam in jocum traduxerunt; quoniam ille commendabat liberalitatem atque eleemosymam, simulque testatus fuerat, quo in numero haberet paupertatem, cum in sermonibus vitaque sua, tum in electione Apostolorum suorum, qui omnes pauperes erant, et conditionis minime sublimis. »

(*V.* 15-18.) Postquam increpavit (*v.* 15.) Pharisæorum hypocrisim: nam externe legi videbantur adhærere, seu litteram amplecti sine spiritu ; Jesus in sequentibus demons-

trat differentiam inter legem Evangelicam et legem veterem. Nec unus apex ideo de lege cadere potest : e contra vetus lex in omnibus ad perfectum adducitur sub lege Christi : unum profert exemplum circa legem matrimonii, quæ a Moyse propter duritiam cordis relaxata fuerat a primitiva institutione ; itaque ait :

(*V.* 18.) « Omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit mæchatur ; et qui dimissam a viro ducit mæchatur. »

Sic quoad sensum, in hoc loco, V. Beda connexionem construit.

Adhucusque in hoc capite aggressus est Judæorum avaritiæ spiritum, hypocrisim præsertim Pharisæorum, luxuriam in matrimonio. Nunc autem in exemplo divitis epulonis damnat luxum et comessationes, et duritiem in pauperes.

V. 19-31. *Epulo et pauperculus Lazarus.*

Aliqui auctores putant esse veram historiam; vel partim historiam et partim parabolam. Alii unice parabolam hic vident.

A Lapide parabolam applicat Judæis. Et conclusio parabolæ, videtur conclusio omnium præcedentium : ex ea intelligimus impossibilitatem salutis principum Judæorum, nam ait Abraham epuloni : « Si Moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. » Apud Joannem ipse Jesus de Moyse dicit Judæis : « Si crederetis Moysi, crederetis utique et mihi. De me enim ille scripsit. » (*Joan.* *V,* 46.)

Impletur ergo, ait A Lapide, quod per Abrahæ responsionem dicitur. Ex mortuis enim Dominus resurrexit, sed Judaicus populus qui Moysi credere noluit, ei etiam qui resurrexit a mortuis credere contempsit ; cum Moysi verba spiritualiter intelligere renuit, ad eum de quo Moyses locutus fuerat non pervenit. »

Sancti Patres, in Catena aurea, diverse parabolam applicant. Augustinus in Lazaro Dominum videt et in epulone Judæos.

C. XVII.

Adhucusque Dominus monstravit pertinaciam Pharisæorum et Judæorum ; nunc in initio hujus capitis docet discipulos ne in eamdem incidant impietatem.

V. 1-10. *De scandalo. Servi inutiles.*

Chrys. « Sunt autem duplicia scandala, quorum hæc quidem divinæ gloriæ refragantur, hæc vero proderunt solum ad irrogandum fratribus impedimentum. Nam excogitationes hæresum, et quicumque contra veritatem fit sermo, divinæ gloriæ refragantur. Non tamen ad præsens memorari videntur hujusmodi scandala, sed magis ea quæ contingunt inter amicos et fratres, sicut jurgia, detractiones et hujusmodi. Unde subdit postea : (*v.* 3-4). « Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum ; et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. Etsi septies in die peccaverit in te, et septies in die fuerit conversus ad te, dicens : pœnitet me : dimitte illi. »

Juxta Hieronymum ubi Dominus in Matthæo XVIII de vitando scandalo docuit, magis agebatur de gloria Dei et ejus Regni quæ poterat lædi Apostolorum ambitione ; ut ibi annotavimus : « Si in hoc vitio permansissent, ait, poterant eos quos ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum Apostolos viderent inter se de honore pugnare. »

Cum in Luca agatur de scandalis privatis ut sunt jurgia inter fratres ; sola misericordia præscribitur a Sacerdote misericordissimo : « Si septies in die peccaverit (frater) in te, et septies in die venerit ad te, dicens : pœnitet me : dimitte illi. »

In Matthæo agitur de correctione fraterna prout fieri debet in Ecclesia, seu Regno juxta leges præscriptas. In Regno habetur correctio privata et publica : etiam excommunicatio, ut videri est in loco Matthæi citato XVIII, 6-20.

Sic quasi sub eadem monitione Rex et Sacerdos in duobus Evangelistis sibi scopum unicuique proprium attingunt.

(*V.* 5.) Jesus in vers. 3, 4 insinuavit misericordiam in fratres, eamque in numero perfecto exercendam.

« Septies in die. » Opem divini adjutorii inclamant discipuli dicentes : « adauge nobis fidem. » Greg. « Ut quæ jam accepta per initium fuerat, quasi per augmentum graduum ad perfectionem veniret. »

(*V.* 6.) « Dixit autem Dominus : si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro, eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis. »

Beda. « Fidem perfectam hic Dominus grano sinapis comparat, eo quod sit in facie humilis et in pectore fervens. Mystice autem per morum cujus colore sanguineo fructus et virgulta rubent, Evangelium crucis exprimitur, quæ per fidem Apostolorum de gente Judæorum, in qua velut in stirpe generis tenebatur, verbis prædicationis eradicata, et in mare gentium translata est atque plantata. »

(*V.* 7-10.) Dominus admonet Apostolos non superbire de veris virtutibus quas colunt : ne fiant Pharisæis similes, elati et virtutum simulatores : quando bene egerint, dicant semper : « Servi inutiles sumus : quod debuimus facere fecimus. »

(*V.* 10.) Theophyl. « Quia fides proprium possessorem facit divinorum mandatorum observatorem, vivificis eum exornans operibus, exinde videbatur hominem incurrere posse superbiæ vitium : unde præmonuit Dominus Apostolos, ne superbiant in virtutibus suis per exemplum conveniens dicens : « Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : statim transi, recumbe : et non dicat ei : para quod cænem, præcinge te..... »

Ambr. « Sicut ergo tu non solum non dicis servo tuo, « recumbe ; » sed exigis ab eo aliud ministerium : ita nec in te patitur Dominus unius usum esse operis et laboris ; quia dum vivimus debemus semper operari, unde sequitur :

« Et ministra mihi donec manducem et bibam, et post hæc, tu manducabis et bibes ? » Beda. « Quasi dicat : postquam tuæ prædicationis opere delectatus, tuæque compunc-

tionis epulis fuero refectus, tunc demum transibis, et æternis meæ sapientiæ dapibus in æternum reficieris. »

« Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ? non puto. »

Cyril. « Deus petit quidem a nobis famulatum jure servitii; verum quia clemens et bonus est, honores laborantibus pollicetur, et supereminet sudoribus subjectorum benevolentiæ magnitudo. »

V. 11-19. *Decem leprosi.*

Transitus per mediam Samariam et Galilæam. Titus Bostr. (catena græc.) « Inter Judæos et Samaritanos transit, ut utrosque compingat in unum novum hominem. »

(*V.* 15.)« Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum. »

A Lapide. Iste Samaritanus qui magnificans Deum regressus est, unius Ecclesiæ devotam Christo humilitatem significat. Novem ingrati sunt populus Judaicus qui toties a lepra mundati, ad Deum vocati : finaliter Christum rejiciunt et reprobi cum antiquo sacerdotio et rituali efficiuntur.

« Dum irent, mundati sunt. » (*v.* 14.) Calmet (ex *Maldon. Grot. Luca Brug.*) ait : « Crediderunt verba Jesu, iter corripuerunt et fides sua illis curationem promeruit.

Salvator eos mundavit quin eos tangeret, quin verbum proferret, sed voluntate ac potestate duntaxat. Hæc adeo miraculosa, et repentina curatio satis aperte cæremoniarum legis inutilitatem probabat ; quemadmodum aperte Samaritanus ille intellexit, qui ad Jesum Christum reversus est. »

Hic ex interpretibus mire videmus cæremonias legis antiquæ locum dare fidei in verum Sacerdotem novæ legis Jesum-Christum.

V. 20-37. *Adventus regni Dei.*

(*V.* 20.) « Interrogatus autem a Pharisæis : quando venit regnum Dei ? respondens eis dixit : non venit regnum Dei cum observatione. »

Calmet. « Non sine quodam convicio, ex Domino Pharisæi quæsierunt quandonam adforet regnum Dei, de quo sæpe adeo verba facere consueverat, et cujus adventum per discipulos suos annuntiabat. Quandonam videbimus Israel, nationum jugum excutientem? David solium restitutum? reliquias Israel in patrio solo iterum coalescentes, ut olim, cum David atque Salomon imperarent ?

« Regnum Dei non venit cum observatione, » ait Jesus: intelligens institutionem Ecclesiæ.

(*V.* 21.) « Ecce enim regnum Dei intra vos est: » In medio Israel jam adunatus est « pusillus grex, » nucleus Regni Dei: imo « Pusillus grex cui Patri complacuit dare regnum. »

« Hic, ait Calmet, non erat sensus ille quem Pharisæi animo reputabant, at Salvator secundum veritatem loquebatur, et satis perspicue si illum intelligere voluissent. Dei regnum, Messiæ manifestatio, ultio quam contra inimicos suos exercebit, antequam suis in terra imperium construat ; hæc omnia non fient unquam manifesta, sensibili, insigni ratione. Plerique mortalium tanquam factum omnino fortuitum, atque ex secundarum nexu causarum profectum, respicient illud, quod erit Divinæ effectus omnipotentiæ, et sublimium consiliorum ejus complementum. »

Prædicit discipulos persecutiones passuros (*v.* 22.) « Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis et non videbitis. » Quasi eos admonet ut bene gratia corporalis præsentiæ utantur ut postea valeant omnia mala sustinere.

Calmet. « In præcedentibus insinuavit Jesus Regnum Dei esse christianæ Ecclesiæ institutionem. »

« Nunc autem transit ad significandam ultionem a se in Judæos incredulos exercendam. (*v.* 23, 24.) Ejus adventus erit inopinatus.

(*V.* 25.) « Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. »

Calmet. « Antequam Filius hominis iterum veniat, atque ultionem suam in Judæos exerceat, antequam in synagogæ ruderibus jaciat Ecclesiæ suæ fundamenta, ejectisque incre-

dulis Israelitis, regnum suum inter gentiles instituat, multa ab illis patiatur oportet, contumeliis afficiatur, crucifigatur : eaque vero intra breve temporis spatium, et ab eo populo, qui illum audit loquentem : « a generatione hac. »

(*V*. 26-35.) « Cum venerit in ira sua Jerosolymam deleturus (tanquam Melchisedech, Rex justitiæ) et Judæos exterminatores suos exterminaturus ; illos omnino securos inveniet et in aliud quidpiam incumbentes, quam ad justitiam illius flectendam. Ubicumque delitescent Judæi noxii, a Romanis aliisque hostibus invenientur : « Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ. » (*v*. 37.)

« Prophetæ, ait Calmet, sæpius diem ultionis Domini vocant diem convivii : Isai. XXXIV, 6, « Victima Domini in Bozra.... » Ezechiel : XXXIX, 17, « Dic omni volucri et universis avibus, cunctisque bestiis agri : convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis.... » Habac. I, 8 : « Volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. »

Ill^{mus} Beelen applicat *v*. 20-37 secundo adventui Domini et refert ad Matthæum, cap. XXIV.

C. XVIII.

V. 1-8. *Vidua importuna et iniquus judex.*

Justitiam obtinet ab iniquo judice vidua importuna : « Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis ? » (*v*. 7.)

Calmet. « Apostoli ac primi fideles, non secus ac vidua hæc, expositi erant opprobriis, calumniis, persecutionibus Judæorum atque Gentilium ; Dei Filius illos hortatur, ut indesinenter orent, et clament, eisque pollicetur, Deum non fore precibus eorum surdum, sed eorum malo affectum iri : « Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. » (*v*. 8.)

Addit Jesus in eodem versiculo (8.) : « Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ? » (*v*. 8.)

Calmet. « Cum Pharisæi ex Jesu-Christo quæsivissent, quandonam Regnum Dei incepturum esset, illis respondit, hoc minime ea ratione venturum, quæ facile deprehendi posset ; sed repente ac præter mortalium opinionem incepturum. Hortatur ergo discipulos suos, ut jugiter vigilent, atque indesinenter orent, et his verbis concludit : creditisne « cum Filius hominis venerit, » regnumque suum instituerit, in Judæis fidem esse inventurum ? creditisne in eorum numero aliquos præsto futuros, qui illum excipiant aut venerentur ? nimis alte in pertinacia, atque infidelitate sua erunt demersi : vix perpauci invenientur, qui in fide vivant atque in precibus perseverent. Reliqui omnes peribunt eo quod in illis vigilantia ac fides defecerit. (Maldon. Brug. Menoch. Aug.)

Notare possumus hanc applicationem æque ac præcedentia perfecte convenire systemati S. Augustini : apud Lucam victima sacerdos in passione Rex Justitiæ factus et in Gloria Majestatis suæ reversus, exercebit specialem vindictam in ingratum Israel, ad cujus salutem ante omnia venerat : ipsi autem Judæi « in via non dederunt operam liberari ab adversario ; ideo novissimum minutum severo judici reddent. (*Luc. XII*, 58, 59.)

Sic apud Matthæum in omnes, in fine mundi, judicium exercebit Rex triumphans de omnibus inimicis : « Tunc dicet Rex his qui a dextris ejus erunt : venite benedicti Patris mei. » (*Matth. XXV*, 34.)

« Tunc dicet et his qui a sinistris erunt : discedite a me maledicti. » (*Matth. XXV*, 41.)

V. 9-14. *Pharisæus et Publicanus orantes in templo.*

Calmet. (ex Aug. Maldon. Beda et aliis.)

« Crediderunt nonnulli, Jesum-Christum in hac parabola apostolos suos pergere edocentem, quomodo oporteat orare. Exemplo viduæ illius, quæ judicem orabat, urgebatque, constantis jugisque orationis exemplar illis ostendit : istic vero illis offert exemplar orationis humilis, atque submissæ in persona publicani, qui egerat pœnitentiam. »

Beda. « Typice autem Pharisæus est populus Judæorum, qui ex justificationibus legis extollit sua merita : publicanus vero gentilis est, (vel pusillum gregem repræsentat : sic habetur omnium consonantia) qui longe a Deo positus confitetur peccata sua ; quorum unus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus. »

V. 15-17. *Parvuli a Jesu benedicuntur.*

Theophyl. « Post prædicta humilitatem Dominus docet per ea quæ facit, non repellens parvulos, sed gratanter admittens. »

Aug. de verbo Domini. « Cui afferuntur parvuli tangendi, nisi Salvatori ? sed si Salvator est, salvandi offeruntur illi qui venit salvum facere quod perierat : ubi isti perierant, quantum ad ipsos pertinet innocentes ? sed secundum Apostolum, per unum hominem intravit peccatum in orbem terrarum. Veniant ergo parvuli, ut languidi ad medicum, perditi ad redemptorem. »

Apud tres Evangelistas Dominus parvulos adoptat : apud Matth. cap. XIX ; apud Marc. cap. X ; et in hoc loco Lucæ.

V. 18-30. *Periculum divitiarum.*

Beda. « Audierat princeps quidam a Domino tantum eos, qui puerorum vellent esse similes, regnum Dei intraturos : atque ideo poscit sibi non per parabolam, sed palam quibus operum meritis vitam æternam consequatur. »

Cyril. (cat. græc. patrum.) « Princeps autem ille vini recentis capax non fuit, vetus uter existens, sed tristitia ruptus est. »

Theophyl. « Quoniam dives audita opum abjectione tristatus fuit, Dominus admiranter locutus est. Non dicit impossibile est eos intrare, sed difficile. » (*Matth. XIX, Marc. X.*)

(V. 26, 27.) « Et dixerunt qui audiebant : et quis potest salvus fieri ? ait illis : quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. »

Theophyl. « Apud homines ergo quorum serpsit intentio ad terrena, impossibilis est salus (ut dictum est), apud Deum vero possibilis est : cum enim homo consiliarium habuerit Deum, et justificationes Dei, et doctrinas de paupertate imbiberit, necnon ejus auxilium invocaverit, hoc fiet possibile. »

(V. 28.) « Ait autem Petrus : ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. »

Cyr. (cat. græc. patrum.) « Congrue autem dives cum multa contempserit, recompensationem expectabit. Qui vero parva possidens ea abdicavit, quid ei sperandum est quærere decebat. Illud autem necesse est dicere quod paucis abrenuntiantes, quantum spectat ad propositum et obedientiam, pari lance cum opulentis penduntur, paribus utentes affectibus, dum rerum quas possident abjectionem ultro inferunt. Unde sequitur :

(V. 29, 30.) « Nemo est qui reliquerit domum, aut parentes... etc. « et non recipiat multo plura, » etc. « Elevat ad acceptissimam spem omnes audientes, jurejurando promittens, dum apponit jurejurando « amen : » doctrina enim divina mundum vocante ad fidem Christi, forsitan aliqui respicientes parentes infideles noluerunt eos turbare veniendo ad fidem ; et similis est ratio aliorum germanorum. Deserunt autem quidam patrem, aut matrem, et totius parentelæ amorem despiciunt propter amorem Christi. »

V. 31-34. *Passionem iterum Jesus prænuntiat.*

Greg. (homil. 2 in Evang.) « Prævidens Salvator ex passione sua discipulorum animos turbandos, eis longe ante et passionis ejus pœnam, et resurrectionis suæ gloriam prædicit. »

Beda. « Quia autem discipuli vitam ejus maxime desiderabant, ejus mortem audire non poterant : et quoniam non solum hominem innocentem, sed et Deum verum sciebant, hunc nullatenus mori posse putabant ; et quia parabolas eum sæpe loquentem audire consueverant, quoties aliquid de sua passione dicebat, ad aliud allegorice referendum esse credebant. »

V. 35-43. *Cæcus prope Jericho.*

Sensum mysticum apud Matthæum retulimus. Greg. (in homil. ut supra.) « Cæcus autem a Domino, non aurum sed lucem quærit : et nos non falsas divitias, sed lucem quæramus, quam videre cum solis angelis possimus ; ad quam lucem via fides est. Unde recte cæco dicitur : « Respice, fides tua te salvum fecit. » Qui videt et sequitur, quia bonum quod intelligit operatur. »

C. XIX.

V. 1-10. *Zacchæus.*

(*V.* 1.) « Et ingressus perambulabat Jericho. » Salvatur ibi Zacchæus, qui est figura omnium spiritualium filiorum Abrahæ. Ita Dominus respondet murmurantibus quia in domum peccatoris divertisset : « Quia hodie salus domui huic facta est : eo quod et ipse filius sit Abrahæ. Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. » (*v.* 9, 10.)

Novum misericordiæ exemplum in sacerdotali Victima, apud Lucam, hic miramur.

A Lapide. « Salus quæ olim Judæorum domum implebat, hodie (etiam) populum nationum illuxit, eo quod et ipse populus filius sit Abrahæ, credendo in Deum. De quo dicit Apostolus : « Si ergo vos Christi, ergo Abrahæ semen estis. » (Galat. III.) « Venit enim Filius hominis quærere et salvum facere quod perierat. »

Beda. « Manebat autem aliquando Dominus in domo Principis pharisæorum, sed eum opera digna facientem Deo, lingua venenata carpebant. Unde facinora eorum perosus discessit dicens : « relinquetur domus vestra deserta. »

Hodie autem in domo pusilli Zacchæi oportet illum manere, id est, novæ legis gratia coruscante, etiam in humilium nationum corde quiescere. »

Vel etiam primum peccatores et publicanos inter Judæos designat : Ambr. « Zacchæus in sycomoro, cæcus in via; quorum alterum Dominus miseraturus expectat, alterum suæ mansionis charitate nobilitat ; de quo dicitur : « Et ingressus Jesus perambulabat Jericho, » etc. Et bene princeps inducitur publicanorum : quis enim de se desperet, quando iste pervenit ad gratiam, cui census ex fraude? Et ipse quidem « dives, ut scias non omnes » divites « avaros. »

Cyril. « Sed Zacchæus in his moram non traxit, ideoque factus est dignus propitiatione Dei, quæ cæcos illuminat, et longinquos vocat. »

(*V.* 11.) « Hæc illis audientibus, adjiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem, et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. »

Calmet. « Post ea quæ sibi a Jesu-Christo dicta fuerant de regno ipsius, morte, consummatione, resurrectione, crediderunt futurum, ut statim Dei regnum se manifestaret ; atque hoc in itinere Salvator ab universa Judæorum natione tanquam rex haberetur : non enim dimittere poterant ea præjudicia, quibus de persona, ac temporali Messiæ regno fuerant imbuti. Quidquid cum hac idea omnino non consentiebat, ipsi nullo pacto assequi poterant, idque erat illis veluti incomprehensibilis lingua. » (Ut legimus Luc. XVIII, 34.)

V. 12-27. *Homo quidam nobilis qui distribuit servis suis decem mnas, atque rebelles subditos interfici jussit.*

Parabola, quam Jesus-Christus in hoc loco proponit, duplicem habet partem : quarum prior continetur in versiculis 12, 14, 15, 27, qui respiciunt rebelles principis subditos, qui in longinquam regionem regnum accepturus discedit. Altera vero parabolæ pars, quam complectuntur vers 13, 16-26, respicit servos, quibus hic princeps pecuniam crediderat in lucro ponendam.

Hæc parabola desumpta est ex historia contemporanea Judæorum :

1° Pars. Calmet. « Principes eorum a Romanis pendebant;

ab illis erant constituti, et ab imperatoribus de solio deturbari poterant, atque in exilium ejici veluti privati, quod reipsa nonnullis eorum accidit, veluti Archelao et Herodi Antippæ. Hi Romam concedere tenebantur, ut ibi ab imperatoribus regnum obtinerent, quo pacto Magnus Herodes, Archelaus filius ejusdem, Agrippa aliique constituti fuerunt atque Judææ reges inaugurati. »

In iis quæ Archelao contigerunt, omnes ferme parabolæ hujus circumstantiæ ad litteram adimpletæ videntur.

2da Pars. Decem Mnæ. « Mens est ostendendi Judæos, quorum imago erant servi, quibus princeps pecuniam committit, præmium vel pœnam inventuros; prouti ex eadem pecunia lucrum fecerint. Qui Evangelio crediderint ac summa fide illius consilia, et mandata exercuerint, recentibus gratiis, atque infinita gloria cumulabuntur. Qui vero in infidelitate, ac pertinacia sua perstiterint, qui Evangelii lumini oculos clauserint, qui Domini sui pecuniam in sacculo signatum continuerint, hoc est, legis atque Evangelii cognitionem absconderint, quin eadem utantur, et assequantur consilia a Deo de ipsis inita, non solum hujusmodi cognitionibus, atque luminibus orbabuntur, verum a Domino suo vapulabunt, tanquam inutiles servi, atque Domino suo parum affecti. »

(V. 27.) De rebellibus autem subditis subjungitur:

« Verumtamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc ; et interficite ante me. »

Aug. (de quæst. Evang.) « Per quod designat impietatem Judæorum, quia ad eum noluerunt converti. » Theophylact. « Quos tradet morti, mittens eos in ignem exteriorem : sed et in hoc mundo mactati sunt flebiliter ab exercitu Romanorum. »

Tota parabola perfecte convenit Jesu Victimæ, et Sacerdoti in æternum.

Victima abit ad passionem ut « Vir nobilis » privatus. (*Luc. XIX*, 12.)

Sed rediens post passionem « in gloria suâ » factus est Sacerdos in æternum ; Melchisedech, Rex justitiæ qui

punit infideles servos, et jubet trucidari nationem rebellem judæorum ; Rex Salem, Rex Pacis qui fideles servos remunerat.

(*V*. 28.) « Et his dictis, præcedebat ascendens Hierosolymam. » Titus Bostrens. « Ostenso quod nondum sibi insidiantem mortem devicerat, procedebat ad passionem, ascendens Hierosolymam. »

Beda. « Ostendens etiam de ejusdem civitatis eventu parabolam fuisse præmissam, quæ et ipsum erat occisura, et hostili clade peritura. »

V. 29-35. *Jubente Jesu, discipuli adducunt ei pullum.*

Ambr. « Mystice autem Dominus venit ad montem Oliveti, ut novellas oleas in sublimi virtutum plantaret : et fortasse ipse mons Christus est : Quis enim alius tales fructus ferret olivarum spiritus plenitudine fæcundarum ! »

V. 36-38. *Acclamationes discipulorum !*

(*V*. 37.) « Coeperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus. »

Bene distinguimus hic « pusillum gregem » discipulorum quem Sacerdos in Luca laudavit cap. XII, 32.

(*V*. 38.) « Dicentes : benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in Cœlo et gloria in excelsis. »

Beda. « Christus Rex dicitur quod mentes regat, et ad regnum cœlorum credentes perducat. »

Apud Lucam speciali modo Jesus Rex est, ut Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui erat Rex Salem.

Beda. « Verum quia Christus in carne totius mundi propitiatio illuxit, pulchre sibi invicem in laude ejus cœlestia simul et terrena concinunt. Eo enim nascente cœlestia agmina cantant, eodem autem cœlis se reddituro mortales vicem laudis rependunt. Unde sequitur : « Pax in cœlo. »

« Hoc est, ait Theophyl., bellum antiquum, quo Deo adversabamur, evanuit : « Et gloria in excelsis, » laudantibus, scilicet Angelis Dei in tali reconciliatione. »

Gloriosum Sacerdotem ita laudat S. Paulus ad Coloss. I, 18-20. « Est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium primogenitus ex mortuis : ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare : et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. »

Eumdem Pontificem Angeli cantarunt in Nativitate : « Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. »

Quam « pacem hominibus » Menochius interpretatur juxta, sensum S. Pauli ad Colossenses, id est : « In terra pax hominibus bonæ voluntatis Divinæ, et beneplaciti Divini, id est, pax hominibus quos Deus amat, et jam gratos habet, et in quibus sibi complacet. »

Et sic « pax in terra » cantata ab angelis, est « pax in cœlo » cantata ab hominibus in ingressu Jesu in Jerusalem : nam ut interpretatur Theophyl. « Pax in Cœlo, » nostram cum Deo reconciliationem laudat.

(V. 39, 40.) Murmurantibus Pharisæis de discipulis Domini laudem cantantibus Jesus ait : « Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. »

Ambr. « Neque etiam mirum est si laudes Domini contra naturam suam saxa respondeant.... quia obmutescentibus Judæis post Domini passionem, vivi erant secundum Petrum lapides clamaturi (I Petr. II, 5.) :

« Et ipsi tanquam lapides vivi, sacerdotium sanctum. »

V. 41-44. *Flet super Jerusalem misericordissima Victima : simul ut futurus Rex Justitiæ ejus eversionem prædicit.*

Ipsa Victima sacerdotalis eadem misericordia motus antea suasit Judæis, (*Luc. XII*, 58, 59.) ut « cum tenderent cum adversario suo ad Principem, in via darent operam liberari

ab illo, ne forte traherentur ad Judicem, et Judex traderet illos exactori, et exactor mitteret in carcerem : unde non exibunt donec etiam novissimum minutum reddant. »

Nunc autem hic super Jerusalem flens ait :

(*V.* 42.) « Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi ! nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. »

V. 45-48. *Sacerdos ejicit ementes et vendentes de templo : In quo quotidie docet.*

Cyril. (Catena græc. patrum.) « Jam aderat tempus desinendi umbram, refulgendi vero Christi veritatem : ob hoc Christus qui cum Patre simul colebatur in templo, jussit ritus corrigi legis, fieri vero templum orationis domum. »

(*V.* 47, 48.) Mundato templo, in eo quotidie docet, bonus Sacerdos : Principes sacerdotum et Scribæ quærunt eum perdere ; « et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum. » Mire apud Lucam dicitur Sacerdos quotidie docere ad ruinam illorum qui nolunt requirere legem de ore ejus : et ad salutem eorum qui ad os ejus suspensi audiunt verba vitæ æternæ.

C. XX.

In hoc capite Lucas tradit aliqua sibi cum Matthæo et Marco communia : quo sensu hoc fit apud Matthæum exposuimus. (*Matth. XXI, XXII. Marc. XI, XII.*)

(*V.* 1-8.) In qua potestate Jesus agat ? in qua Joannes ?

(*V.* 9-16.) Coloni vineæ qui occidunt hæredem.

(*V.* 17, 18.) Petra angularis rejecta.

(*V.* 19-26.) Deus et Cæsar.

(*V.* 27-40.) Resurrectio mortuorum et Vita angelica.

(*V.* 41-44.) Jesus-Christus filius et simul Dominus Davidis.

(*V.* 45-47.) Præmonet discipulos contra Scribas : quorum superbiam et cupiditatem objurgat.

C. XXI.

(*V.* 1-4.) Vidua dans de sua indigentia.

Est commune Lucæ et Marco apud quem sensum mysticum annotavimus. (*Marc. XII.*)

(*V.* 5-35.) Templi et Jerusalem subversio prædicta, cum signis præcurrentibus finem mundi.

(*V.* 36.) Vigilandum et orandum.

(*V.* 37, 38.) Concursus in templum ad audiendum Salvatorem.

Inter multa communia circa templum, Jerusalem et finem mundi in Matthæo XXIV, Marco XIII et Luca ; aliqua specialia in Luca notantur :

(*V.* 24.) « Et cadent in ore gladii : et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus : donec impleantur tempora nationum. »

Jesus Victima sacerdotalis magis explicite prædicit ruinam Jerusalem et populi sui ; quia vindicta magis spectabit ad Sacerdotem in æternum, Regem justitiæ, postquam factus fuerit adversarius eorum qui cum eo noluerunt pacem habere in via. (*Luc. XII*, 58.)

Noluerunt cognovisse quæ ad pacem sibi erant in die propitiationis. (*Luc. XIX*, 42.)

Ut prædictio calamitatum Jerusalem terribilis fuit, sic ab hostia salutari prædicitur misericordia quam in electos in fine laborum exercebit. Ait enim :

(*V.* 28.) « His fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra : quoniam appropinquat redemptio vestra. »

Regem Pacis æternæ fiducialiter et gaudenter electi expectent. Ita Greg. (in homil. 1.) :

« Quia præmissa contra reprobos dicta sunt, mox ad electorum consolationem verba vertuntur. Ac si dicat : cum plagæ mundi crebrescunt, levate capita, id est, exhilarate corda ; quia dum finitur mundus, cujus amici non estis, prope fit redemptio quam quæsistis. »

(*V.* 37, 38.) De concursu populi in templo ad audiendum Salvatorem, ait Cyril. « Quia vero eloquium ejus in potes-

tate erat, et potestative transferebat in spiritualem cultum quæ per Moysen et prophetas tradita fuerant in figuris, populus eum avidius audiebat. »

C. XXII.

(*V.* 1, 2.) « Appropinquabat autem dies festus azymorum qui dicitur Pascha ; et quærebant principes sacerdotum et Scribæ, quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem. »

Chrys. « Umbra nostrorum fuerunt festa Judaica : et ideo si quæsieris a Judæo de pascha et azymis, nihil magni proferet, commemorans liberationem ab Ægypto. Si quis autem a me quæsierit, non audiet Ægyptum et Pharaonem, sed absolutionem erroris et tenebrarum diaboli, non per Moysen, sed per Filium Dei. » Glos. « Ad cujus passionem accedens enarrandam Evangelista, præmittit de figura. »

V. 3-6. *Pactum Judæ.*

(*V.* 3.) « Intravit autem satanas in Judam. »

Beda. « Non est autem huic contrarium quod dicit Joannes, « post buccellam » intrasse in eum satanam : quia nunc intravit, ut quasi alienum tentaret, tunc autem quasi proprium, ad quæcumque vellet agenda traheret. »

V. 7-18. *Vetus Pascha.*

(*V.* 7.) « Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. »

Titus Bostrens. « Ut nobis Dominus cœleste Pascha dimitteret, typicum manducavit, figuram removens, ut veritas locum obtineret. »

(*V.* 8-13.) Mittit Jesus Petrum et Joannem ad parandum Pascha.

Beda. « Parant autem Pascha, ubi aquæ infertur amphora, quia tempus adest, quo veri Paschatis cultoribus typicus de limine auferatur cruor, et ad tollenda crimina vivifici fontis baptisma consecratur. »

(*V*. 14, 15.) « Et cum facta esset hora discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis : desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. »

Victima sacerdotalis etiam antea expressit vehemens desiderium immolandi verum Pascha, dicens : « Baptismo habeo baptizari : et quomodo coarctor usque dum perficiatur. » (*Luc. XII*, 50.)

Beda. « Desiderat ergo typicum Pascha cum discipulis manducare, et sic passionis suæ mundo mysteria declarare. Sic ergo Dominus legalis Paschæ approbator extitit, et hoc ad suæ dispensationis figuram docens pertinuisse, vetat ultro carnaliter exhiberi. » Unde dicit :

(*V*. 16.) « Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei » id est, nequaquam ultra Mosaicum Pascha celebrabo, donec in Ecclesia spiritualiter intellectum compleatur. Ipsa enim est regnum Dei, secundum illud : « Regnum Dei est intra vos. » (*Luc. XVII*, 21.) Ad vetus autem illud Pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet etiam aliud, quod subditur : (*v*. 17.) « Et accepto calice gratias egit, et dixit : accipite et dividite inter vos. »

Ob hoc gratias egit quia vetera transitura, et ventura fuerant omnia nova. Sequitur :

(*V*. 18.) « Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis donec Regnum Dei veniat. » Sicut supra typicum agni esum, sic et potum Paschæ negat se ultra gustaturum, donec ostensa gloria Regni Dei, fides mundi adveniat, ut per duo maxima legis edicta, escam scilicet et potum paschalem spiritualiter immutata, disceres omnia legis sacramenta ad spiritualem observantiam fuisse transferenda. »

Notandum est quod in Luca semper cum mira consonantia videmus rituale antiquum accuratius servari : Veteri sacerdotio et legi honor a Sacerdote Jesu debite defertur.

V. 19, 20. *Institutio Sanctissimæ Eucharistiæ.*

(*V*. 19.) Finitis Paschæ veteris solemniis, transiit ad novum, quod in suæ redemptionis memoriam Ecclesia frequen-

tare desiderat. Pro carne agni et sanguine, suæ carnis sanguinisque sacramentum in panis ac vini figura substituens, Sacerdos in æternum factus secundum ordinem Melchisedech.

Unde dicitur : « Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : hoc est corpus meum quod pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. »

Frangit ipse panem quem porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem, id est, passionem non sine sua sponte futuram. »

Ad fulciendum systema S. Augustini non omittendum est in hoc loco testimonium Ecclesiæ, quo videmus clare apud S. Lucam, quod Sacerdos Magnus sacerdotes consecravit suos successores in oblatione sacrificii. Sic ait Tridentinum sess. XXIII de sacrificio Missæ, canon II : « Si quis dixerit, illis verbis : « Hoc facite in meam commemorationem, » Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes, offerrent corpus et sanguinem suum : anathema sit. »

(*V.* 20.) « Similiter et calicem postquam cænavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur. »

Notare possumus Jesum apud Lucam in institutione Eucharistica, magis directe discipulos respicere : ut in aliis locis hujus Evangelistæ consuevit facere : magis inter limites electorum ex Judæis coarctans se. Hic igitur dicit de sanctissimo corpore : « quod pro vobis datur. » De sacratissimo sanguine : « qui pro vobis effundetur. »

Apud Matthæum et Marcum Rex et Propheta futuram Ecclesiam per totum mundum regnaturam etiam insinuant : dicit enim Jesus ibidem, (*Matth. XXVI*, 28) de pretiosissimo sanguine : « qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Idem apud Marcum legimus (*XIV*, 24.)

V. 21, 22. *Annuntiat Jesus traditionem Judæ.*

V. 23-30. *Ambitiosos solatur Apostolos.*

(*V.* 21. 22.) Chrys. « Particeps existens mysteriorum conversus non est : fit enim scelus utique immanius, tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria, tum quia adiens melior factus non est, nec metu, nec beneficio, nec honore. »

(*V.* 23.) Beda. « Timentes fragilitatem suam quærunt (Apostoli) de peccato, cujus conscientiam non habent. »

(*V.* 24-27.) Post exemplum eximiæ bonitatis erga traditorem cui Victima sacerdotalis dedit amorose corpus et sanguinem suum : præbet et aliud exemplum patientiæ in tolerando mundanum Apostolorum spiritum : « Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major ? » Saginati Victimæ sanguine honores Apostoli anhelant : solus Lucas hujusmodi ambitionem in hoc loco refert. Victimæ sanguine sunt ab errore redimendi.

« Jesus gentilium meminit, ait Chrys., ut ex hoc rem vituperandam ostendat. Gentilium enim est ambire primatum. »

(*V.* 28-30.) Post mansuetam admonitionem consolatur Apostolos : quasi diceret : pro honoribus gentilium, quia « vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis : et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo ; et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. »

Beda. « Non enim inchoatio patientis, sed perseverantia cœlestis regni gloria donatur : quia perseverantiam quæ constantia, seu fortitudo mentis vocatur, dicimus esse cunctarum columnam virtutum. Filius ergo Dei secum permanentes in tentationibus æternum ducit ad regnum. « Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul et resurrectionis erimus. »

Recte a Victima sacerdotali perseverantia proponitur in tentationibus apud Lucam solum. Sic dixerat antea : « Verbum (veri discipuli) retinent et fructum afferunt in patientia. » (*VIII*, 15.)

Suavis nimium futura est merces, a sacerdotali Victima suis fidelibus imitatoribus concedenda !

Erunt ad instar Domini : 1° Reges pacis ! dicit enim: « Dispono vobis sicut disposuit mihi Pater regnum. »

2° Erunt reges justitiæ: nam dicitur : « Et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. »

3° Participes in æternum erunt convivii Eucharistici : nam addit : « Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. »

Mensa cœlestis a solo Sacerdote in Luca disponitur electis : ad Sacerdotem et Victimam primarie pertinet.

(Matthæi VIII, 11, occasione Centurionis, Jesus eam memorat.)

Pulcherrime Beda et Theophyl. hæc elucidant : « Hæc est enim immutatio dexteræ excelsi, ait Beda, ut qui nunc humiles gaudent ministrare conservis, tunc super Domini mensam, sublimes vitæ perpetuæ dapibus alantur. Et qui hic in tentationibus injuste judicati cum Domino permanent, illic cum eo super tentatores suos justi judices veniant. Unde sequitur : « Et sedentes super thronos judicantes duodecim tribus Israel. » Id est, ait Theophyl. « Condemnantes ex duodecim tribubus infideles. »

V. 31. 32. *Testamentum Sacerdotis victimæ in favorem Petri.*

Postquam Jesus allocutus est duodecim, speciale condit testamentum Simoni, qui Dominum suum per omnia tentandus, secuturus est tanquam summus sacerdos. Ita loquitur : « Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum : ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. »

Ita S. Leo M. « Ego rogavi pro te. » Devoti proleg. in Jus universum, cap. V. « Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinæ protectionis auxilio pariter indigebant ; quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere ; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. »

(*V.* 33.34). Protestatio Petri et renuntiationis prædictio. Hæc sunt quatuor Evangelistis communia.

V. 35-38. *Prædictio malorum instantium.*

Roganti Domino discipulos an adhucusque aliquid ipsis defuerit, dixerunt: « nihil. » Tunc prædicit illis mala instantia; sequelam docens sacerdotalis Victimæ.

Chrys. « In exordiis quidem præsto in cunctis eis aderat, parans eis abundanter affluentiam omnium. »

Calmet. « Universus hic sermo, (35-38) jugis est allegoria: innuit solum, futurum ut quam primum fame, siti, egestate laboraturi sint, imo et ad mortem abripiendi; iisque in circumstantiis permittit illis, ut eam ingrediantur viam, quæ sibi prudentiam suggesserit, ut ex his periculis atque pœnis evadant: quin tamen antiquent ea præcepta nuper tradita, quibus illos docuerat, ut omnia cum patientia, et clementia ferrent, neque persequentibus se resisterent. Portendit mala quæ eis accident, eaque symbolice ut altius animos eorum pervadant. « (Ita antiqui et moderni Maldon. Luc. Brug...)

« Ecce duo gladii. » (*v.* 38.) Jesus non intenderat ideo loqui de defensione personali cum gladio; respondit: « satis est. » Differens in aliud tempus mentis suæ sensum aperire cum alia majoris momenti essent instantia.

V. 39-46. *Jesus in monte Olivarum cum discipulis.*

Beda. « Pulchre autem sui corporis mysterio imbutos in montem olivarum discipulos educit, ut omnes in morte sua baptizatos, sancti Spiritus charismate confirmandos esse designet. »

(*V.* 41-44.) Cum oraret Jesus, « Apparuit illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. »

Beda. « Creator suæ creaturæ non eguit præsidio, sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur. »

Apte sacerdotali Victimæ in Luca solatium ab Angelo ministratur. Reversus est enim adversarius qui « recessit ab illo ad tempus: » (*Luc. IV*, 13.) at ecce Angeli confortant in supremo agone, adversus satanam, Victimam immolandam.

« Et factus in agonia prolixius orabat: » In his simul et victimam et sacerdotem bene agnoscimus. Iterum in sequentibus victima elucet :

« Et factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. »

Aug. « Orans etiam cum sudore sanguineo Dominus, significabat de corpore suo toto, quod est Ecclesia manatura martyria. »

(*V.* 45, 46.) Beda. « Demonstrat autem Dominus consequenter, quia pro discipulis oraverat, quos monet orationum suarum vigilando et orando existere participes. »

V. 47-53. *Judas cum turba veniunt ad apprehendendum Jesum.*

(*V.* 48.) « Osculo Filium hominis tradis? »

Ambr. « Quia caro, non Divinitas comprehenditur. Illud tamen plus confutat ingratum, quod eum tradiderit : qui cum esset Dei Filius, propter nos Filium hominis esse voluisset. Quasi diceret ; propter te suscepi, ingrate, quod tradis hypocrita. »

(*V.* 49-51.) « Percussit unus ex illis servum principis sacerdotum. Respondens autem Jesus ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. »

Beda. « Nunquam pietatis suæ Dominus obliviscitur. Illi justo mortem inferunt. Iste persequentium vulnera sanat. »

O dulcis et misericors Victima Jesus !

(*V.* 52-53.) Increpat Jesus sacerdotum principes, et subdit: « sed hæc est hora vestra et potestas tenebrarum.

Cyrill. « Hæc potestas est tenebris data, id est, diabolo et Judæis insurgendi in Christum. »

Hæc hora fuit in Luca insinuata post tentationes in deser-

to: « diabolus recessit ab illo usque ad tempus. » (*Luc. IV*, 13.)

Evangelista sacerdotalis Victimæ magis in his insistit, quæ melius depingunt tum voluntarium sacrificium illius qui cuncta prævidit; tum impietatem diaboli et asseclarum ejus victimam innocentem sæve opprimentium.

V. 54-62. *Ducitur Jesus ad domum principis sacerdotum. Petri negationes ejusque pœnitentia.*

Aspectus misericordiæ in Petrum ad convertendum eum bene attribuitur a Luca Victimæ sacerdotali, agno qui tollit totius mundi peccata.

Ambr. « Quos Jesus respicit plorant peccata. » Hier. « Non enim poterat fieri ut in negationis tenebris permaneret, quem lux perspexerat mundi. »

S. Leo. « Cito itaque ad soliditatem rediit Petrus, tanquam recipiens fortitudinem, ut qui tunc in Christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret, sed constans permaneret. « Tu autem conversus, confirma fratres tuos. »

V. 63-71. *Jesus irridetur, blasphematur, et condemnatur.*

Sunt quatuor Evangeliis communia.

(*V.* 68.) Juxta Ill^mum^ Beelen, Jesus indirecte insinuat injustitiam judicum suorum: quibus nullatenus cordi est discere veritatem, sed victimam suam iræ immolare præconceptæ.

C. XXIII.

V. 1-5. *Accusatur Jesus coram Pilato.*

V. 6-12. *A Pilato mittitur ad Herodem.*

Sanctus Lucas solus tradit Jesum missum ad Herodem.

(*V.* 11.) Herodes « illusit indutum veste alba. »

Ambr. « Non otiosum quod veste alba induitur ab Herode,

immaculatæ tradens indicia passionis, quod Agnus Dei sine macula, cum gloria mundi peccata susciperet. »

Nonne etiam « Vestis alba » significat vestimentum lineum sacerdotis de quo Exodi XXIX, 5 legitur : « Indues Aaron vestimentis suis, id est linea tunica.... » Hoc videtur esse consonum interpretationi Ambrosianæ ; huic sancto Patri candida vestis indicia fert Agni immaculati, Sacerdotis et Victimæ qui sese innocentem pro nobis offert.

(*V.* 12.) « Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. » (Lucas solus hæc scripsit.)

In ludibriis Victimæ sanantur inimicitiæ !

Ambr. « In typo Herodis et Pilati, qui amici ex inimicis per Jesum-Christum facti sunt, et populi Israelis et populi gentilis figura servatur, quod per Domini passionem utriusque sit futura concordia. »

V. 13-16. *Pilatus declarat principibus sacerdotum quod nec ipse, nec Herodes invenerunt in Jesu causam.*

Sicut antea vidimus majus ludibrium commissum fuisse in Victimam : sic nunc majus testimonium ejus innocentiæ « in ore duorum » reperimus. Quo fit sacrificium pretiosius, atque immanius sacrilegium.

V. 17-26. *Barrabas Jesu præfertur. Judæis traditur Dominus. Simoni imponunt* (*v.* 26) « *crucem portare post Jesum.* »

« Crucem portare post Jesum, » bene indicat sequelam Jesu in via crucis. Ambr. « Non Judæus est qui crucem portat, sed alienigena atque peregrinus, nec præcedit, sed sequitur : juxta hoc quod scriptum est : « tollat crucem suam et sequatur me. »

V. 27-31. *Vetat Jesus mulieres super eum flere.*

« Sequebatur autem illum multa turba populi ac mulierum:

quæ plangebant ac lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me... »

Beda. « Jesus alloquens filias Jerusalem quasi omnibus dicit: si ego qui peccatum non feci, lignum vitæ appellatus, sine igne passionis a mundo non exeo, quid putas eos manere tormenti qui sunt fructibus vacui. »

Quæ Jesus in solo Luca hic dicit de sua passione, ipsum ut Victimam exhibent: quæ autem sunt ventura, prædicit tanquam « Rex Justitiæ. »

V. 32-43. *Jesus crucifigitur. Patiens et moriens misericordiam in inimicos exercet, latroni ignoscit.*

(*V.* 34.) « Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. » Sunt verba misericordis Victimæ in solo Luca prolata.

(*V.* 35-38.) Contumeliæ. Titulus crucis.

Sunt Evangelistis communia.

(*V.* 39-43.) Duo latrones: « Hodie mecum eris in paradiso. » Ipse Sacerdos et Victima propria morte paradisum aperit. Ejus misericordiam sanctus Ambrosius admiratur cum dicit: « Pulcherrimum autem datur affectandæ conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxetur. Cito ignoscit Dominus, quia cito ille convertitur: et uberior est gratia quam precatio; semper enim Dominus plus tribuit, quam rogatur: ille rogabat ut memor sui esset. De Domino autem sequitur: « Amen, dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. » Vita enim est esse cum Christo: et ubi Christus, ibi regnum. »

(*V.* 44, 45.) Tenebræ. Velum templi scissum.

(*V.* 46.) *Mors Christi.*

« Et clamans voce magna Jesus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens expiravit. »

Apud Lucam Victima sacerdotalis offerens seipsum æterno

Patri, proprium consummat sacrificium. S. Paulus ita loquitur de summo Pontifice Jesu: « Qui consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, appellatus a Deo pontifex secundum ordinem Melchisedech. » (Hebr. 5, 7-10.) Athanasius utrumque textum, tum Evangelii, tum S. Pauli, interpretatur: « Commendat enim Patri per se universos mortales in se vivificatos, nam sumus membra ejus, secundum illud Apostoli ad Galatas: « Omnes unum estis in Christo. »

Tria verba Christi apud Lucam propria sunt Sacerdotis: misericordiam ejus, sacrificii consummationem ejusque fructum bene demonstrant; ut ex sanctis Patribus didicimus.

(*V*. 47, 48.) Centurio. Turbæ « percutientes pectora sua revertebantur. » (*v*. 48.)

Hæc signa pœnitentiæ notavit solus Lucas. Videmus hic ad crucem initium pœnitentiæ postea prædicandæ ab Apostolis in Nomine Sacerdotis a mortuis redivivi: « Quoniam sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die: et prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. » (Cap. seq. *v*. 46, 47.)

Theophyl. « Nunc autem videtur effectum sortiri quod Dominus dixerat, « cum exaltatus fuero traham omnia ad meipsum. » Exaltatus namque in cruce attraxit latronem et Centurionem, sed et quosdam Judæorum de quibus *v*. 48 dicitur: « percutientes pectora sua revertebantur. »

Quo testimonio videmus Lucam plenius fructus sacrificii docuisse.

(*V*. 49-56.) Noti Jesu: sanctæ mulieres, Josephus ab Arimathæa. Sepultura.

Evangelistis communia hæc sunt.

C. XXIV.

V. 1-11. *Sanctæ mulieres ad sepulchrum. Angeli. Incredulitas Apostolorum.*

In Luca (*v*. 4) Angeli apparent stantes propter prælium a

Sacerdote initum. Sic Stephanus in suo martyrio vidit Ipsum Jesum stantem in cœlis. Angeli hic in Luca speciatim mulieres alloquuntur de passione Domini ; et de gloriosa resurrectione Sacerdotis in æternum eas admonent :

« Quid quæritis viventem cum mortuis ? Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, quum adhuc in Galilæa esset, dicens : quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi et die tertia resurgere. » (5-7.)

V. 12. Petrus « cucurrit ad monumentum. »

Aug. (de consens. Evang. Lib. III. cap. 25) credit hunc Petri cursum eumdem esse de quo in Joanne narratur : (XX, 3) sic etiam Ill^mus Beelen.

V. 13-35. Disciputi Emmaus.

Tota hæc historia quæ a solo Luca narratur mirabiliter personæ Sacerdotis convenit. Præsertim quæ a *v.* 25 ad 27 dicit Jesus de passione, et futura gloria ; interpretans in omnibus scripturis.

In fractione panis, in qua multi interpretes credunt Jesum dedisse sacratissimum corpus suum, memoriam sacrificii renovavit. Etiam fructum in cordibus discipuli Emmaus reportarunt, de instructionibus circa passionem, ut ipsi fatentur : « Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis scripturas ? » (*v.* 32.)

V. 36-49. Jesus apparet Apostolis.

(*V.* 36, 37.) « ... Stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : pax vobis : ego sum, nolite timere. Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. »

(*V.* 38.) « Et dixit eis : quid turbati estis et cogitationes ascendunt in corda vestra ? »

(*V.* 39.) « Videte manus meas, et pedes meos... » etc. Am-

brosius. « Consideremus autem quâ gratia secundum Joannem Apostoli crediderunt et gavisi sunt, secundum Lucam increduli redarguuntur? (apud Joannem XX, 19, 20 legitur: « Venit Jesus et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset ostendit eis latus et manus. Gavisi sunt autem discipuli viso Domino. ») Et videtur mihi Joannes, quasi Apostolus, majora et altiora tetigisse; hic (Lucas) humanis proxima: hic historico usus circuitu, ille compendio... Etsi in primo eos Lucas non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat. »

Conferentes sententiam S. Ambrosii cum idea generali S. Augustini, videmus quod in Joanne Divinitas Verbi Incarnati immediate tenebras dissipavit, et gaudium discipulis, « viso Domino, » procuravit.

In Luca quamvis Sacerdos in æternum, Rex Salem, pacem suam dederit, sicut in Joanne, primo instante suæ apparitionis, dicens: « Pax vobis! » attamen per aliquot momenta Sacerdos, in Luca, passus est Apostolos detineri in sacrâ humanitate quasi obtenebratos: ita ut non facile intellexerint humilem victimam per passionem jam intrasse in gloriam suam, et glorioso corpore gaudere. Et hoc est quod dicit V. Beda: « Discipuli noverant Christum vere esse hominem, cum quo tanto tempore fuerant conversati, sed postquam mortuus est, non credunt tertia die potuisse veram carnem de sepulchro resurgere. « Putant (ergo) se spiritum videre, » (*v.* 37.) quem emisit in passione. » Hoc cum sententia S. Ambrosii convenit, qui credit Joannem « altiora tetigisse. »

(*V.* 39.) « Videte manus meas et pedes quia ego ipse sum: palpate et videte: quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. »

In Luca ostendit manus et pedes: in Joanne autem (*Joan.* *XX*, 20) manus et latus. In his videtur idem mysterium, quod in præcedentibus, latere.

Apud Lucam apparet Victima facta in passione « Sacerdos in æternum. » De Victima autem dicitur: « Foderunt manus meas et pedes meos. » Sacerdos igitur horum veritatem membrorum demonstrat.

De Verbo incarnato quando apparebit in gloria, dicitur : « Videbunt in quem transfixerunt. » Gloria Domini tunc omnes illuminabit : nunc autem discipulos, per hanc gloriam, apparens eis, gaudio replevit.

In hac apparitione apud Lucam ad majorem humanitatis suæ confirmationem etiam Sacerdos comedit coram Apostolis (*v.* 41-43.) « et sumens reliquias dedit eis. » Joannes hæc omittit.

Beda interpretatur mysterium manducationis Jesu, in verba : « At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Ait Venerabilis : « Piscis assus quem Christus comedit, significat Christum passum : ipse enim latere dignatur in aquis generis humani. Capi voluit laqueo mortis nostræ, et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ, sed favus mellis nobis extitit in resurrectione. »

(*V.* 44-49.) Beda. « Postquam autem visus est et tactus, et manducavit ; ne in aliquo sensus humanos ludificasse videretur, mittit manus ad scripturas. « Et dixit ad illos : hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, et prophetis et Psalmis de me. » (*v.* 44.) « Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas. » (*v.* 45.)

Juxta illud Malachiæ : (*II,* 7.) « Labia enim sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. »

Sacerdos in *v.* 46 sensum aperit circa Victimæ suæ passionem et gloriam in morte partam :

« Et dixit eis : quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die. »

Tunc *v.* 47 fructum passionis communicandum omnibus per Apostolos imperat : « Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. »

Theo. « Non autem decebat amplius bipartitum esse genus humanum in Judæos et Gentiles. Et ideo ut omnes in unum venirent, mandavit incipere sermonem in Hierusalem, et ad gentes terminari. »

Beda. « Non solum quia credita sunt eis (Judæis) eloquia

Dei, et eorum est adoptio filiorum et gloria, (Animadvertimus per totum Evangelium Lucæ Sacerdotem hunc honorem Israeli tribuisse.) verum etiam ut gentes variis erroribus implicatæ, hoc maxime indicio divinæ pietatis ad spem venire provocentur quod eis qui Filium Dei crucifixerunt venia concedetur. »

(*V.* 48.) « Vos autem testes estis horum. »

Euseb. « Cum necesse est divinam vitam ducere, cujus opera vivida verbis consona ostenduntur, hæc quidem ministerio Apostolorum impleta sunt. »

(*V.* 49.) « Theophyl. « Consequenter ne turbati cogitarent, quomodo nos homines idiotæ testimonium perhibebimus gentibus et Judæis qui te occiderunt ? subjungit : « Et ego mittam promissum Patris mei in vos, » quod scilicet per Johelem, (*Il*, 28, 29,) promiserat dicens : « Effundam spiritum meum super omnem carnem... »

Chrys. « Sicut autem milites invasuros multos nemo dux exire sinit, donec armati sint, sic et discipulos ante Spiritûs descensum ad conflictum regredi non permittit. Unde subdit : « Vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. »

Theophyl. « Virtute ex alto, » id est, virtute non humana, sed cœlesti : nec dixit suscipiatis, sed « induamini, » integram tutelam spiritualis numinis indicans. » (catena aurea in Lucam.)

Ambr. « Consideremus autem quomodo secundum Joannem acceperint Spiritum sanctum, (*Joan XX*, 22,) hic autem in civitate jubentur « sedere quoadusque induantur virtute ex alto : » sed Spiritum sanctum illis undecim quasi perfectoribus insufflavit, et reliquis postea tribuendum promittit : vel iisdem ibi insufflavit, hic spopondit. Nec videtur esse contrarium, cum divisiones sint gratiarum : ergo aliam ibi insufflavit, hic aliam pollicetur. Ibi enim remittendorum gratia tributa est peccatorum, quod videtur esse augustius : et ideo insufflatur a Christo, ut credas Spiritum sanctum Christi, ut credas de Deo Spiritum : Deus enim solus peccata dimittit : Lucas autem linguarum gratiam describit effusam. »

In his verbis Ambrosii elucet differentia characteris Domini in Luca et in Joanne :

Verbum Dei in Joanne dat Spiritum sanctum ut de se procedentem. Vel ut ait S. Thomas : « auctoritative » ut Deus.

Summus Sacerdos in Luca promittit diversa charismata Spiritus sancti, ad fundandum per totum orbem Regnum crucis necessaria. »

Qua « Virtute ex alto » induti Apostoli et eorum in prælio successores, « Aspicient (fidenter) in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. » (*Hebr. XII,* **2**.)

V. 50-53. *Benedictio Jesu et Ascensio. Apostolorum reditus in Jerusalem.*

(*V.* 50.) « Eduxit autem eos foras in Bethaniam : et elevatis manibus suis benedixit eis. »

Theo. « Forsan vim conservativam influens eis usque ad adventum Spiritûs, et fortassis instruens nos, ut quoties recedimus, benedictionibus subditos Deo commendemus. »

(*V.* 51.) « Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum. »

Hic vere contemplamur Victimam sacerdotalem, qui « humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum.... (ut) omnis lingua confiteatur quia Dominus Jesus-Christus in gloria est Dei Patris. » (*Philipp. II,* 8-11.)

Theophyl. « Et Elias quoque videbatur quasi assumi in cœlum, sed Salvator ipse præcursor omnium ascendit in cœlum apparituras divino conspectui in sacro suo corpore, et jam nostra natura in Christo honoratur a qualibet virtute Angelica. »

Chrys. « Infima pars rationalis creaturæ homo erat, sed pedes effecti sunt caput, sublimati in regiam sedem in suo capite. »

(*V.* 52, 53.) « Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem

cum gaudio magno : et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen. »

Beda concludit abundans in sensu S. Augustini : « Attende, ait, quod Lucas inter quatuor animalia cœli designatus accipitur per vitulum, cujus victima qui in sacerdotium eligebantur initiari sunt jussi ; eo quod ipse sacerdotium Christi cæteris amplius exponendum suscepit, et Evangelium suum quod a ministerio templi per sacerdotium Zachariæ cœpit, in templi devotione complevit : et Apostolos ibi ministros novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude Dei et benedictione conclusit, ut in loco orationis, et inter laudum devotiones promissum Spiritus sancti adventum paratis cordibus expectent. »

Theo. « Quod nos imitantes in sancta vita semper degamus, laudantes et benedicentes Deum, cui est gloria et benedictio in sæcula. Amen. »

FINIS ANALYSIS MYSTICÆ
EVANGELII SECUNDUM LUCAM.

ANALYSIS MYSTICA

EVANGELII VERBI INCARNATI

SECUNDUM JOANNEM.

Aug. de cons. Evang. lib. I. cap. VI. 9. « Tres Evangelistæ (Matthæus, Marcus et Lucas) in his maximè occupati sunt quæ Christus in carne operatus est, et quæ præcepta mortalis vitæ exercendæ carnem portantibus tradidit. »

« At vero Joannes super nubila infirmitatis humanæ velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur. »

Idem lib. I. cap. IV. « Porro autem Joannes ipsam maxime Divinitatem Domini, quâ Patri est aqualis, intendit ; eamque præcipue suo Evangelio, quantùm inter homines sufficere credidit, commendare curavit. Itaque longe ab illis tribus superius fertur... unde acie mentis acutissimâ atque firmissimâ videret : In principio Verbum Deum, (*I*, 1.) apud Deum per quod facta sunt omnia ; et ipsum agnosceret carnem factum, (*I*, 14.) ut habitaret in nobis ; et quod acceperit carnem, non quod fuerit mutatus in carnem.

Nisi enim carnis assumptio, servatâ incommutabili Divinitate, facta esset, non diceretur : « Ego et Pater unum sumus. » (*Jo. X*, 30) Neque enim Pater et caro unum sunt... Et si qua alia sunt, quæ Christi Divinitatem qua

æqualis est Patri, rectè intelligentibus intiment, pœnè solus Joannes Evangelio suo posuit; tanquam de pectore ipsius Domini, super quod discumbere (*Jo. XIII*, 23.) in ejus convivio solitus erat, secretum Divinitatis ejus uberius et quodammodo familiarius biberit. »

C. I.

(*V.* 1-18.) Posteaquam S. Joannes Evangelista Divinitatem Verbi declaravit ejusque incarnationem; postquam exposuit beneficia quæ humano generi contulit, atque missionem Præcursoris Verbi Incarnati designavit, notum facit testimonium quod Baptista reddidit sacerdotibus et Levitis missis ab Jerosolymis rogantibus ipsum :

(*V.* 19-28.) « Tu quis es? ... ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? ... »

Calmet. Brug. Grot. et alii : « Credunt magnum Sanhedrin ad illum hos legatos misisse, illius quippe intererat de iis cognoscere, quæ ad prophetas, eorumque missionem spectabant. »

Hæc solemnitas sanè non sine ratione, vel mysterio fuit Joanni Evangelistæ reservata : apud illum specialiter erat honoranda Divinitas Salvatoris. Hi autem nuntii nomine Magni Sanhedrin jus exercebant examinandi an Joannes esset verè a Deo missus, ut ipse declarabat. Veniebant ab Jerosolymis quæ appelatur ab ipso Domino, « civitas regis magni. » (*Matth. V*, 35.)

Uti Lux vera illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, ita modo specialissimo voluit Verbum Caro factum, præsentiâ suâ illuminare Jerusalem. Ut prædixit Isaïas : « Surge, illuminare, Jerusalem : quia venit lumen tuum, et gloria Domini super te orta est. » (*Isaïas LX*, 1, etc.)

Virgini filiæ Sion Verbum Dei imprimis devotum est : ideo etiam in Evangelio Joannis Dominus Jesus personaliter gloriam suam in civitate sanctâ et in templo maximè manifestat.

Jerusalem divino splendore plena est : etenim est typus Ecclesiæ sanctæ Dei ; et ipsius cœli. Num mirum est quod vix extra Jerusalem Divinum Verbum in sublimitate gloriæ suæ appareat ? atque alibi magis in humilitate sacræ humanitatis sese manifestare voluerit ?

Interea testimonium Baptistæ in Joanne sacerdotibus et levitis redditum, vix differt ab ejus testimonio plebi dato in aliis tribus Evangelistis.

Et hoc evidenter propter eorum incredulitatem atque indignitatem factum est : nam Joannes Baptista sæpius apertissimè alibi testimonium reddidit Divinitati Messiæ, (*Joan. I,* 29, 34, 36 ; *III,* 31-36.) apud Joannem Evangelistam. « Venit enim in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, (*Joan. I,* 7.) ut omnes crederent per illum. » Hic autem venientibus ab Jerosolymis, jus divinum exercentibus solum dat testimonium obscurum, dicens :

« Ipse est qui post me venturus est, qui ante me factus est. » (*v.* 27.) Quasi jam illud Isaiæ verificans : « Excæcavit oculos eorum et induravit cor eorum... » (*Joann. XII, v.* 40.)

V. 29-51. *Testimonia Joannis de Jesu Divinitate. Vocatio quinque discipulorum.*

(*V.* 29.) « Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. » Ill^mus Beelen. « Rememorat prophetiam Isaïæ LIII, 6, 7, qui de Jesu dixerat : « Posuit Deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut agnus ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet et non aperiet os suum. »

Ille Agnus Dei, seu Victima destinata ad reconciliandum mundum cum Deo, tunc apparuerat in terris in personâ Jesu, et Baptista illum annuntiabat ibi præsentem populo tanquam eorum Salvatorem et Messiam olim a Deo promissum. Salus mundi, acquisita per meritum infinitum pertinet ad Verbum Incarnatum. Transiens inde Evangelista ad baptismum Christi, *v.* 32-34, refert ea quæ divinitùs in baptismo facta sunt, et

concludit verbis Baptistæ: « Et ego vidi, et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. » (*v.* 34.)

(*V.* 35, 36.) « Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. Et respiciens Jesum deambulantem, dixit: Ecce Agnus Dei. »

Alcuin. « Mystice autem stat Joannes, cessat lex, et venit Jesus, id est, gratia Evangelii, cui ipsa lex perhibet testimonium. Ambulat Jesus discipulos collecturus. Joanne perhibente testimonium quia Jesus esset « Agnus Dei, » discipuli qui prius erant cum Joanne, magistri imperium implentes secuti sunt Jesum; unde dicitur:

(*V.* 37.) « Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. »

Deinde unus ex duobus Andreas adducit ad Dominum fratrem suum Simonem, quem intuitus Jesus, dixit:

(*V.* 42.) « Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas (quod est interpretatum Petrus.) »

(*V.* 43.) « In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum... » (*V.* 45.) « Invenit Philippus Nathanael... »

In vocatione Simonis et Nathanael possumus mirari secretam operationem Dei Verbi quâ homines providentialiter ducit ut decreta Dei viâ ordinariâ exequantur.

Vocatio quinque discipulorum hic in Judæa est quasi præparatoria, ad eam quæ postea facta est in Galilæâ, ita ut deinceps Dominum suum constanter Apostoli sequerentur. Hæc præparatio est etiam Actio Verbi Dei: nam « In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. » (*I.* 4.) Ill[mus] Beelen ait: « Per vitam hic significatur persona Divina Verbi, nominatus ipse Vita, ut causa vitæ existens, scilicet, vitæ supernaturalis, per quam homo coram Deo vivit. Et ita vita erat hominibus, vita supernaturalis et lumen quod corda illustrabat; supernaturalem vitam creans in omnibus qui eam lucem in se recipiebant. »

Hanc primam Verbi Divini gratiam quinque discipuli non rejecerunt: et ideo « dedit eis potestatem filios Dei fieri... (quia) non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati erant. » (*I.* 12, 13.)

C. II.

V. 1-11. *Nuptiæ Canæ in Galilæâ : aqua in vinum mutata.*

S. Aug., V. Beda, Alcuin opinantur maxima mysteria latere in præsentiâ Jesu ad nuptias, et in miraculo quod operatur mutando aquam in vinum :

Aug. « Quid autem mirum si in illam domum ad nuptias venit, qui in hunc mundum (per incarnationem) ad nuptias venit. »

Beda. « Apparente autem Domino in carne, vinosa legalis sensus suavitas paulatim cœperat ob carnalem Pharisæorum interpretationem a priscâ suâ virtute deficere. » Imo textus ait : « quod deficeret vinum. » (*v.* 3.)

Ideo impletæ fuerunt sex hydriæ aquâ. (*v.* 7.) Hanc aquam Jesus immutavit in vinum. (*v.* 8, 9.)

Tempus verum hujus miraculi operandi, juxta Augustinum, erat tempus passionis, in quâ vinum figurarum veteris legis, atque aquas vanarum purificationum Judæorum immutavit in optimum vinum gratiæ, « quod distulit ad ultimam mundi ætatem, » ait Alcuin.

Quia autem liberè ut Deus hoc miraculum, figuram passionis, volebat operari, matrem non agnovit, ait Aug. quare dixit, « quid mihi et tibi est mulier? » (*v.* 4.)

Attamen ut tenerrimum amorem erga Matrem sanctissimam manifestaret, honoravit illam coram omnibus miraculo, quod erat figura charitatis suæ ergà genus humanum. Omnem, ex parte suâ, Mater dat gloriam Filio, jubens ut ipsi obediant ac sic de plenitudine ejus omnes accipiant. (*v.* 5.) In hoc miraculo figurativo « manifestavit Verbum Incarnatum gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. » (*v.* 11.) Postea quando « venerit hora ejus » omnia trahet ad seipsum « et totus mundus post ipsum abibit. » Hic in figurâ habemus initium signorum Jesu, quibus usque in finem sæculi genus humanum adducet ad se, ut « credant in Nomine » Filii Dei.

(*V.* 12.) « Post hoc descendit Capharnaüm ipse et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus: et ibi manserunt non multis diebus. »

Hieron. « Capharnaum ager pœnitentiæ est, et significat mundum, in quem Verbum Patris descendit. »

Aug. « Hic est autem Dominus Deus noster ; excelsus, ut nos faceret ; humilis, ut nos reficeret ; ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina. Ecce habet matrem, habet fratres, habet et discipulos. »

V. Beda. « Non multis autem diebus ibi mansit, quia parvo in hoc mundo tempore cum hominibus conversatus est. » — Juxta hanc interpretationem hoc itinere in Capharnaum figurata est prædicatio Jesu in Galilæà de quà agunt cæteri Evangelistæ. Et in hoc sensu primum iter Jesu in Jerusalem, et ejectio vendentium e templo, figura est veræ ejectionis quæ fiet tempore passionis, quando templum figurarum immutabitur in Domum orationis « omnibus gentibus. »

Forsan hæc interpretatio mystica fit magis probabilis, si consideramus in Joanne Verbum incarnatum diversa præoccupare, quæ in sacræ humanitatis humilitate, juxta alios Evangelistas, postea exequitur, ut infrà videbimus.

V. 13-25. *Jesus in templo in Jerusalem.*

Tanquam Filius Dei hic actibus et verbis prædicit quæ fient tempore passionis ; mortem et resurrectionem prænuntiat et mediocrem fructum quem Judæi ex amore ejus referent. In his omnibus probat divinam libertatem quà propriam vitam hominibus tradet, ut eam iterum in sempiternum assumat.

(*V.* 15.) « Et quum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo... » Aug. « Et qui flagellandus erat ab eis prior illos flagellavit. »

Quibus eum ligarunt funiculis in passione, iisdem templum Judæorum ejusque figuras dissolvit in morte.

(*V.* 16.) ... « Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis. »

Palam se profitetur Filium Dei.

(*V.* 17.) « Recordati sunt verò discipuli ejus quia scriptum est : zelus domûs tuæ comedit me. »

Textus desumptus ex Ps. LXVIII ad tempus passionis bene refertur, nam legitur ibidem (*v.* 9, 10) : « Extraneus factus sum fratribus meis, et peregrinus filiis matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me : et opprobria exprobrantium ceciderunt super me. » Quæ verba Menochius interpretatur :

« Reddit rationem cur habitus sit tanquam extraneus, quia scilicet illum urebat et dolore afficiebat zelus domus Dei, non solum materialis, cum negotiatores e templo ejiciebat, sed multò magis spiritualis, id est congregationis fidelium quam multorum vitiorum fœditate inquinatam videbat. »

Sicut erat prædictum quod fieret extraneus fratribus suis, sic prævidet Verbum Dei incarnatum, parvum fructum passionis inter Judæos, et ideo dicitur (infra *v.* 24, 25) : « Ipse autem Jesus non credebat seipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat quid esset in homine. »

Calmet. « Sciebat humilitatem, passionem, crucem ac doctrinam suam illis scandali occasionem futuram. »

Chrys. « Scire ea quæ sunt in corde hominum, est Dei, qui solus corda plasmavit : non indigebat ergo testibus, ut propriorum plasmatum mentem addiscat.

(*V.* 19.) Sublimiter mortem et resurrectionem quasi præsentes Filius Dei fidenter annuntiat :

« Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud. »

Orig. « Ideo autem corpus Domini templum intelligitur, quia sicut templum gloriam Dei continebat habitantem in ipso, sic corpus Christi repræsentans Ecclesiam Unigenitum continet, qui est imago Dei, et gloria. »

(*V.* 22.) « Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturæ, et sermoni quem dixit Jesus. »

Menoch. « Crediderunt scripturæ » sacræ resurrectionem

Christi tradenti : Ps. XV : 10 « Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum... »

« Et sermoni » i e., verbis Christi de sua resurrectione.

C. III. AD C. IV, 3.

C. III. V. 1-21. Nicodemum nocte Jesus docet.

Jesus docet Nicodemum fructum futuræ passionis : qui renascenti in Baptismo ex aquâ et Spiritu sancto applicatur. « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » (*v.* 16.)

(*V.* 1, 2.) Chrys. « Nicodemus adhuc judaïcâ detinebatur infirmitate, propterea nocte venit trepidans in die hoc facere. Unde Evangelista alibi dicit : « Quoniam ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Judæos non confitebantur, ut non extra synagogam forent expulsi. » (Joan. XII, 42.)

Notandum est quod de hâc formidine Jesum confitendi solùm dicitur apud Joannem : sic timebant confiteri parentes cæci nati. (*Joan. IX*, 20-23.) Etiam post mortem Domini, clausæ erant fores domûs in quâ erant congregati discipuli propter metum Judæorum (*Jo. XX*, 19.). Et hoc ideo factum est quia peccatum propter quod Judæi Jesum condemnarunt, erat professio suæ propriæ Divinitatis : « Blasphemavit ! » Fides in Filium Dei erat petra scandali Judæis ; confessio igitur Filii Dei congruè tractatur ab Evangelista Verbi Incarnati. S. Aug. Præterea in hâc nocturna visitatione mysterium intelligit : « Nicodemus etiam ex illo numero erat qui crediderunt sed nondum renati sunt. Unde hoc ad rem pertinet quod nocte venit. Renati autem ex aquâ et Spiritu sancto audiunt ab Apostolo : « Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. » (*Eph. V*, 8.)

(*V.* 3.) « Respondit Jesus, et dixit ei : amen dico tibi nisi quis renatus fuerit denuo non potest videre regnum Dei. »

S. Aug. « Ego autem dico tibi, quod sive tu, sive alius quicumque, nisi ex Deo natus fuerit, non poterit apprehen-

dere gloriam quæ circa me est, sed extra regnum erit. Nam generatio quæ per baptismum fit, illuminationem animæ tribuit. »

(*V.* 4, 5.) Nicodemus ignorantiam velans tribuit verbis Jesu sensum quem ipse sciebat verum esse non posse: « Quomodo potest homo nasci, cum sit senex...? »

Jesus autem confirmat quod antea dixit, sed etiam declarat se non locutum esse de novâ nativitate ex patre et matre : « sed ex aquâ et Spiritu sancto. »

His verbis Domini intelligi sacramentum baptismi declaravit concilium Tridentinum.

(*V.* 6-8.) « Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu spiritus est... Spiritus ubi vult spirat..... Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. »

Haymo. « Talia autem ac tanta secreta mysteria Nicodemo capere non valenti, Dominus ex carnali nativitate similitudinem dedit : sicut enim caro carnem procreat, ita quoque spiritus parit. »

Ill^mus Beelen intelligit eodem modo, dicens hic nullatenus agi de peccato originali ut naturam corrumpente.

Altero exemplo venti declarat Spiritûs sancti liberam esse et invisibilem operationem in homine, ac si dicat, ait Haymo : « quisquis ex Spiritu nascitur invisibiliter nascitur. »

(*V.* 9-13.) Jesus reprehendit ignorantiam Nicodemi qui ex prophetis novisse debuerat quæ fierent tempore Messiæ. (*Ezech. XXXVI*, 25-28 ; *Zachar. XIII*, 1.) — Simul arguit Nicodemi et aliorum Judæorum incredulitatem. Ut Nicodemus veracitatem suæ doctrinæ admittat (*v.* 11, 13), asserit se non esse missum a Deo prophetam ordinarium sed ipsum Filium Dei verum. Pulchrè elucidat S. Aug. *v.* 13 : « Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo. » (de baptism. parv.) « Quamvis autem in terris factus sit Filius hominis, divinitatem tamen suam quâ in cœlo manens descendit ad terram, non indignam censuit nomine « Filii hominis ; » sicut carnem suam dignatus est nomine « Filii Dei : » per unitatem enim personæ quæ in utrâque substantia unus est Christus et Filius Dei, ambulat in terrâ ; et idem ipse Filius hominis manebat in cœlo. »

(*V.* 14-21.) Co ntinuat Salvator docens Nicodemum quod sine fide in ipsum est impossibilis hominum salus: et aliquatenus ipsi revelat mysterium salutis per m ortem suam in cruce.

S. Aug. Notat quomodo æqualiter salvat fides in Filium hominis in cruce exaltatum (*v.* 14, 15) et fides in Filium Dei (*v.* 16.). « Notandum vero est quod eadem de Filio unigenito replicat, quæ de Filio hominis in cruce exaltato præmiserat, dicens: « ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. » Quia idem redemptor et conditor noster Filius Dei ante sæcula existens, Filius hominis factus est in fine sæculorum, ut qui per Divinitatis suæ potentiam nos creaverat ad perfruendam beatitudinem perennis vitæ, ipse per fragilitatem humanitatis nos restauraret ad percipiendam quam perdidimus vitam. »

Et ideo « qui non credit jam judicatus est: » (*v.* 18.) nempè judicio pronuntiato in Adam et ejus progeniem.

(*V.* 19-21.) Exponit rationem perditionis et salutis: est adhæsio peccato, vel propositum virtutis practicandæ.

Nota. In Joanne Dominus docet de suâ passione, de salute mundi per eam procurandâ, de axiomatibus circa Divinitatem et sacram humanitatem suam, tam sublimia initio Apparitionis suæ, doctorem Judæorum, qualia in aliis Evangelistis nec ipsos Apostolos unquam docuit. Quod evidenter demonstrat scopum S. Joannis Evangelistæ totum diversum esse a scopo aliorum Evangelistarum, qui cum Christo secundum sacram humanitatem quodammodo gradiuntur in terrâ, ut Aug. ait. Nec omittendum est quod legimus *v.* 16 : « Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. »

In aliis locis Joannis multis, de charitate et amore Dei erga homines, quæstio est. (*XV*, 9, 12; *XVII*, 23, 24, 26 etc...)

Hæc propriè spectant ad Evangelistam Verbi Dei Unigeniti: nam legimus in I Epist. Joan. IV, 16 : « Nos cognovimus, et credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. *Deus charitas est :* et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo. »

(*V.* 22-26.) « Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judæam : et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. » (22.) Hic adjungendum est quod scribitur cap. IV, 2 (Quamquam Jesus non baptizaret ; sed discipuli ejus.)

Aug. « Verum est quia Jesus et baptizabat et non baptizabat. Baptizabat enim, quia ipse mundabat : non baptizabat quia ipse non tingebat. Præbebant discipuli ministerium corporis, præbebat ille adjutorium Majestatis. »

Notandum est quod Joannes in tribus aliis locis sui Evangelii hanc Divinitatis Majestatem insinuat : In distributione quinque panum, in inventione aselli, in gestatione crucis : apud Joannem hæc directe attribuuntur Domino, ut ab ipso solo facta ; quamvis ex aliis Evangelistis sciamus ipsum in duobus primis casibus ab Apostolis adjutum fuisse et in tertio a Simone Cyreneo. Mihi videntur ubique sancta Evangelia mysteriis abundare !

V. 27-36. *Testimonium Joannis de Jesu.*

Testimonium Joannis de Jesu coram discipulis suis (in versibus 31, 32, 36.) idem est, quod ipse Jesus de suâ Divinitate, et de salute in nomine ejus, et de damnatione incurrendâ ab incredulis, coram Nicodemo (*v.* 11, 13, 16, 18.) tradidit.

(*V.* 35.) « Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus. » Hæc verba interpretatur Ill^mus Beelen : « Jesus-Christus obtinuit ut homo, in tempore, ex amore et gratiâ, quod suum erat ab omni æternitate ut Deus existens. »

In Lucâ X, 22 dicit Jesus de seipso : « omnia mihi tradita sunt a Patre meo. » Hic induit etiam sacra humanitas dignitatem sacerdotalem. — Præterea in Matth. XI, 27, eadem verba quæ apud Lucam pronuntiat : et hic insuper induit sacra humanitas dignitatem regiam. — Quando post resurrectionem (*Matth. XXVIII*, 18) dicit : « Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra ; » juxta interpretationem Ill^mi Beelen quam in loco retulimus : « loquitur de potestate, quam obtinuit ut Salvator generis humani ob adimpletum

opus redemptionis. » Est proprie victoria Regis: « Vicit Leo de tribu Juda ! »

(*V.* 32.) « Et quod vidit et audivit hoc testatur : et testimonium ejus nemo accipit. »

Ut Joannes propter defectum fidei discipulos increpat : ita etiam Jesus Nicodemum increpavit, dicens : « Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. » (*v.* 11.)

Apud cæteros Evangelistas vidimus quam parva fuit fides discipulorum Joannis etiam post alterum annum et amplius; quando scandalizati erant de Apostolis quia non servabant jejunia Pharisaica ; et etiam quando Joannes Baptista, ut finaliter Domino adhærerent, eos misit ad eum rogantes : « Num tu es qui venturus es, an alium expectamus ? »

Nota. De fide in Joanne sæpius dicitur : sed hic est fides specialissima in Filium Dei. Apud Marcum Doctor cœlestis magis inculcat fidem revelationi Evangelicæ in generali.

C. IV. 1-3. *Discedit Jesus a Judæâ ob vulgatam famam baptismi sui ápud Pharisæos : « et abiit iterum in Galilæam. »*

Chrys. « Postquam ostendit Evangelista qualiter Joannes repressit discipulorum suorum invidiam quam de profectu doctrinæ Christi conceperant, hic ostendit quomodo Christus declinavit Pharisæorum malitiam, qui contra ipsum ex eâdem causâ zelo invidiæ movebantur. »

(*V.* 2.) « Quamquam Jesus non baptizabat sed discipuli ejus. » Alcuin. « Solet autem quæri, si in baptismo discipulorum Christi Spiritus sanctus daretur : cum dicatur, Spiritus sanctus nondum erat datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Sed sciendum, quod dabatur Spiritus, licet non eâ manifestatione, quâ post ascensionem in linguis igneis datus est : quia sicut ipse Christus in homine quem gerebat, semper habebat Spiritum, sed tamen postea super ipsum baptizatum visibiliter descendit Spiritus in specie columbæ : sic ante manifestum et visibilem adventum Spiritûs sancti quicumque sancti eum latenter habere potuerunt. »

NOTA. In baptismo renascimur ex aquâ et Spiritu sancto, et fimus filii Dei adoptivi. Sed necessarium est ne remaneamus parvuli in fide, ut cum Apostolis postea induamur virtute ex alto : sicut sacerdos in æternum, Oriens ex alto in Lucâ promisit post resurrectionem : « Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » (*Luc. XXIV*, 49.)

In sermone post cænam sæpius et diverse loquitur Verbum Incarnatum, ante passionem, de Spiritu sancto mittendo ; inter alia dicit : « Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum Veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. » (*Joan. XV*, 26.)

De doctrinâ sacramentorum apud quatuor Evangelistas.

Doctrinæ fundamentali Baptismi quam hic Verbum incarnatum tradit apud Joannem, jungemus doctrinam vel institutionem aliorum sacramentorum apud diversos Evangelistas : sic apparebit, et in hâc materiâ, unumquemque secutum esse inspirationem particularem.

BAPTISMA.—In Baptismo renascimur « ex aquâ et Spiritu sancto ; » Spiritus sanctus ex Patre et Filio procedit : in Baptismo datur a Patre et Filio ut donum.

Regenerationis auctor est Spiritus sanctus, ita tamen, ut Pater et Filius non excludantur, quorum trium una est operatio. Renatus ex aquâ et Spiritu sancto, fit divinæ naturæ particeps, et filius Dei, atque ita jus habet ad Regnum Dei, cum sit spiritus, et Deo similis, quia Deus spiritus est.

Hanc divinam doctrinam docere proprium est Filii Dei, et ideo eam inspiravit Spiritus sanctus Joanni, Evangelistæ Verbi Incarnati. (*III*, 5-8.)

Præterea Baptisma quod Jesus suum nominat, (*III*, 22.) quamvis ministerium corporale adhiberent Apostoli ; (*IV*, 2) non aliud est quam Baptisma divinum quod auctoritative administrat Filius Dei præbens adjutorium majestatis, ut S. Augustinus loquitur.

Ipsam igitur regenerationem ex aquâ et Spiritu sancto docet Verbum Incarnatum apud Joannem.

Rex apud Matthæum explicitis verbis instituit ministerialiter legem Baptismi in novo Regno : « Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. » (*Matth. XXVIII*, 19.)

Cœlestis Doctor in Marco interpretatur legem Regni, docendo præcipuum effectum Baptismi, quem renati consequuntur : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : » (*Marc. XVI*, 16.)

Præterea memorat signa quæ credentes facient ut etiam fidem infidelibus communicent : (*ibid.* 17, 18.)

Confirmatio. — Confirmatio insinuatur in Lucâ : quia ipsa confert spiritum fortitudinis ad omnia propter fidem toleranda post Victimam sacerdotalem. Promittitur a Sacerdote in æternum postquam intravit in gloriam per passionem :

« Et ego mitto promissum Patris mei in vos : vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. » (*Luc. XXIV*, 49.)

Ipsa Victima sacerdotalis ante passionem promisit quasi primitias, seu aliquam plenitudinem hujus fortitudinis Petro et successoribus summis Pontificibus, ut exemplo et doctrinâ fidelibus et dignitatibus Ecclesiasticis fidenter præeant : « Confirma fratres tuos. » (*Luc. XXII*, 32.) « Confirma » in fide orthodoxa et reliquis ad salutem ducentibus ; quando satanas hostili incursu conabitur Ecclesiam et ejus fidem concutere et cribrare, ut frumentum agitatur cribro et vanno. Menochius.

Eucharistia. — Mysteria Eucharistica et divinam ejus doctrinam juste tradit Verbum Incarnatum. (*Joan. VI.*)

In Matth., Marco et Lucâ : Institutio traditur a Rege, a Prophetâ et a Sacerdote : dat Jesus corpus et sanguinem quasi cum suis gradiens in terra. Ministerialiter ut homo instituit sacramenta, ait S. Thomas. Sed Verbum Dei Incarnatum demonstrat quid fit in communione corporis et sanguinis Domini : « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam : et ego resuscitabo eum in

novissimo die... Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. » (*Joan. VI,* 55,57.)

Hic addiscimus participationem divinæ naturæ communicantibus concessam: tanto magis participationem Regali Sacerdotio Christi et ejus dignitati Prophetæ et Doctoris.

Pœnitentia. — Potestas remittendi peccata traditur a Dei Verbo : nec mirum siquidem mittit Spiritum sanctum a Patre Filioque procedentem, ut divinitùs peccata Apostoli remittere valeant : « nam solus Deus remittit peccata. » Ideo in Joan. XX, 22, 23 legimus : « Insufflavit, et dixit eis : accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. »

Ut Filius hominis in Matth., Marco et Lucâ Jesus ministerialiter peccata remittit: consequenter in dignitate Regia, Propheticâ et Sacerdotali, et ita proprio exemplo docuit theologiam sacramenti pœnitentiæ, tum sacerdotes illud administrantes, tum fideles illud recipientes.

Sacerdos ut Regem repræsentans debet judicare et obedientiam legi inculcare.

Ut Minister Prophetæ Doctoris debet instruere.

Ut Sacerdos fit medicus seu bonus Samaritanus qui novit vulnera pœnitentis curare.

Præterea cum Jesus in triplici dignitate humana semper per divinitatem suam præsit ac regat : et quia Deus charitas est, quæ facit ut filii Dei nominemur et simus : ideo etiam Sacerdos erit semper Pater pœnitentis, et dicet cum Jesu : « Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. » Hæc verba loquitur Jesus in Matthæo et Marco quia præsertim in novo testamento, quod est novum Regnum Christi, facti sumus filii Dei. Quod intimat Rex et ejus interpres Cœlestis Doctor. — In Luca Jesus dicit « homo » et non vocat eum filium : Victima enim ut repræsentatur in visione Ezechielis, remanet ad sinistram antiqui testamenti, (seu legis timoris) quod terminatur in ejus morte.

Unus Sacerdos in Lucâ insigne tradit exemplum misericordiæ suæ remittendo peccatrici multa peccata quoniam dilexit multum. (*Luc. VII.*)

In quo Ambrosius intelligit mysterium nascentis Ecclesiæ sub tutelâ Victimæ sacerdotalis in ipsâ synagogâ. Ait S. Pater : « In domo autem Pharisæi, id est in domo legis et Prophetarum, non Pharisæus, sed Ecclesia justificatur. » Vocavit eam « mulierem » ut paralyticum vocavit hominem.

Paralyticus autem ut vidimus alibi genus humanum repræsentat cui per Christum peccata remittuntur.

Extrema unctio. — Sacramentum extremæ unctionis fuit figuratum in Marco ut signum speciale curæ ægrotorum : gratiæ gratis datæ magis ad Doctorem pertinent, et ideo convenit hoc ab ejus Evangelista tractari. Ipsa extrema unctio remansit sacramentum fidei et simul gratiæ gratis datæ, quæ utraque ad Doctorem magis pertinent. De sacramento dicit Jac. V, 14, 15 : « Infirmatur quis in vobis... *et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus...* »

Sacerdotium. — Ut ipsum Concilium Tridentinum definivit, sacerdotium Jesus instituit his verbis : « Hoc facite in meam commemorationem. » Quæ verba profert solus Sacerdos in Lucâ ; Matthæus autem et Marcus omittunt. (*Luc. XXII*, 19.)

Matrimonium. — In novâ lege Rex ad unitatem reduxit matrimonium ; et cum ipso Rege eam legem promulgavit, imo in clariore luce posuit cœlestis Doctor : et ideo hæc materia tractatur in Evangeliis Matthæi et Marci. (*Matth. XIX*, *Marc. X*.) Obiter tangit Lucas XVI.

De Christiano Matrimonio egregie loquitur S. Paul. ad Ephesios, V, 22-33.

V. 4-42. Samaritana.

In figuris insinuat Filius Dei, fore ut in passione et morte sit « verè Salvator mundi, » sicuti profitentur ipsi Samaritani.

(*V.* 4-7.) Venit « juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. » Alcuin : « Prædium autem non tam Joseph, quam Christo arbitror derelictum cujus figuram Joseph portaverat,

quem verè sol adorat et luna, et omnes stellæ. Ad hoc prædium venit Dominus, ut Samaritani, qui hæreditatem sibi Patriarchæ Israel vendicare cupiebant, agnoscerent et converterentur ad Christum, qui est Patriarchæ legitimus hæres factus. »

« Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. »

Aug. « Iter autem ipsius est caro pro nobis assumpta : qui nempe ubique est, quo it, nisi ad nos veniret, nisi formam visibilis carnis assumeret : ideo fatigatus ab itinere, quid est aliud quam fatigatus in carne? »

« Hora erat quasi sexta. » Quando sedebat sitiens salutem mundi. Est hora quâ Filii Dei passio incepit, in quâ ipse clamavit « Sitio ! » — Ipsi Samaritanæ deinde manifestat quantum sitiat ejus salutem, dicens :

(*V.* 10.) « Si scires donum Dei, et quis est qui dicit tibi : da mihi bibere ; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. »

Aug. « Hæc mulier forma est Ecclesiæ non justificatæ, sed justificandæ. Pertinet autem ad imaginem rei, quod ab alienis venit. Samaritani nempe alienigenæ fuerunt, quamquam vicinas terras incolerent : ventura enim erat Ecclesia de gentibus et aliena a genere Judæorum. »

« Ostendit autem illi non se talem aquam petisse, qualem ipsa intellexerit : sed quia ipse sitiebat fidem ejus, eidem sitienti Spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim rectè intelligimus aquam vivam quod est donum Dei. »

(*V.* 13, 14.) Dominus docet hoc donum Dei, hanc aquam salire in vitam æternam.

(*V.* 15, 16.) Mulier instanter hanc aquam petit : Jesus proponit eam quoque communicare viro mulieris ; et ita pervenitur ad revelationem miserrimi status Samaritanæ, *v.* 17, 18, quæ dixit « Non habeo virum. Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum : quinque enim viros habuisti ; et nunc quem habes, non est tuus vir : hoc verè dixisti. »

Orig. « Ubi autem decebat confutari a Jesu putatum Sama-

ritanæ virum, non esse virum, nisi apud fontem Jacob? Potest enim intelligi, si vir animæ lex est, quod Samaritana secundum congruam acceptationem verborum legis, ritui infidelium tanquam viro illegitimo se subjiciebat. »

Juxta hanc expositionem quinque viri Samaritanæ sunt quinque libri Moysis ; quos adulteraverunt idololatria, quam tanquam sextum virum illegitimum Dominus mulieri exprobrat.

(*V.* 19-26.) Deinde quia mulier professa est se Dominum ut prophetam habere, Ipse exponit quomodo ex Judæis salus mundi exibit, et finaliter aperte declarat se esse Messiam dicens :

« Ego sum, qui loquor tecum. » (*v.* 26.)

De verâ adoratione Dei, in novo regno Messiæ, divine docet. (*v.* 21-24.)

(*V.* 27-42.) In reditu discipulorum docet eos futuram mundi salutem quam ad Jesum concurrentes proclamant Samaritani. « Scimus quia hic est verè Salvator mundi ! » (*v.* 42.)

Nota. (*V.* 8) « Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent. » In eorum reditu Jesus non curat illos cibos, sed docet instantem esse messem salutis populorum, ad quam ipsi mittendi sunt. Ipsa mulier cujus fidem et salutem sitiebat, oblita est aquæ naturalis, et etiam aquam vivam Spiritûs sancti suis communicavit.

Sancta igitur Ecclesia per passionem Domini, mittendo apostolos in mundum, salutem universalem ex ore populorum lætantium gestiens audiet. S. Chrys. hæc eloquenter interpretatur : « Vide qualiter confestim intellexerunt (Samaritani), quod orbem terrarum liberare venerat, et quod ad communem salutem veniens, non debebat in Judæis suam concludere providentiam, sed ubique terrarum seminare sermonem. Dicentes etiam quod est Salvator mundi, ostenderunt quod mundus perditus erat in magnis malis existens. Et quidem venerunt salvare prophetæ, et Angeli ; sed hic est verè Salvator, qui salutem tribuit, non solùm temporaneam sed æternam. Vide etiam qualiter audientes mulierem dubitanter dicentem, « numquid hic est Christus ? » non dixerunt

hi, quoniam nos suspicamur, sed « quoniam scimus. » Et non simpliciter, sed : « Quia hic est verè Salvator mundi. »

V. 43-54. Filius reguli curatur in Galilœâ.

Orig. « Mysticè autem per hoc quod Jesus bis in Galilæam accedit, binus Salvatoris adventus in mundum ostenditur : primus quidem misericordiæ, ut vino facto convivas exhilararet : secundus verò, ut filium reguli ad mortem pœnè deductum suscitet, id est, populum Judæorum, qui post plenitudinem gentium accedet salvandus in fine. » Quasi de media Galilæa gentium, ubi erat dispersus, in Ecclesiam adductus.

C. V.

Post figuratam prædictionem salutis mundi, non exceptis in fine sæculorum perfidis Judæis : incipit Dominus per partes docere quantum allaborare voluit saluti Israel : in ipsâ sanctâ civitate et in templo suam Divinitatem manifestans.

V. 1-16. Probatica piscina.

Curatur homo « triginta et octo annos habens in infirmitate suâ. » Hoc miraculum est figura spiritualis curæ electorum inter Judæos, ut sancti Patres interpretantur.

V. Beda. Bene piscina probatica fuisse describitur. Ille enim populus ovis nomine significatur, secundum illud Psalmi : « Nos populus tuus, et oves gregis tui. »

Aug. « Aqua ergo illa, id est, populus ille quinque libris Moysis tanquam quinque porticibus claudebatur : sed illi libri prodebant languidos, non sanabant. Lex enim peccatores convincebat, non absolvebat. »

V. Beda. « Denique multa genera languentium in eâdem jacuerunt : cæci scilicet qui scientiæ lumine carent : claudi, qui ad ea quæ jubentur implenda vires non habent : aridi, qui supernæ pinguedine dilectionis carent. »

Aug. « Venit autem Christus ad populum Judæorum, et faciendo magna, docendo utilia turbavit peccatores, id est, aquam præsentiâ suâ, et excitavit ad passionem suam, sed latens turbavit. « Si enim cognovissent nunquam Dominum

gloriæ crucifixissent. » Subito autem videbatur aqua turbata, et a quo turbabatur non videbatur. Descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in Domini passionem. Ibi sanabatur unus, significans Ecclesiæ unitatem: postea quisquis venerit non sanabatur: quia quisquis præter unitatem fuerit, sanari non poterit. »

(*V.* 13, 14.) A turba Judæorum, « constituta in hoc loco, » declinavit Jesus ut intraret in templum suum novæ Ecclesiæ, quam ejectis negotiatoribus, mundabit in passione et morte. « Postea invenit eum (populum ad se conversum) Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. » Non enim sufficit intrasse in Ecclesiam, sed in eâ oportet innocentiam servare, ne æterna damnatio ab impœnitentibus incurratur.

(*V.* 15.) Ideo conversi ex Judæis Jesum Salvatorem annuntiant populo suo: « Abiit ille homo, et nuntiavit Judæis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. »

(*V.* 16.) Sed reliquus populus medicum rejicit et renuit intrare in requiem Domini; juxta illud: « Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi semper hi errant corde. Ipsi vero non cognoverunt vias meas: quibus juravi, in irâ meâ, si introibunt in requiem meam. »

Notandum est Jesum hoc miraculum in sabbato fecisse, anno secundo ante passionem : si illos duos annos jungimus 38 annis hominis curati, obtinemus tempus verum, quando in morte Domini non amplius in figurâ, sed in veritate introibunt Judæi ad Jesum conversi in verum sabbatum, seu requiem Domini. Ast populus Judæorum non recipiet testimonium electorum suorum et ideo dicitur: (*v.* 16) « Propterea persequebantur Judæi Jesum, quia hoc faciebat in sabbato. » Usque ad propriam internecionem persequentur Jesum et sabbatismum Christianum in discipulis Domini.

(*V.* 17, 18.) « Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere: quia non solùm solvebat sabbatum, sed et Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. »

V. 19-47. Dominus usque in finem capitis suam Divinitatem asserit et provocat ad testimonium Patris, ad divina miracula, et ad testimonium Joannis, quamvis non indigeat testimonio humano; finaliter ad sacram scripturam.

Loquitur de suâ operatione cum Patre in conversione mortuorum spiritualiter : ipsi vocem ejus audient ; ut etiam illi « qui in monumentis sunt. » Filius Dei judicabit vivos et mortuos. (*v.* 21-29.)

In Matthæo ultimum judicium traditur regi exercendum quia Filius hominis est. (*C. XXV.*)

Etiam hic in Joanne *v.* 27. Sed hic in Joanne videmus Filium hominis esse simul verè Filium Dei, et ideo dicitur : « Nolite mirari hoc, quia venit hora, in quâ omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vere mala egerunt, in resurrectionem judicii. » (*v.* 28, 29.)

Deinde addit : (*v.* 30.) « Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico : et judicium meum justum est : quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. »

Menoch. « Sicut audio... » « Christum, quia Deus est, audire a Patre, est sapientiam ad judicandum unâ cum naturâ accipere a Patre eamdem quam habet Pater ; quâ homo, est sapientiam ad judicandum a Patre et a semetipso, quâ Deo, et Spiritu sancto accipere. » In *v.* 27 de Judicio quâ homo est, præmisit dicens : « Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. »

Nota. Totum ratiocinium Domini a *v.* 19-47 tendit ad demonstrandum Judæis, se venisse ut verum Messiam Filium Dei, Patri æqualem qui introducat populum suum in verum sabbatum, seu requiem Domini : nunc reddendo vitam gratiæ, et in fine mundi etiam vitam corporum ut possint « procedere in resurrectionem vitæ. » — Languido in figurâ operatus est quod vult omni populo communicare. Justam autem conditionem præscribit, scilicet : « Ut omnes honorificent

Filium, sicut honorificant Patrem: (etenim) qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui misit illum.» (*v.* 23.)

C. VI.

In multiplicatione quinque panum et in oratione subsequenti quâ tradit doctrinam fidei in Divinitatem suam, et doctrinam de sanctissima Eucharistia: Dominus populum suum admonet brevi transeundum esse de lege Mosaïcâ ejusque sacramentis, ad legem novi Testamenti, et ad divinissimum sacramentum gratiæ, corporis et sanguinis Filii Dei.

Adhucusque solus populus Judæorum erat a Deo inclusus in domo misericordiæ (Beth-hesda.) adjunctâ probaticæ piscinæ. Cæteræ gentes abierant in vias suas.

Quinque porticibus populus benedictionis ad piscinam veniebat: seu quinque Mosaïcæ legis libris ad Deum suum continuo in omni languore et ægritudine stimulabatur. Nunc autem dura cervice obstinatus, dilectus recalcitravit et noluit recipere illum qui a Deo missus fuit, ut ipse omnes languores et dolores populi tollat. Non credunt Moysi qui de ipso scripsit: « Si autem, ait Dominus, illius litteris non creditis: quomodo verbis meis credetis?» (*C. V.* 47.)

(*V.* 1-4.) Populum suum in pervicacia relinquens, secedit a « civitate Magni Regis.» Ideo dicitur: « Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis; et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem Jesus; et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha, dies festus Judæorum.»

Chrys. « Qualiter igitur non ascendit ad diem festum? Paulatim enim solvebat legem, occasionem capiens a Judaicâ nequitiâ.»

Theoph. « Quia enim Judæi eum persequebantur, occasionem recessus accipiens legem excludit; innuens observantibus quod veritate adveniente omnis cessat figura; et quod legibus non subjicitur, ut legalia festa perficeret; et vide quod hoc non erat festum Christi, sed Judæorum.»

V. 5-13. *Quinque panes.*

(Nota.) Deus in antiquo testamento dedit regionem uberem pane, melle et lacte fluentem. Sed in novo testamento Deus Rex spiritualis Israel, dat panem de cœlo verum, proprium Filium in frumentum electorum. — Ita divinitus transitum de gratiâ in gratiam Joannes signat.

Sensus mysticus transitionis legis Mosaïcæ ad novum testamentum apud Matthæum ex sanctis Patribus traditus fuit. Attamen aliqua addenda sunt quæ magis ad narrationem Joannis pertinent :

(*V.* 9.) « Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos. »

Aug. in Joan. « Puer autem qui ista habebat, fortè populus Israel erat, qui sensu puerili ea portabat, nec manducabat. Illa enim quæ portabat clausa onerabant, aperta pascebant. »

V. Beda. « Hordeacei » sunt panes : « Hordeum etiam pabulum est jumentorum, et cibus servorum, et lex vetus data est servis et jumentis, id est, carnalibus. Bene autem dicit Andreas : « Hæc quid sunt inter tantos ? » (*v.* 9.)

Quia lex vetus parum proficiebat, quousque Jesus eam suis manibus suscepit, id est, opere implevit, et eamdem spiritualiter intelligendam esse docuit, quia lex neminem ducebat ad perfectum.

Aug. super Joan. « Quia autem ignorantia populi erat in lege, propterea tentatio Domini ignorantiam discipuli demonstrabat, quando dixit ad Philippum : « Unde ememus panes ut manducent hi ? » (*v.* 5.)

(*V.* 14, 15.) Judæi non credunt transmutationi benedictionum temporalium in benedictiones spirituales. Volunt igitur facere Jesum Regem quia panem manducaverunt. Et quoniam nolunt eum agnoscere ut Regem populi sui verum, scilicet Deum suum : « Fugit iterum in montem ipse solus. »

Aug. « Erat autem Rex qui timebat fieri rex : nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret : semper quidem ille cum Patre regnat secundum quod

est Filius Dei. Prædixerunt autem prophetæ regnum ejus, quod modo colligitur, modo emitur sanguine Christi. Erit autem aliquando manifestum regnum ejus, quando erit aperta claritas sanctorum ejus post judicium ab eo factum. Discipuli autem et turbæ credentes in eum, putaverunt illum sic venisse ut jam regnaret. Hoc est velle rapere et facere eum regem. »

V. 16-21. *Transitus Maris.*

Mysticus sensus apud Matthæum ex sanctis Patribus etiam traditus fuit : sed et hic aliqua propria addenda sunt.

(*V.* 19.) « Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et proximum navi fieri et timuerunt. »

Aug. « Quinarius autem numerus ad legem pertinet, ipsi sunt quinque libri Moysi, ergo legem signat numerus vigesimus quintus.... Sed huic legi, antequam Evangelium veniret, deerat perfectio, quæ in senario numero comprehenditur. Ipsa ergo quinque per sex multiplicantur : ut lex per Evangelium impleatur ;... ad eos ergo qui legem implent, venit Jesus calcans fluctus, id est, omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnes altitudines sæculi premens : et tamen tantæ sunt tribulationes, ut etiam ipsi qui credunt in Jesum, expavescant, ne deficiant. »

(*V.* 20.) « Ille autem dixit eis : Ego sum, nolite timere. »

V. Beda. « Ut ostenderet se illum esse qui Moysi dixit, « Ego sum qui sum. » — In hoc loco propter Divinitatem miraculi Rex et Propheta apud Matthæum et Marcum eisdem verbis Deitatem manifestarunt. (*Matth. XIV, Marc. VI.*)

(*V.* 21.) « Voluerunt ergo accipere eum in navim ; et statim navis fuit ad terram in quam ibant. » Menoch. Quæ verba significare videntur Christum navigium non introisse. Sed etiam ingressus est, ut aiunt Matth. et Marcus ; et statim navis ad littus dilata est ; id est, velocissimè, et quasi momento temporis, cum tamen multùm maris restaret navigandum. »

Nota. Joannes annotavit, propter « Verbum », quod in fine miraculum factum est.

V. 22-59. *Turbæ Jesum quærentes. Jesu dissertatio de sua divinitate. De Eucharistia.*

Miracula quæ narrant Matthæus et Marcus, postquam Jesus ad terram Genesar venit, omittit Joannes, ut immediate habitam, postea in Capharnaum, orationem Domini ad turbas describat, quâ insistit ut eum credant esse Filium Dei Verum. In transitu ad Ecclesiam, omnia pendent a fide in Jesum ut Filium Dei : et ideo hoc Joannes juxta scopum suum particularem tractare debuit.

De miraculis hâc occasione narratis, apud Matthæum et Marcum, ita loquitur S. Hilarius, sicuti in loco notavimus : « Finitis legis temporibus, et ex Israel quinque millibus intra Ecclesiam collocatis, jam credentium populus occurrit, jam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos ægrotosque offerunt Domino. » — Joannes autem, ut hoc possibile fiat, nobis demonstrat Jesum ante omnia debuisse Divinitatem suam misero populo probare : et ex sequelâ sermonis Domini docemur quot retrogressi sunt, quia non crediderant in Divinitatem ejus : quæ est fundamentum omnium sacramentorum novæ legis : et imprimis mysterii sanctissimæ Eucharistiæ.

(*V.* 22-24.) Qui manducaverunt ex quinque panibus cum affectu carnali, remanserunt in loco ubi manducaverunt : (sensu carnali antiquæ legis detenti sunt) et videntes nec Jesum nec discipulos ibi adesse, « ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. » (*v.* 24.) (Aliæ naves quæ pervenerunt, ait Alcuin, sunt conventicula eorum qui quærunt quæ sua sunt et non quæ Jesu-Christi. Una autem navis est una Ecclesia.)

(*V.* 25.) « Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti ? »

Chrysostomus hic confirmat interpretationem præcedentem Alcuin, admirando sensum carnalem hujus populi :

« Dignum est, ait, et hinc conspicere facilem eorum mentem. Qui enim dicebant, « hic est propheta, » qui studebant « rapere et facere eum regem, » invenientes eum nihil tale consiliantur. »

(*V.* 26.) « Respondit eis Jesus... quæritis me,... quia manducastis. » « Quasi dicat, ait Aug., propter carnem me quæritis, non propter spiritum. »

(*V.* 27.) « Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet.... »

Chrys. « Post reprehensionem doctrinam adjungit, quasi dicat : vos escam exquiritis temporalem, ego autem corpora vestra nutrivi, ut per hoc exquireretis illam escam, quæ non temporaneam, sed æternam tribuit vitam... Seipsum autem insinuat istum cibum, ut ex sequentibus illuscescit : ac si dicat : quæritis me propter aliud, quærite me propter me. »

(*V.* 28, 29.) « Dixerunt ergo ad eum : quid faciemus ut operemur opera Dei ? Respondit Jesus et dixit eis : hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. »

(*V.* 30-51.) Jesus respondens quæstionibus malevolis et murmurationibus Judæorum, diversis modis astruit suam Divinitatem et petit fidem in eam, donec claudat his verbis dissertationem de suâ Divinitate : « Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi. (*v.* 51.) Si quis manducaverit ex hoc pane. vivet in æternum. » (*v.* 52 prima pars.)

Jam *v.* 35 dixit : « Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam. »

Chrys. « De reliquo Dominus in mysteriorum traditionem eos inducturus est : et primùm de Deitate suâ loquitur : unde dicitur : « Dixit autem Jesus : Ego sum panis vitæ : » neque enim hoc de corpore ejus dictum est. De illo enim in fine dicit : « Panis quem ego dabo, caro mea est. » (*v.* 52.) (Ill^mus^ Beelen etiam hunc versum de SS. Eucharistia interpretatur.) Sed interim de Divinitate loquitur. »

Theoph. « Non autem dixit : « Ego sum panis nutrimenti, » sed « vitæ, » quia enim cuncta mortificata erant, vivificat nos Christus per seipsum ; est autem panis non consuetæ vitæ, sed illius quæ morte non resecatur. Unde subditur :

« Qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet unquam. » Aug. « Utroque significatur æterna illa satietas, ubi nulla est egestas. » Ultima verba primæ partis quæ de Divinitate Domini tractat, ita leguntur : « Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. (*v.* 51.) Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : » (1ma pars est *v.* 52.)

Aug. « De cœlo descendit et manna. (De quâ quæstio fuit in præcedentibus.) Sed manna umbra erat, iste veritas est. »

Alcuin. « Est autem mea vita vivificans ; unde sequitur : « Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet, » non tantum in præsenti per fidem et justitiam, sed « in æternum. »

Sanctissima Eucharistia.

(*V.* 52 ultima pars.) « Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. »

Glos. Determinat consequenter Dominus quomodo se « Panem » dicat, non tantùm secundum Divinitatem quæ pascit omnia, sed etiam secundùm humanam naturam, quæ est assumpta a Verbo Dei ; cum subdit : « Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vitâ. »

V. Beda. « Hunc panem tunc Dominus dedit quando mysterium corporis et sanguinis sui discipulis tradidit, et quando semetipsum Deo Patri obtulit in arâ crucis.

Theoph. « In hoc quod dicit : « quem ego dabo, » potestatem suam demonstrat ; quod non sicut servus minor Patre crucifixus est, sed voluntariè ; nam etsi a Patre dari dicatur, tamen seipsum tradidit Ipse. Attende autem quod panis qui in mysteriis a nobis assumitur, non solùm figuram gerit carnis Christi, sed ipse est vera caro Christi : non enim dixit : « Panem quem ego dabo, figuram carnis meæ gerit, sed « caro mea est. » Transmutatur autem inenarrabilibus verbis iste panis per mysticam benedictionem et inhabitationem Spiritus sancti in carnem Christi. Sed quare non videmus carnem ? quia si caro videretur, horror nos in ejus assumptione invaderet. Unde ut nostræ infirmitati condescendatur, talis nobis videtur mysticus cibus secundum quod nostræ

consuetudini competebat. Pro mundi autem vitâ carnem suam tradidit, quia moriendo mortem solvit. Ego etiam intelligo « pro mundi vitâ, » resurrectionem : nam Domini mors universalem resurrectionem toti generi humano ministravit ; fortè autem et vitam quæ in sanctificatione et beatificatione consistit et spiritu, « mundi vitam, » dixit : quamvis enim non omnes susceperint vitam quæ est in sanctificatione et spiritu, tamen Dominus seipsum pro mundo tradidit, et (quantùm in eo est) totus mundus sanctificatur. »

(*V.* 53.) « Litigabant ergo Judæi ad invicem dicentes : Quomodo potest hic nobis suam carnem dare ad manducandum? »

Aug. « Quia Judæi panem concordiæ non intelligebant, ad invicem litigabant. »

(*V.* 54-59.) Inde Jesus occasionem desumit ut totum mysterium communionis carnis et sanguinis sui luculenter exponat.

(*V.* 60, 61.) « Hæc dixit in synagogâ docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, dixerunt : Durus est hic sermo, et quis potest eum audire ? »

Non admissâ Divinitate Christi, cætera omnia dogmata evanescebant : Incarnatio, passio Dei-Hominis libera, dulcissima et Sanctissima Eucharistia. Non restabat Judæis, ut ait V. Beda, nisi horrenda absurditas, « Quod Dominus particulatim carnem suam divideret, et eis ad manducandum daret. »

(*V.* 62, 63.) « Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis : hoc vos scandalizat? si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius ? »

Dominus revocat miseros ad primum punctum suæ Divinitatis credendum : si ipsum Deum credant qui ascendet super omnes cœlos « ubi prius erat, » in gloriâ Patris, unus cum Patre et Patri æqualis ; nulla difficultas erit in credendo Filium hominis, qui et Filius Dei est, posse dare carnem suam ad manducandum.

(Sic interpretantur Menochius et S. Chrysostomus.)

Menoch. « Quid ergo dicetis, cum me videritis in cœlum virtute propriâ ascendere? an non credetis tunc me Deum esse? ac verè sine arrogantiâ hæc dicere potuisse? tunc intelligetis potuisse carni suæ virtutem vivificandi dare, qui potuit eam immortalem in summo cœlo collocare. »

Chrys. « Non igitur discipulos in scandalum mittere volens hoc dicit, sed eorum scandalum solvere volens: nam dum æstimant eum de Joseph natum, non suscipiunt ea quæ dicebantur; qui vero credituri erant quia de cœlo descendit, et illuc ascendit, facilius attendunt his quæ dicebantur. »

Addit Aug. « Quid ergo vult quod ait: cum videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? » nisi ut intelligamus unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas?..... sic ergo erat Filius hominis in cœlo, quemadmodum Filius Dei erat in terrâ; Filius Dei in terrâ in suscepta carne, Filius hominis in cœlo in unitate personæ. »

(*V.* 64, 65.) « Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Sciebat enim.... »

De novo ad mentem revocat rationem fundamentalem quare non credant Doctrinæ Eucharisticæ: Divinitatem non admiserunt.

Chrys. « Dicens » quidam non credunt, « discipulos excepit; suam autem dignitatem ostendit, occulta revelans. »

Verba doctrinæ *v.* 64: « Spiritus est qui vivificat... » interpretatur Menoch. « Non omnino malè et imperite carnem vivificam esse negatis; nam caro mea per se sumpta non habet virtutem vivificandi; sed quia conjuncta est cum Verbo omnia vivificante, et ipsa tota vivifica facta est. »

Apud Ill[mum] Beelen sequelam, « Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt », interpretatur S. Cyrillus: « Quod dixi vobis de communione carnis, non debet intelligi de carne meâ solâ, sed de carne meâ cum spiritu vivificante, id est, unita Divinitati meæ. »

(*V.* 65, 66.) Ultima Jesu verba erant: « Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt..., propterea dixi vobis, quia nemo

potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. »

Chrys. « Dixit hoc ut suadeat eis quod Patrem ejus existiment Deum, et non Joseph. »

(*V.* 67.) « Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro : et jam non cum illo ambulabant. »

Ipsi justificant agendi rationem Jesu in Jerusalem, quando de ipso dictum est : « Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes. » (*II*, 24.)

(*V.* 68-70.) « Dixit ergo Jesus ad duodecim : numquid et vos vultis abire ? »

Chrys. « Petrus autem, fratrum amator, amicitiæ conservator, pro toto respondet collegio. « Domine, ad quem ibimus ? » Hoc autem verbum multæ est amicitiæ ostensivum, quia scilicet Christus eis honorabilior erat quam patres et matres. Deinde ut non viderentur hoc propterea dicere, quia non essent qui eos reciperent, subjungit : « Verba vitæ æternæ habes : » audiens enim magistrum dicentem quoniam « resuscitabo eum, et habebit vitam æternam, » ostendit se recordari eorum quæ dicta sunt verborum. Et Judæi quidem dicebant : « hic est filius Joseph ; » hic verò dicit : « Et nos credimus et cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei. »

Juste apud Joannem Petrus pro toto collegio Divinitatem Domini asserit dicendo : « Nos credidimus... » Super Divinitatem Christi construit totum ædificium unitatis Ecclesiæ princeps Apostolorum.

(*V.* 71, 72.) « Respondit eis Jesus : Nonne ego vos duodecim elegi : et ex vobis unus diabolus est ? Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem : hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim. »

Cæteri tres Evangelistæ nomina Apostolorum et electionem descripserunt. S. Joannes Evangelista Verbi solum memorat liberam et Divinam Apostolorum electionem : « Nonne ego vos duodecim elegi ? »

S. Aug. « Et ex vobis unus diabolus est : » — « Electus enim est iste, de quo nolente et nesciente magni aliquid boni fieret : sicut enim iniqui malè utuntur bonis operibus Dei, sic e contra Deus bene utitur malis operibus hominum.

Quid Juda pejus ? sed malo ejus bene usus est Dominus : tradi se pertulit, ut nos redimeret. »

Notandum est hic ut alibi Jesum Dei Verbum apud Joannem, circa traditionem Judæ præoccupare, quæ apud alios Evangelistas qui magis cum ipso juxta humanam naturam conversantur, solùm traduntur ipso passionis tempore.

C. VII.

Dies Festus Judæorum. Scenopegia.

Hoc festum per octo dies Judæi celebrabant.(*Levit. XXIII.*) Juxta mysticum sensum, quasi tres periodi in ipso notantur :

(*V.* 1-13.) 1° In primâ parte festi, umbra legalium sub Judaismo.

(*V.* 14-36.) 2° In « die festo mediante, » ipsa veritas, seu apparitio ipsius Domini.

(*V.* 37-39.) 3° « In novissimo autem die magno festivitatis » regnum Spiritus sancti in Ecclesia Christi : quod Cœlestium tabernaculorum exordium est, juxta illud Apoc. XXI, 3. « Et audivi vocem magnam de throno dicentem : « ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus. »

S. Aug. in Joannem, interpretans verba Evangelistæ : « Tunc et ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto, » (*v.* 10.) sic loquitur : « Ascendit autem non gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, et de festo æterno admonere. Quod quasi latenter ascendit, aliquid significare voluit : omnia enim quæ dicta sunt antiquo populo Israel, umbræ fuerunt futurorum. Omnia ergo quæ erant in figurâ, manifestantur in nobis. Ascendit ergo in occulto, figura enim erat ipsum esse in occulto. In ipso die festo Christus latebat, quia ipse dies festus Christi membra peregrinatura significabat. Ille enim est in tabernaculis qui se in mundo esse intelligit peregrinum. Scenopegia autem erat celebratio tabernaculorum. »

« Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum et docebat. » (*v.* 14.)

(*V.* 25, 26.) « Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis: nonne hic est, quem quærunt interficere? Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus? »

S. Aug. de novo in hæc verba mysterium scenopegiæ exponit, dicens: « Supra dictum est quod Dominus ideo velut occultè ascendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, cui potestas erat, ut non teneretur, sed ut significaret etiam in ipso die festo qui celebrabatur a Judæis, se occultari, et suum esse mysterium. Nunc autem apparet potestas quæ putabatur timiditas: loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbæ. Noverant enim quâ sævitiâ quærebatur, mirabantur quâ potentia non tenebatur. »

Ait autem Jesus: « Adhuc modicum tempus vobiscum sum. » (*v.* 33.) Chrys. « Quasi dicat: Etsi persequamini me, non tamen cessabo quæ sunt pro vobis dispensans, et ea docens quæ sunt ad salutem, et monens vos. »

« In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat.... flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. » (*v.* 37-39.)

De Spiritu sancto ejusque regno interpretatur S. Chrys. « Spiritus gratia cum in mentem intraverit et firmata fuerit. omni fonte magis manat; et neque deficit, neque evacuatur, neque stat: videbit quis utique hoc, ad sapientiam Stephani, ad Petri linguam, ad Pauli fluxum inspiciens: nihil enim eos detinebat, sed sicut flumina multo impetu delati, omnia secum trahentes abibant. »

Judæi adhærent umbræ Veteris Testamenti: Gentiles intrabunt in regnum Spiritus sancti. Fratres Jesu sunt figura Judæorum qui non credunt in eum, atque veritatem rejiciunt, figuras nudè retinentes: cupiunt gloriam ab invicem, et gloriam quæ a solo Deo est, non quærunt; ut Jesus dixit Pharisæis et Judæis in templo, (c. *V.* 44,) et ideo in Jesum credere non possunt. Volunt Judæi cum Jesu gloriâ frui

hujus mundi, et de sæculo futuro parum curare; hoc est quod fratres insinuant, dicentes: « Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, et quærit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. » (*v.* 3, 4.)

Et animadvertit Evangelista, quod « neque fratres ejus credebant in eum. » (*v.* 5.)

Jesus apparens ut veritatem umbræ substituat, omni zelo et conatu Judæos ad se adducere studet, docens eos se esse verum Messiam a Patre missum, quem solùm ut hominem noverunt, sed non ut Filium Dei. Ideo, adversarios palam confundens, in templo clamabat:

« Et me scitis et unde sim scitis: sed a meipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. » (*v.* 28.)

« Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit. » (*v.* 29.) Evangelista refert quem fructum apud electos Judæorum obtinet Dominus: « De turba autem multi crediderunt in eum. » (*v.* 31.)

Cæteri cum Pharisæis mente homicida oderunt Salvatorem suum. (*v.* 30, 32.) Et quia populus iste cum principibus sunt verè Deicidæ, ideo tam sæpè apud Joannem mentio fit de morte Deo Homini intentâ: Joannes enim est Evangelista Verbi Incarnati.

Admonet Jesus Judæos se brevi præsentiam suam ab eis ablaturum esse, et prædicit eorum exclusionem e regno cœlorum:

« Dixit ergo eis Jesus: adhuc modicum tempus vobiscum sum: et vado ad eum, qui me misit. Quæretis me, et non invenietis: et ubi ego sum, vos non potestis venire. » (*v.* 33, 34.)

Judæi in malitiâ obstinati non sese convertunt ad meliorem sensum, sed obcæcati salutem gentium cum propriâ derelictione prædicant. Regnum Spiritûs sancti fiet hæreditas gentium:

« Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos: quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus est gentes? quis est hic sermo

quem dixit : quæretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos non potestis venire. » (*v.* 35, 36.)

Aug. « Dixerat autem Dominus, « quo ego vado, » de sinu Patris. Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt, et tamen ex hac occasione salutem nostram prædixerunt quod Dominus iturus esset ad gentes, non præsentia corporis, sed tamen pedibus suis. Misit enim ad nos membra sua, et fecit nos membra sua. »

Sæpius emicat in hoc capite hæc veritas : « Et Verbum caro factum est. »

V. 40-53. *Dissentio inter Judæos propter sermonem Jesu.*

(*V.* 40-44.) Dissentio facta est in turba propter eum. « Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum : sed nemo misit super eum manus. » (*v.* 44.)

(*V.* 45-49.) Pontifices et Pharisæi reprehendunt milites quia non adduxerunt Jesum : et turbam credentem in eum maledictam declarant.

(*V.* 50, 51.) Nicodemus Jesum defendit : Jam dies in corde ejus incipit illucescere.

(*V.* 52.) E contra tenebræ crescunt in mente Pharisæorum : « Responderunt et dixerunt ei : numquid tu Galilæus es ? scrutare scripturas, et vide quia a Galilæa propheta non surgit. »

(*V.* 53.) « Et reversi sunt unusquisque in domum suam. » Alcuin. « Nullo perfecto negotio, vacui fide : et ideo fraudati utilitate ; sunt reversi in domum infidelitatis et impietatis suæ. » Ibique manebunt donec plenitudo gentium intraverit.

C. VIII.

V. 1-59. *Mulier adultera. Jesus lux mundi. Judæorum impietas.*

(*V.* 1, 2.) Dominus rediens e monte Olivarum, id est, e sublimitate divinæ pietatis : « Diluculo iterum venit in tem-

plum, » ut scilicet misericordiam cum incipiente novi testamenti lumine fidelibus in templo videlicet suo pandendam præbendamque signaret, ait Alcuin.

Quod enim diluculo redibat ortum novæ gratiæ designat.

« Et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. » V. Beda. « Significatur autem quod postquam per gratiam cœpit inhabitare in templo videlicet suo, id est in Ecclesiâ, ex omnibus gentibus crediderunt in eum. » — Juxta illud Ps. XLVI, 9 « Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. »

(V. 3.) Interea Scribæ et Pharisæi qui reversi erant in domum infidelitatis et impietatis suæ conantur « sedentem super sedem sanctam suam » malitia suâ disturbare, adducentes ad eum mulierem in adulterio deprehensam : « Et statuerunt eam in medio. »

Forsan mulier adultera est imago novæ Christi Ecclesiæ : ex publicanis et peccatoribus et meretricibus congregatæ ; ex abominationibus gentium ædificandæ. Hanc Pharisæi digito monstrant Domino quasi improperantes ei, qui amicus est publicanorum et peccatorum. Ast Jesus supercilium inimicorum in pulverem trahit, provocans ad propriam eorum conscientiam dicens : « qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. » (v. 7.)

Propheta Osee repræsentat Ecclesiam sub figurâ mulieris adulteræ.

(Osee II. v. 2.) « Judicate matrem vestram, judicate : quoniam ipsa non uxor mea, et ego non vir ejus, auferat fornicationes suas a facie suâ et adulteria sua de medio uberum suorum.... (v. 7.) Et sequetur amatores suos, et non apprehendet eos : et quæret eos, et non inveniet et dicet : vadam, et revertar ad virum meum priorem : quia bene mihi erat tunc magis quam nunc... (v. 14.) Propter hoc, ecce ego lactabo (alliciam) eam, et ducam eam in solitudinem : et loquar ad cor ejus... (v. 23, 24.) Et seminabo eam mihi in

terrâ, et miserebor ejus, quæ fuit absque misericordiâ. Et dicam non populo meo: populus meus es tu: et ipse dicet: Deus meus es tu. »

Juxta sanctum Augustinum Dominus scribens in terrâ significavit confusionem inimicorum suorum et misericordiam erga novum populum ad se ex toto corde conversum.

Quia Scribæ et Pharisæi tentabant eum, ut possent eum accusare, « Jesus inclinans se deorsum, digito scribebat in terrâ. » (*v*. 5, 6.)

Aug. « Tanquam illos tales in terrâ scribendos significaret, non in cœlo, ubi monuit discipulos, ut se scriptos esse gauderent. » Jeremias dixit: « (*XVII*, 13.) Recedentes a te in terra scribentur. »

(*V*. 7.) « Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. »

(*V*. 8.)« Et iterum inclinans se scribebat in terrâ. » Interim divinâ potentiâ percussit conscientiam eorum, et (*v*. 9.) « Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans (10.). Erigens autem se Jesus, dixit ei: mulier ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnavit? (*v*. 11.) Quæ dixit: nemo Domine. Dixit autem Jesus: nec ego te condemnabo: vade, et jam ampliùs noli peccare. »

Aug. « Relicti sunt autem duo: miseria et misericordia. » Dispersit Dominus superbos mente cordis sui. Miseræ autem et derelictæ dicit per os ejusdem prophetæ Osee: « Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, et vallem Achor ad aperiendam spem: et canet ibi juxta dies juventutis suæ, et juxta dies ascensionis suæ de terrâ Ægypti.... Et sponsabo te mihi in sempiternum: (ait Dominus.) Et sponsabo te mihi in justitiâ, et judicio et misericordiâ, et in miserationibus. Et sponsabo te mihi in fide: et scies quia ego Dominus. » (15, 19, 20.)

Cum igitur Dominus « iterum se inclinans scribebat in terrâ » (*v*. 8.), significare voluit: (August.) « Quod jam tempus esset, ut in terrâ quæ fructum daret (non in lapide sterili sicut antea) lex ejus conscriberetur. »

Notandum etiam est; quando Dominus post primam scriptionem erexit se, locutus est verba confusionis in inimicos: (*v.* 7.) E contra quando post secundam scriptionem erexit se, dixit mulieri verba misericordiæ (*v.* 10, 11.); quod est quasi adimpletio verborum Prophetæ: (suprà.) « Et seminabo eam mihi in terra, et miserebor ejus. » (*Osee, II*, 23.)

(*V.* 12.) Quod in figurâ mulieris adulteræ gessit, nunc aperte Dominus proclamat: « et dicit non populo suo: populus meus es tu. » A Verbo æterno jam diruitur murus separationis inter Judæos et gentiles: et ideo: « Iterum locutus est eis Jesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitæ. »

(*V.* 13-59.) Sequitur impiissima altercatio Judæorum ex quâ patet mulierem adulteram pervicaci populo esse præponendam: ipse Dominus condemnat superbos: « Dixit ergo iterum eis Jesus: ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. » (*v.* 21.)

Sed audiamus et deicidas: « Dicebant ergo Judæi: numquid interficiet seipsum, quia dixit: quo ego vado, vos non potestis venire? (*v.* 22.)

Dominus autem eis demonstrat, quod antea digito significavit: « quia recedentes a Deo, in terrâ scribentur: » ait enim: « Vos de deorsum estis; ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris: si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. » (*v.* 23, 24.)

Ex *v.* 59 videmus quia non crediderunt, nam « Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. »

Juxta Aug. et Greg. abscondendo se Dominus confirmat propria verba: « moriemini in peccato vestro. »

Aug. « Tanquam homo a lapidibus fugit, sed væ illis a quorum lapideis cordibus Deus fugit. »

Greg. « Quid autem abscondendo se Dominus significat,

nisi quod eis Ipsa Veritas absconditur, qui ejus verba sequi contemnunt. »

C. IX.

V. 1-41, *Cæcus natus.*

Quod Jesus proclamavit in capite præcedenti, nunc miraculo confirmat, etiam declarans verbis : « Quamdiu sum in mundo, lux mundi sum. » (*IX*, 5.)

Est « cæcus natus » figura mundi in cæcitate spirituali conversantis. In conclusione capitis docet Filius Dei, ut in capite præcedenti, Judæos non fore luminis divini participes :

« Et dixit Jesus : (cæco nato procidenti et adoranti eum) In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. » (*v.* 37-39.)

Et Pharisæis rogantibus : « Numquid et nos cæci sumus? dixit eis Jesus : si cæci essetis non haberetis peccatum : nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet. » (*v.* 40, 41.) Quo sensu in capite præcedenti eis dixit : « In peccato vestro moriemini. » (*v.* 24.)

(*V.* 1-7). « Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate. »

V. Beda. « Mystice autem postquam expulsus est de cordibus Judæorum, mox transivit ad gentilium populum. Præterire autem hujus vel iter facere, est de cœlis in terram descendere. Itaque vidit cæcum cum misericorditer respexit genus humanum. »

Aug. « Genus autem humanum est iste cæcus : hæc enim cæcitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus : cæcus est ergo a nativitate. »

(*V.* 6.) Ad reddendum visum « cæco nato » « Jesus expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos ejus. »

Menoch. « Non quod lutum quidquid per se efficere posset ad illuminandum cæcum, sed ut eo facto se Deum ostenderet.

Ut enim figulus, si vas quod habet in manibus confringatur, ex eodem luto illud reparat; ita qui hominem fecerat ex luto per lutum eum reparat, reddens ei quod deerat. »

(*V.* 7.) « Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, et lavit, et venit videns. » — Menoch. Non putavit Evangelista omittendam esse « Siloë » interpretationem, quia vidit ibi latere mysterium, nempe per Christum missum a Patre illuminandum esse cæcum, id est, genus humanum per fidem et baptismum.

Aug. « Quod interpretatur Missus : nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus. »

(*V.* 14.) Notat Evangelista : « Erat autem sabbatum quando lutum fecit Jesus, et aperuit oculos ejus. »

Introduxit videntem in requiem Domini ! et iterum juravit obstinatis Judæis : « si introibunt in requiem ejus ! » — « Nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet ! » (*v.* 41.)

(*V.* 15-34.) Miramur obstinationem et impietatem Pharisæorum, qui per omnia media propriæ cæcitati augendæ allaborant ; etiam « maledixerunt » cæco nato « et dixerunt : Tu discipulus illius sis : nos autem Moysi discipuli sumus. » (*v.* 28.) Et ita factum est : genus humanum post Jesum abiit, et ille Moyses cujus se discipulos profitentur Judæi : ille, ait ipse Dominus, non ego, « accusat vos apud Patrem, ille Moyses, in quo speratis. » (*Joan. V,* 45.)

(*V.* 33, 34.) Signant propriam reprobationem, excommunicantes genus humanum qui in cæco nato agnovit Salvatorem suum a Deo missum. Ait ènim cæcus :

« Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam. Responderunt et dixerunt ei : in peccatis natus es totus, et tu doces nos ! et ejecerunt eum foras. »

(*V.* 35-41.) Ejectum a Judæis invenit Jesus et suscepit eum. Jam sic insinuatur integra separatio Ecclesiæ Christi ab antiquâ synagogâ, quæ remanebit, ut capite sequenti videbimus, proprietas latronum et mercenariorum : « Qui non veniunt nisi ut furentur, et mactent, et perdant. » (*X,* 10.)

C. X.

(*V.* 1-21.) Menoch. « Ne dicerent Pharisæi : non propter nostram cæcitatem ad te non venimus, sed quia deceptor es, et aliena a veritate doces ; ostendit in hoc capite se non esse deceptorem, sed pastorem, et omnium hominum salutem quærere. Docet etiam Pharisæos, et alios nonnullos qui eos præcesserant, non esse pastores populi, sed latrones et occisores, et quid causæ sit quod Pharisæi sibi non credant. »

Allioli. Hoc caput intimè cum præcedenti cohæret. Pharisæi excommunicaverant cæcum, qui in Jesum credebat, (*IX*, 34.) et hoc facto sese malos pastores exhibuerant, qui quominus bonas oves adunent et protegant, dispergunt et mactant. Inde Jesus desumit occasionem, tradendi similitudinem ovilis et boni pastoris. In hac autem similitudine (parabolâ) ovile est Ecclesia Dei ; hujus Dominus est Deus Pater ; porta Christus, in quantùm per ipsum, ut Filium Dei accessum habemus ad Patrem et etiam ad Ecclesiam suam : ostiarius est Spiritus Sanctus, (sic et Aug.) in quantùm Christo corda præparat ; pastor etiam Jesum-Christum significat et omnes bonos Doctores ; latro autem falsos doctores et malos animarum pastores. Quod prius sese Christus portam ovilis nominet (*v.* 7), et postea Pastorem (*v.* 11.), qui intrat per portam (*v.* 2), est omninò naturale, quia Verbum caro factum, est simul veritas æterna et Doctor veritatis ; et ideo porta et pastor. Porta in quantùm est veritas per quam itur ad Patrem; Pastor in quantùm juxta hanc veritatem docet et ducit. Hæc parabola prius pastores spectat, sed etiam secundario fideles : quod ipse Christus aliquatenus insinuat (*v.* 7.) « Amen, amen, dico vobis, quia ego sum ostium ovium, » e. q. Ego sum via per quam unusquisque in Regnum Dei intrare debet, sive fidelis, sive Doctor aut Pastor. Si quis in viâ meâ ad Deum et ad Ecclesiam tendit, salutem obtinebit, et satiabitur. (*v.* 9.) (« Ingredi et egredi » imago est conversationis in Ecclesiâ. Hæc verba prius spectant fideles, attamen etiam pastores, quia et ipsi sunt oves Christi supremi Pastoris.) Bonus Pastor

Jesus monstrat quanta affectio existit inter oves et pastorem, dicens : « sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem, » sic « cognoscunt me meæ. » (*v.* 14, 15.)

Illmus Beelen. Sensus est : Ut Pater amat me, sic amo oves meas ; et ut amo Patrem, sic amor ab ovibus. Maximum signum suæ dilectionis addit prædicens mortem propitiatoriam in cruce : « Et animam meam pono pro ovibus meis. » (*v.* 15.)

(*V.* 16-18.) Etiam Gentiles vocantur ad ovile.

Allioli. Inter oves quarum adhucusque sermo fuit, Christus proxime intelligebat paucos electos Judæorum ; sed quia novit omnes oves suas, atque infinita ejus charitas omnes amplectitur, nunc explicite mentionem facit fidelium inter gentiles, quos Apostoli sui et eorum successores in nomine ejus in Ecclesiam introducent. Hi quoque ab ipso libenter ducentur, ita ut finaliter desinat distinctio inter Judæos et gentiles, et fiat una Ecclesia sub unico pastore. (His ovibus etiam vitam meam do.)

Do vitam meam ovibus meis, non ut in æternum perdam eam, sed ut iterum assumam eam ; non quia aliquis ad hoc me cogit, sed quia liberâ meâ voluntate volo, — ex amore et ex obedientiâ. Propter hunc amorem et obedientiam diligit me Pater.

« Hoc mandatum accepi a Patre meo, » scilicet depositionis et reassumptionis vitæ meæ. — Illmus Beelen. « Hic Deus-homo ut homo loquitur. Ut homo accepit hoc mandatum a Patre (quod ut Deus ab æterno cum Patre voluit : Allioli), et mandato obedivit. Implevit autem hoc mandatum virtute naturæ divinæ ; et cum liberrimâ obedientia implevit hoc mandatum, nam non fecit coactè, sed voluntariè et libere. »

(*V.* 19-21.) Alcuin. « Quia lux in tenebris lucebat, et tenebræ eam non comprehenderunt. subjungitur : « Dissentio iterum facta est inter Judæos propter sermones hos.... »

Jam in *v.* 6 vidimus cæcitatem eorum, quando dixit Evangelista illos parabolam de vero pastore nullatenus intellexisse : « Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. »

V. 22-39. *Encœnia, seu Festum Renovationis.*

Ill$_{mus}$ Beelen. « Hoc festum celebrabatur per octo dies et locum habuit 25 mensis Judaici Kislev, circiter in medio nostri Decembris. »

Hoc festum non uť Pascha, Pentecostes et festum Tabernaculorum solummodo celebrabatur in Jerusalem, sed per totam regionem Judæorum.

V. Beda. « Sub Judâ autem Machabæo statutum legitur, ut eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solemnibus renovaretur officiis. »

(*V.* 23.) In hoc festo « ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis, » id est, in atrio Gentilium, ait Allioli.

Antea *v.* 16 Dixit Filius Dei se habere alias oves quas oportet adduci ad ovile : hic per figuram dedicationis templi quæ celebratur per totam Judæam, et per propriam actionem ambulationis in atrio gentilium, videtur significare se templum Ecclesiæ suæ in medio gentilium esse dedicaturum.

(*V.* 24.) Ipsi Judæi novum beneficium, quamvis non sibi, a Domino extorquere videntur, dicentes :

« Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus dic nobis palam. »

(*V.* 25-39.) Jesus igitur de novo protestatur se esse Messiam, Filium Dei, aqualem Patri, unum cum Patre : concludit dicendo : « Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre. » (*v.* 38.)

Quia paulo ante dixerat : « Ego et Pater unum sumus, » (*v.* 30) « sustulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum : » (*v.* 31.) Nunc autem « Quærebant ergo eum apprehendere : et exivit de manibus eorum. » (*v.* 39.)

Et sic ultimatim obsignata fuit reprobatio Judæorum. Aug. ait : « Non eum apprehenderunt quia manus fidei non habuerunt. Sed non erat magnum « Verbo » ejicere carnem suam de manibus carnis. »

(*V.* 40-42.) « Jesus iterum abiit trans Jordanem ubi Joan-

nes baptizaverat primùm, probabiliter, ait Allioli, ut in mentem populi revocaret testimonium quod de illo Joannes Baptista dederat.

Theo. Conclusionem mysticam deducit :

« Mystice autem recedens ab Hierosolymis Dominus, hoc est a plebe Judaica, ad loca fontes habentia se transfert, id est, ad ecclesiam ex Gentibus congregandam, quæ habet fontem Baptismi, per quem multi ad Christum accedunt, quasi transeuntes Jordanem. »

Dicitur in *v.* 40 :« Et mansit illic. » Ergo figuratur Jesum esse cum Ecclesiâ, præsertim e Gentilibus composita, remansurum, donec in fine sæculi iterum redeat ad Judæam ut mortuos ad vitam revocet, ut ait S. Paulus : « Si enim amissio eorum reconciliatio est mundi : quæ assumptio, nisi vita ex mortuis. » (*Rom. XI*, 15.)

Hoc in cap. sequenti figuratur in Resurrectione quatriduani Lazari : occasione cujus miraculi Jesus profitetur se esse resurrectionem et vitam, dicens Marthæ :

« Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me etiamsi mortuus fuerit, vivet : Et omnis qui vivit, et credit in me non morietur in æternum. » (*Joan. XI*, 25, 26.) Usque in diem finalis misericordiæ in vanùm Dominus « Ad Israel dicit : totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem. » (*Rom. X*, 21.)

C. XI.

V. 1-53. *Mors et resurrectio Lazari.*

Est figura rejectionis Judæorum, et conversionis eorum in fine sæculi. Sic concludere possumus ex St Patrum mysticâ expositione.

Legimus *v.* 17, « Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in monumento habentem. » Interpretatur Aug. « De quatuor autem diebus multa dici possunt. Diversis enim modis una res significari potest. Est enim unus dies mortis

quem homo trahit de mortis propagine. Sed et legem naturalem transgrediuntur homines, ecce alter dies mortis. Lex etiam Scripturæ data est divinitùs per Moysen, et ipsa contemnitur; adde tertium diem mortis. Venit Evangelium, et ipsum transgrediuntur homines: ecce quartus dies mortis: etiam ad tales excitandos Dominus non dedignatur accedere.»

Resurrectio igitur Lazari figura est infinitæ misericordiæ Dei erga genus humanum. In fine sæculi « vita ex mortuis erit » etiam perfidis Judæis : « Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraverit. » (*Rom. XI*, 15-25.)

S. Paulus generalem eruit conclusionem ex divino mysterio infinitæ misericordiæ, dicens : « Omnes enim peccaverunt et egent gloriâ Dei. Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo-Jesu. » (*Rom. III*, 23, 24.)

Justificatio in lege naturali, in lege Mosaïca, et in lege Evangelica; ac tandem restitutio finalis populi Israël inter filios Dei: omnia gratis « per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo-Jesu! »

Iterum legimus : (*v.* 38, 39) « Venit (Jesus) ad monumentum : erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei. Ait Jesus : Tollite lapidem. »

Aug. « Mortuus sub lapide, reus sub lege. Lex enim quæ data est Judæis in lapide scripta est. Omnes autem rei sub lege sunt : Justo autem non est lex posita. — « Tollite lapidem : » Removete legis pondus, gratiam prædicate. »

Ergo sub lapide in speluncâ latronum fetent Judæi usque dum reviviscant a mortuis : « sunt enim dilecti propter Patres » et ideo et ipsi misericordiam consequentur. Prius dictum fuit eis in Prophetia : « Obscurentur oculi eorum, ne videant ; et dorsum eorum semper incurva. » (*Rom. XI*, 10.)

Postea autem in misericordiâ Dominus dedit vocem suam: « Veniet ex Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me testamentum : cum abstulero peccata eorum. » (*Rom. XI*, 26, 27.)

(*V.* 43, 44.) Ipsa Resurrectio Lazari respondet verbis S.

Pauli qui dicit : « Quæ assumptio, nisi vita ex mortuis? » (*Rom. XI*, 15.)

In conversione finali Judæorum non solum erit eorum propria restitutio, sed quasi generalis mortuorum resurrectio, per beneficia extraordinaria quæ Deus hominibus conferet. (Ita Ill^mus Beelen verba S. Pauli interpretatur.)

Et forsan potest intelligi de vera physica mortuorum resurrectione, quia in ultimâ conversione Judæorum dies resurrectionis generalis instabit.

(*V.* 43.) Dominus ressuscitando Lazarum, « Voce magnâ clamavit : Lazare veni foras. »

Theo. « Alta vero Salvatoris vox quæ Lazarum suscitavit, indicium est tubæ magna sonaturæ in communi resurrectione. » — « Lazare veni foras : » Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult vivificat. » (*Joan. V*, 21.)

(*V.* 44.) « Et statim prodiit qui fuerat mortuus. »

Theo. « Sicut autem universalis resurrectio in ictu oculorum proveniet, sic et hæc resurrectio singularis. Jam mancipatur effectui quod dicitur : « Veniet hora cum audient defuncti vocem Filii Dei, et qui audierint vivent. » (*Joan. V*, 25.)

(Ita mysticè connectuntur quæ dixit Jesus postquam in figura curaverat electos Judæorum in ægroto 38 annorum : et ea quæ dicit in resurrectione Lazari, figura generalis Judæorum conversionis ad Filium Dei in fine sæculi.)

« (Prodiit) ligatus pedes et manus institis, et facies ejus sudario erat ligata. » (*v.* 44.)

Quando totus Israel salvus fiet, (*Rom. XI*, 26.) tunc verba Zachariæ (*Luc. I*, 78, 79) plenum effectum assequentur. « Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex Alto. Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. »

(*V.* 44.) « Et facies ejus sudario erat ligata. » Ait S. Paul : (*II Cor. III*, 14-16.) « Obtusi sunt sensus eorum.... Sed usque in hodiernum diem,... velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen. »

« Dixit eis Jesus : solvite eum, et sinite abire. »

Alcuin. « Christus ergo suscitat, quia interius per seipsum vivificat. Solvunt discipuli, quia per ministerium sacerdotum absolvuntur vivificati. »

Ita in generali conversione Judæorum, Dominus gratiis extraordinariis populum suum quasi a morte ad vitam revocabit: et ulterius opus salutis eorum credet ministerio Ecclesiæ sacerdotum.

(*V.* 47-52.) Populus autem deicida præsentem ruinam suam proclamat ; et summus Dei Pontifex prophetizat salutem veri Israel :

« Collegerunt ergo pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum ; et venient Romani et tollent nostrum locum et gentem. » (*v.* 47, 48.)

Et Caïphas Pontifex anni illius a Deo motus, « dixit eis : vos nescitis quidquam, nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. » (*v.* 49-51.)

Nesciebat impius se prophetizare salutem illius Israel « qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est. » (*Joan. I,* 13.) Sed ipse Evangelista hæc docet nos, addens prophetiæ Caïphæ hæc verba :

« Et non tantùm pro gente, sed ut filios Dei qui erant dispersi congregaret in unum. » (*v.* 52.)

Aug. « Caïphas igitur de sola gente Judæorum prophetizavit, in quâ erant oves de quibus ait ipse Dominus : « Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israel. » (*Matth. XV,* 24) Sed noverat Evangelista alias esse oves, quæ non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci. Hæc autem secundum prædestinationem dicta sunt, nam neque oves ejus, neque filii Dei adhuc erant. »

(*V.* 54.) Interea Jesus.... « abiit in regionem juxta desertum, in civitatem Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. »

Orig. « Quoad anagogiam vero (sive anagogicum sensum) dicatur quod Jesus dudum cum fiduciâ ambulabat inter Ju-

dæos, cum Verbum Divinum per prophetas in ipsis conversabatur ; sed abiit illinc, nec est Verbum Dei inter Judæos. Accessit autem ad villam quæ est propè desertum, de quo dicitur : (*Isaï* 54.) « Multi filii desertæ magis quam conjugatæ. » Villa autem dicitur « Ephrem, » quæ interpretatur fertilitas : fuit autem Ephraïm frater Manasse, (Origenes alludit ad nomen Manasse quod hebraice « oblivio » significat ; et « Ephraïm » quod significat « qui crescit, qui fructum profert) senioris populi oblivioni traditi. Post populum enim oblivioni datum et prætermissum, prodiit ex gentibus abundantia. Discedens ergo a Judæis Dominus, venit in terram totius orbis propè desertam Ecclesiam (quæ dicitur civitas « fecunda »), et ibi moratur cum discipulis suis usque nunc. » « Donec plenitudo gentium intraverit. » (*Rom.* *XI*, 25.)

(*V.* 55.) « Proximum autem erat Pascha Judæorum ; et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent seipsos. »

Theo. « Ascenderunt autem ante Pascha ut purgarentur, quoniam quicumque peccaverunt (inviti, vel spontanei) Pascha non celebrabant, nisi prius expiarentur (ut moris erat) balneationibus, jejuniis ac rasurâ. »

Evangelista solùm loquitur de his cæremoniis in ultimo Paschate Judæorum, quasi Spiritus sanctus significare voluerit verum Pascha instans esse ad quod celebrandum veri fideles cor præparabant. Necesse est adhæreant Jesu et quærant eum qui verum Pascha in Jerusalem est celebraturus : « Quærebant ergo Jesum, et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : quid putatis, quia non venit ad diem festum ? » (*v.* 56.) Jam æterno Dei decreto statutum est brevi votis omnium qui veram libertatem quærunt esse satisfaciendum : jam permisit insidiantibus vitæ Salvatoris, ut magis ac magis ejus apprehensionem urgeant : « Dederant autem pontifices et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum. » (*v.* 56, 2ª *pars.*)

Chrys. « O impietatem ! cum majore opus erat pietate, et cum extremis obnoxii sceleribus, liberi emittebantur, tunc

innoxium comprehendere conantur. » Verbum autem Dei Auctor novi Paschatis in immolatione « Agni qui tollit peccatum mundi, » dirigit cæcitatem inimicorum, ut eum inveniant, quando venerit hora qua voluntariè sese tradat potestati tenebrarum.

C. XII.

V. 1-11. Maria ungit pedes Jesu. — Judæi volunt Lazarum occidere.

(*V.* 1.) « Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam... » Multi putant unam esse in Bethania cœnam et unctionem a tribus Evangelistis Matth. XXVI, 7; Marc. XIV, 3 et Joann. XII, 3, narratam. Sed Matthæus et Marcus, aiunt, per recapitulationem id commemorant, quasi biduo ante Pascha locum habuisset. Joannes autem in hoc loco dicit (*v*, 1, 2.) Jesum ante sex dies Paschæ Bethaniam venisse, et ibi cœnam ipsi paratam fuisse. Dubium videtur num cœna locum habuerit in domo Marthæ, vel in domo Simonis. — « Bossuet autumatur unam cœnam locum habuisse in domo Marthæ sex dies ante Pascha et alteram in domo Simonis leprosi, biduo ante Pascha. » S. Aug. de Cons. Evang., Libro II, Cap. 79, ait : « Matthæus et Marcus recapitulando ad illum diem redeunt in Bethaniam, qui erat ante sex dies Paschæ, et narrant quod Joannes de cœna et unguento. Quod ergo Matthæus et Marcus caput Domini unguento illo perfusum dicunt, Joannes autem pedes ; non solum caput, sed et pedes Domini accipiamus perfudisse mulierem. » Mystice apud Joannem pedes sacram humanitatem repræsentant, caput autem divinitatem ; et ideo apud hunc Evangelistam caput non dicitur inunctum.

(*V.* 2, 3.) Martha ministrabat. Maria unxit pedes Jesu. Lazarus cum Jesu discumbebat.

Chrys. « Maria autem non faciebat communem famulatum, sed ad solum Dominum constituit honorem : et non ut ad hominem accedit, sed ut ad Deum. »

Hilar. « Mulier autem hæc in præfiguratione plebis gentium est. Et idcirco ubi prædicabitur hoc Evangelium narrabitur opus ejus : quia cessante Israel, Evangelii gloria fide gentium prædicatur. » Hoc Dominus prædixit, scilicet mulieris vulgatam iri famam ubicumque prædicabitur Evangelium, ut Rex et Propheta apud Matthæum et Marcum qui Regnum Ecclesiæ ejusque Doctrinæ præsertim prædicant. In Evangelio Verbi incarnati legimus, quod in unctione pedum Jesu : « Domus impleta est ex odore unguenti ; » (*v.* 3.) quod mystice idem significat, juxta interpretationem S. Augustini : « Domus autem repleta est odore, mundus impletus est bona fama. »

« Martha ministrabat. » Videtur ipsa esse figura synagogæ. — In Luca ut ipse Dominus improperavit : etiam sollicita erat erga plurima, cum unum esset necessarium. Hoc autem Maria, seu Ecclesia elegerat. Eadem potest fieri applicatio in capite præcedenti, in quo ipsa vocat Mariam ut ad Dominum veniat : Synagoga quasi ancilla, senior juniorem ad Dominum ducit. Ipsa magis terrenis occupata, fide titubante, etiamsi Dominum in domo accipiat, ut dicitur apud Lucam, magis ut homini ipsi deservit : Maria autem ad pedes ejus adorat, (*XI*, 32,) « cecidit ad pedes ejus : » ut ait Chrys. « non ut ad hominem accedit, sed ut ad Deum. »

(*V.* 2.) « Lazarus vero erat unus ex discumbentibus cum eo. » Post resurrectionem spiritualem Judæorum ipsi cum Domino suo ad cænam accumbent in regno Cœlorum : cujus hic figuram habemus.

(*V.* 4-8.) Judas Iscariotes traditor arguit Mariam.

Aug. « Non tunc periit Judas, quando accepit a Judæis pecuniam, ut Dominum traderet : jam fur erat, Dominum perditus sequebatur, non corde, sed corpore. »

Judas figurat populum Judæorum et maxime principes eorum, sacerdotes, pharisæos et scribas. Ipsi adhucusque, tanquam mortua membra, loculos seu thesauros synagogæ portant : quia autem terrenis solùm adhæserunt fures facti sunt thesauri Dominici ; ipsi non intrantes in Regnum et alios impedientes. Quia Dominus honoratur, a multis adoratur :

et quia ipse approbat suos, et seipsum Deum et verum Messiam proclamat ; isti deicidæ facti sunt.

(*V*. 8.) In verba quæ respondet Dominus obmurmuranti Judæ, scilicet : « Pauperes habetis semper vobiscum : me autem non semper habetis, » notat Aug. : « Loquebatur de præsentiâ corporis sui : nam secundum Majestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam impleretur quod ab eo dictum est : « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. »

Judæi autem in paupertate suâ etiam præsentiam Domini « secundum ineffabilem et invisibilem gratiam » perdent : quia arbor synagogæ radicitus morietur. « Si malè versaris, ait Aug., videris habere in præsenti Christum ; sed malè vivendo, non semper habebis. » Malè vivunt Judæi : « unus malus, ait iterum Aug., corpus malorum significat. »

(*V*. 9.) Multi Filium Dei non agnoverunt in miraculo resurrectionis Lazari ; « venerunt, non propter Jesum tantùm sed ut Lazarum viderent. »

Aug. « Curiositas eos adduxit, non charitas. »

(*V*. 10, 11.) Principes sacerdotum etiam effectum miraculi per occisionem Lazari de medio tollere volebant : « quasi Dominus suscitare potuerit mortuum, et non possit occisum : ecce utrumque Dominus fecit, et Lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum. » — « Cogitaverunt ut et Lazarum interficerent : » non solùm Christum, sed etiam Lazarum.

« Quia multi propter illum abibant ex Judæis et credebant in Jesum. »

V. 12-19. *Jesus intrat in Jerusalem.*

Aug. « Quantus autem fructus apparuerit prædicationis ejus, et quantus grex ovium ex his quæ perierant domus Israel, vocem Pastoris audierit intendendum ex eo quod dicitur :

(*V*. 12, 13.) « In crastinum autem turba multa, quæ venerat..... acceperunt ramos palmarum.... » Rami palmarum

laudes sunt significantes victoriam quâ erat Dominus mortem moriendo superaturus, et trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.

Solus Joannes « palmas » nominat, et ita videtur ut alibi magis divinitatem Jesu significare : in Apocalypsi enim etiam palmæ coram throno Dei à turba salvatorum portantur :

« Stantes ante thronum, et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmæ in manibus eorum ; et clamabant voce magnâ dicentes : salus Deo nostro qui sedet super thronum et Agno. » (*Apoc. VII*, 9, 10.)

(*V.* 13.) « Rex Israel » Filius Dei proclamatur, a Spiritu sancto per os multitudinis : quia est Rex Magnus civitatis sanctæ. Hic Filius Davidis non nominatur, ut magis dominium Dei declaretur.

(*V.* 14.) « Et invenit asellum.... » Filius Dei invenit : quamvis enim hominum ministerio utens, est ipse « portans omnia verbo virtutis suæ. » (*Hebr. I*, 3.)

(*V.* 15.) « Nolite timere, filia Sion, ecce Rex tuus venit sedens super pullum asinæ. » Hic acclamatur Rex qui fugit ne rex fieret (*Joan. VI.*) a populo ; Rex qui in passione professus est : « Regnum meum non est de hoc mundo. » (*Joan. XVIII*, 36.)

(*V.* 16.) « Hæc non cognoverunt discipuli ejus primùm : sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt, quia hæc scripta (apud Zachariam) erant de eo, et hæc fecerunt ei. »

Melius de hâc ignorantiâ loquitur Joannes, ut ita insinuetur quam longe erant discipuli a suspicando Divino Regno Jesu per totum universum : cum et ipsi usque in finem et tempore etiam passionis de Regno temporali Messiæ, quasi eo modo quo cæteri Judæi cogitabant : nam apud Lucam XXII. 24 legimus : « Facta est autem contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. » Jesus autem exponit ipsis quam mediocris futura sit dominatio eorum, juxta opinionem hominum, in terris : ut magis postea exaltentur in Cœlis. (25-30.) Ita Chrys. *v.* 16 interpretatur : « Hæc non cognoverunt.... » Hoc autem ignorabant quia ipse non revelaverat

eis, scandalisasset enim eos, si rex existens talia passurus erat : et etiam non suscepissent statim cognitionem Regni, de quo dicebatur, de regno enim temporali hoc dici putassent. »

(*V.* 17, 18.) « Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. Propterea et obviam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. »

Quam insigne argumentum hic habemus ad probandam diversitatem scopi inspirationis SS. Evangeliorum : ecce ipsa ratio fundamentalis quare populi obviam Jesu fuerunt in ejus introitu in Jerusalem, a cæteris Evangelistis non fuit exposita ! Nonne ideo quia Spiritus sanctus Joanni reservaverat ea quæ magis Jesu divinitatem signabant? Divinitate miraculi turbæ convenerunt attractæ ; et sic implicitè verificarunt quod evangelista Joannes in principio de eo proposuit exponendum : « Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre ! » (*Joan. I*, 14.)

(*V.* 19.) Prophetia impiorum circa propriam derelictionem quam ipsi ignorabant, providentialiter a Filio Dei inspirata fuit, et ideo etiam Joanni scribenda fuit commissa : legimus enim :

« Pharisæi ergo dixerunt ad seipsos : videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. » Novi Balaam conversionem mundi prænuntiant. Et immediate sequitur ipsius divini Verbi actio quæ gentiles impellit ut ipsi Jesum videant.

V. 20-50. *Gentiles volunt Jesum videre. Dicit horam suæ clarificationis instare, sed granum frumenti prius mortificandum : vox Patris auditur de clarificando nomine suo: princeps hujus mundi foras ejiciendus : de excæcatione Judæorum prophetata ab Isaia : in Christo honoratur aut spernitur Pater.*

Aug. « Ecce eum volunt Judæi occidere, gentiles videre: sed etiam illi ex Judæis erant qui clamabant : « Benedictus

qui venit in nomine Domini. » Ecce illi ex circumcisione, illi ex præputio, velut duo parietes de diverso venientes, et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes. »

(*V.* 23-26.) Sublimiter Filius Dei prædicit se in omnibus gentibus esse brevi glorificandum post passionem crucis : et addit etiam discipulos suos post ipsum apud Deum Patrem per passionem esse honorificandos. In his miro divinitatem Christi exaltat S. Augustinus ; ait enim : « Audiamus ergo vocem lapidis angularis : « venit hora ut clarificetur Filius hominis. » Forsitan aliquis putat ideo se dixisse glorificatum quia gentiles volebant eum videre : non ita est, sed videbat gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros. Ex occasione igitur istorum gentilium, qui eum videre cupiebant, annuntiat, futuram plenitudinem gentium, et promittit jam adesse horam glorificationis suæ, quâ factâ in Cœlis gentes fuerant credituræ secundum illud : « Exaltare super Cœlos Deus et super omnem terram gloria tua. » Sed altitudinem glorificationis oportuit, ut præcederet humilitas passionis : unde adjunxit :

« Amen, amen, dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit : ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit : multum fructum affert. » Se autem dicebat granum mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide populorum. »

In *v.* 25, 26 sub forma exhortationis, fideles suos prædicit esse per eamdem passionis viam in gloriam intraturos : « Et ubi ego sum ; illic et minister meus erit : si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. » « Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. »

(*V.* 27-32.) In se Filius Dei præludium propriæ passionis procurat, se in exemplum ponens fidelibus : ut ipsum tanquam Filium Dei, æternam lucem sequantur ; « qui si exaltatus fuerit a terra, omnia trahet ad seipsum. » (*v.* 32.)

(*V.* 27.) « Nunc anima mea turbata est. » Aug. « Audio : Qui in hoc mundo odit animam suam, in vitam æternam custodit eam : » et mundum contemnere accendor : præ amore

æternorum temporalia mihi cuncta vilescunt: et rursum Dominum audio dicentem: « Nunc anima mea turbata est: » sequi jubes animam meam, sed turbari video animam tuam: quale fundamentum quæram si petra succumbit? Agnosco, Domine, misericordiam tuam: nam qui charitatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo qui suæ infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. In se ergo caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum; et ideo non est ab aliquo turbatus, sed sicut de ipso supra dictum est, « turbavit semetipsum. » (*Joan.* *XI,* 33.)

« Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hâc horâ. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. » (*v.* 27, 28.)

Chrys. « Quasi dicat: ego nunc turbatus non dico ut effugiam; non dico « eripe me ex horâ hâc, » sed contrarium dico, scilicet: « clarifica nomen tuum. » Ostendit enim quomodo pro veritate moritur, « gloriam Dei » hoc vocans, et hoc evenit: futurum enim erat ut post crucem converteretur orbis terrarum et cognosceret nomen Dei, et coleret: hoc autem erat gloria, non solum Patris, sed etiam Filii: sed tamen hoc silet. »

Vox de cœlo confirmat orationem Christi, dicens:

(*V.* 28.) « Clarificavi et iterum clarificabo. »

« Clarificavi » adhuc usque per miracula et doctrinam. « Et iterum clarificabo » per redemptionem hominum et salutis eorum opus. »

Deinde ipse Dominus voci cœlesti respondet se per passionem crucis clarificaturum gloriam Dei: ejiciendo foras principem hujus mundi, ne amplius dominetur in cordibus hominum; et omnes homines (*παντας*) adducendo, trahendo, quamvis invito satanâ, et pravo hominis ingenio repugnante, ait Menochius. (*v.* 31, 32.)

(*V.* 34.) Judæi male dispositi objiciunt Messiam non moriturum, sed in æternum mansurum, ut lex docet.

(*V.* 35, 36.) Præterit Dominus ratiocinium quo instruat malignantes, sed serie admonet eos ut festinent credere in Filium Dei, quia urget tempus: « Adhuc modicum (tempus),

lumen in vobis est (ait :) Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. » Q. e. Accelerate, convertimini dum inter vos in terris sum : credite in me qui sum lux mundi ne « tenebræ » errorum et peccatorum, cæcitatis et obdurationis « vos comprehendant : ut possitis spiritualiter illuminari, et lumen vitæ habere : « Ut filii lucis sitis. » (*v*. 36.) Chrys. « Filii lucis » quod est filii mei. In principio autem Evangelista dicit, quod ex Deo nati sunt, hoc est ex Patre (*Joan. I.*), hic autem ipse dicitur hos generare, ut discas quoniam una est actio Patris et Filii. »

(*V*. 36.) « Hæc locutus est Jesus : et abiit et abscondit se ab eis. » Aug. Non ab eis qui credere et diligere cœperunt, sed ab eis qui videbant et invidebant. » Hujus actionis Domini, parabola fuit vox de Cœlo ; quæ aliquibus fuit tronitruum, aliis autem vox articulata Angeli : (*v*. 29.) juxta uniuscujusque dispositionem : ut ait Chrys. » Aperta quidem et bene significativa erat vox, sed cito ab eis (a turbâ quæ circumstabat.) evolavit, quasi a grossioribus, et carnalibus et desidiosis : et hi sonitum tantùm retinuerunt ; alii verò quoniam articulata erat vox, noverant : quid autem significavit non adhuc. » Apostoli probabiliter vocem agnoverunt ut verba Dei proferentem, ait Allioli.

(*V*. 37-41.) Evangelista antequam ultima verba referat quæ Dominus exeundo e templo ad illos clamavit ; interserit Isaïæ prædictionem de futura cæcitate Judæorum.

(*V*. 42, 43.) Et addit quam debilis sit fides principum credentium in eum, dicens : « Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis quam gloriam Dei. » Hic timor confitendi « Filium Dei, » apud solum Joannem, sæpius exponitur.

(*V*. 44-50.) Filius Dei clamando demonstrat quantum donum sit credere in eum ; et quanta miseria sit rejicere sermonem ejus : qui « sermo judicabit eum (spernentem) in

novissimo die. » (*v.* 48.) Et ille sermo est sermo Patris; ait enim: « Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater sic loquor. » (*v.* 50.) Judex ergo, ait Menoch., qui condemnet et puniat, patrem intelligit, de quo dixit supra VIII, 50 « Ego.... non quæro gloriam meam: est qui quærat et judicet. » Videtur alludere ad verba illa Deut. XVIII, 19: « Qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam. »

C. XIII.

V. 1-17. *Jesus lavat pedes Apostolorum.*

De lotione pedum observat Illmus Beelen: « Hæc humilitas Domini inserviebat maximè ad curandam Apostolorum ambitionem quâ adhucusque erant imbuti ut videre est ex Matth. XX, 24-28; et etiam Lucâ XXII, 24-27.

Secundum consuetudinem orientalem venientes in domum ad manducandum se abluebant: et in domo hospitis solvebantur invitatis calceamenta et eorum pedes lavabantur. « Jesus exinanivit seipsum formam servi accipiens; » Apostolos factos consortes divinæ naturæ oportebit etiam induere servorum formam!

Tantam charitatem debebat docere Verbum Incarnatum: « Deus enim est charitas. » Evangelista Verbi hæc documenta charitatis Domini scribere debuit. Omnia quæ hic habentur in hoc cap. XIII et quatuor sequentibus usque in finem Orationis Christi, (*XVII.*) maximè ad Dei Verbum spectant. Providentialiter ea Joanni Spiritus sanctus servavit, qui, ut ait S. Augustinus; « tanquam de pectore ipsius Domini, super quod discumbere (*Joan. XIII,* 23.) in ejus convivio solitus erat, secretum Divinitatis ejus uberius et quodammodo familiarius biberit. »

(*V.* 1.) « Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, in finem dilexit eos. »

Ill[mus] Beelen qui cum fundamento opinatur lotionem pedum post institutionem S. Eucharistiæ esse factam, interpretatur verba Evangelistæ « In finem dilexit eos, » ut allusionem ad sanctissimi sacramenti institutionem, in quo dedit Dominus maximam suæ dilectionis demonstrationem : Lectores Joannis, ait, noverant ex tribus cæteris Evangelistis quod hæc verba respectum habebant ad opus insignis charitatis, in institutione S. sacramenti : in hoc ad extremum, seu in finem, suos dilexit.

Hujus sacramenti doctrinam (*VI.*) Dei Verbum Incarnatum, ut diviniorem, tradidit apud Joannem : Institutio magis ad sacram humanitatem spectat, et ideo a tribus cæteris Evangelistis scripta fuit.

(*V.* 2.) « Et cœnâ factâ, cum diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ. »

Chrys. « Hoc autem quasi stupens interseruit Evangelista, quoniam eum qui jam prodere statuerat, Dominus lavit : ostendit etiam proditoris multam nequitiam, quoniam neque salutis eum communicatio detinuit, quod maximè consuevit nequitiam detinere. »

(*V.* 3.) Aug. « Locuturus autem Evangelista de tanta Domini humilitate, prius ejus celsitudinem voluit commendare, ad quod pertinet quod dicit : « Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit... » Ill[mus] Beelen. « Quamvis infinitam suam dignitatem nosset tamen ad erudiendos discipulos, (*v.* 12-20 *seq.*) sese vult humiliari ad opus servi ipsis in lotione pedum præstandum. »

Mystica interpretatio lotionis pedum traditur a S. Augustino : « Posuit vestimenta sua, qui, « cum in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit » (*ad Philipp. II.*) ; præcinxit se linteo, qui « formam servi accepit ; » misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum ; linteo autem quo erat præcinctus pedes quos laverat, tersit ; qui carne quâ erat indutus, evangelistarum vestigia confortavit. Et linteo quidem ut se præcingeret, posuit vestimenta quæ habebat. Ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exi-

nanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit : crucifigendus sanè suis expoliatus est vestimentis; et mortuus involutus est linteis ; et tota ejus passio nostra purgatio est. »

Jesus Petrum instruens ait: (*v.* 10.) « Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. »

Orig. « Lavat autem pedes postquam mundi erant, quoniam gratia Dei transcendit necessitatem, et sicut dicit Joannes: mundus mundificetur adhuc. »

Ill^mus Beelen. « Lotio pedum est illa purificatio majoris perfectionis quâ adhuc indigebant ut ambitioni mundanæ renuntiarent : nimis studebant primis locis inter fratres occupandis. Divina ipsius Verbi humilitas hanc ultimam curam præstabat. »

In *v.* 12-17 facit ipse Jesus applicationem cæremoniæ, docens Apostolos quomodo in perfectâ humilitate sibimetipsis renuntiare debeant ad instar Magistri sui : nam hujus humilis renuntiationis ablutio pedum fuit symbolum. In *v.* 18, 19 interrumpit instructionem Apostolorum ad eos admonendum non omnes eum imitaturos, sed unum eum esse traditurum : quod prædicit : « ut cum factum fuerit, ait, credatis quia Ego sum. » (*v.* 19.) Menoch. « Ego sum » Filius Dei et verus Deus. »

(*V.* 20. nectitur *v.* 17°) « Amen, amen, dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit qui me misit. » (*v.* 20.)

In annuntiando Evangelio igitur oportebit eos scire imitari Dominum suum et beati erunt (*v.* 17.) ; hic igitur licet applicare quod dicit Origines : « Dominus lavando et exsiccando pedes Apostolorum, faciebat eos decoros ; debentes evangelizare honesta (*Rom. X. Isaias LII.*) ut ostendere valeant iter sanctum ac pergere per eum qui dicit : (*Joan. XIV.*) « Ego sum Via. »

V. 21-30. *Manifestatio traditoris Judæ.*

Dominus beatitudinem discipulorum ponderans : obstu-

puit de novo ad cogitationem traditoris qui propriâ nequitiâ sese immittit in abyssum omnium malorum : « Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est Spiritu : et protestatus est, et dixit : Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. » (v. 21.) Aug. « Sive ipsum Judam pereuntem miserando, sive suâ morte appropinquante turbatus est, non animi infirmitate, sed potestate turbatur. Non enim aliquo cogente turbatur, sed turbavit semetipsum ut supra dictum est. Quod autem turbatur, infirmos in suo corpore, hoc est, in suâ Ecclesiâ consolatur. « Unus ex vobis tradet me ! » unus ex vobis numero, non merito ; specie, non virtute. »

Allioli. « Anima Domini turbatur nunc unâ cogitatione, nunc alterâ : nunc est desiderium firmandi discipulos in amore, nunc iterùm tristitia, quod unus ex discipulis fiat traditor. »

(V. 22-29.) Chrys. « Neque autem tunc nominatim prodiorem Dominus manifestavit : et modus ipse manifestationis ad illius conversionem aptus erat : quia enim ob commensationem verecundatus non est, eodem pane communicans verecundari debuit. »

Allioli. « Panis intinctus Judæ porrectus, isti signum erat finitæ cœnæ : nam mos erat apud Judæos ut pater familiâs in fine mensæ buccellam suis porrigeret. Judas qui impatiens finem cœnæ expectaverat ad scelus perpetrandum, statim surrexit post acceptam buccellam, et satanas eum omni vi ad hoc impulit :

(V. 30.) « Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. »

Greg. « A qualitate temporis finis exprimitur actionis. Dum non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam, nocte Judas exisse perhibetur. »

V. 31-35. *Filius Dei incarnatus declarat continuò gloriam suam esse manifestandam ; et dat novum mandatum dilectionis.*

(V. 31. 32.) Filius Dei incarnatus declarat gloriam suamt continuò manifestandam « quasi Unigeniti a Patre : »

«Cum ergo exisset, dixit Jesus : nunc clarificatus est Filius hominis : et Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso : et continuo clarificabit eum. »

Ill^{mus} Beelen. « Clarificatus est » per victoriam de satana in cruce. (*XII*, 31, 32.) Compara Coloss. II, 13-15.

Deus homo hic prolepticè loquitur de triumphante morte diei sequentis ; quasi jam pugna esset peracta, et adepta victoria.

« Deus clarificatus est in eo. » In persona Filii hominis triumphantis. Nam et Dei justitia (*Rom. III*, 25, 26) et ejus amor (*Rom. V*, 8 ; *I. Joan. III*, 16) lucidè manifestata sunt in opere redemptionis generis humani.

Menoch. « Si Deus clarificatus est in eo.... » Quia vero Deus glorificatus est per Filium hominis ; Deus vicissim glorificabit eum, per semetipsum, resuscitans eum et exaltans, et tribuens illi nomen, et mittens Apostolos et prædicatores ad ejus nomen et gloriam amplificandam. Hæc glorificatio prope adest. »

(*V*. 33.) « Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me ; et sicut dixi Judæis : quo ego vado, vos nos potestis venire, et vobis dico modo. »

Aug. « Cum illis quidem fuit postquam resurrexit exhibitione præsentiæ corporalis ; sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanæ : apud alium enim Evangelistam post resurrectionem ait : (*Luc. XXIV*.)

« Hæc locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum, » id est, in carne mortali cum essem sicut et vos : tunc enim quidem in eâdem carne erat, sed cum illis in eadem mortalitate jam non erat. »

(*V*. 34, 35.) Mandatum novum : Charitas christiana.

Non ut antiquitùs fuit mandatum, sed ad exemplum ipsius Filii Dei. Valde notandum est Christum hoc mandatum dedisse postquam divinæ naturæ facti sunt participes Apostoli in sacrâ communione corporis et sanguinis Domini. Nam « Deus est charitas ! » Discipuli Dei charitatis, hoc symbolo, omnibus innotescent, « si dilectionem ad invicem habuerint. »

V. 36-38. *Prædictio negationum Petri.*

(*V.* 36.) « Dicit ei Simon Petrus : Domine quo vadis? Respondit Jesus : Quo ego vado, non potes me modò sequi : sequeris autem postea. (*v.* 37.) Dicit ei Petrus : Quarè non possum te sequi modo? animam meam pro te ponam. (*v.* 38.) Respondit ei Jesus : animam pro me pones? amen, amen dico tibi non cantabit gallus, donec ter me neges. »

Ill^mus Beelen interpretatur vèrba Domini quæ Petro præsumptionem inspirarunt sequendi magistrum :

« Quando Jesus dixit Judæis (*VIII,* 21, 22) : quo ego vado, vos nos potestis venire, » dat ipse rationem impossibilitatis eum sequendi dicens : « vos de deorsum estis ; ego de supernis sum. » (*v.* 23 *sequenti.*) Vos estis ex origine terrestri et humanâ ; ego autem ex origine cœlesti et divinâ sum ; propter divinam meam naturam vado ad cœlum quasi ad propriam meam mansionem : vos quia homines estis, illuc venire non potestis. — Quod in hoc loco Salvator, et antea (*VII,* 34) etiam Judæis dixerat, « Quo ego vado vos non potestis venire, » hoc postea etiam discipulis dixit (*XIII,* 33.) « Filioli adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me : et sicut dixi Judæis (*VII,* 34; *VIII,* 21, 22.) : quo ego vado, vos non potestis venire, et vobis dico modò. »

Hic autem eadem verba proferens in responsum Petro roganti, « Domine quo vadis ? » « Jesus, ait Ill^mus Beelen, legit in corde Petri, quid intendebat hic suâ interrogatione, et applicat responsum intentioni Petri. Abire hic sumit in eodem sensu quo Petrus hoc intelligebat, in sensu abeundi ad mortem. Jesus igitur intendit dicere Petro : « modò nondum potes me sequi quo ego vado, » (id est) me sequi ut mortem violentam patiaris ; sed postea me sequeris. His ultimis verbis prædicebat Jesus martyrium Petri, quod postea etiam magis aperte declaravit. (*Joann. XXI,* 18, 19.)

Notandum est quod præsumptio Petri apud quatuor Evangelistas describatur post verba quæ Dominus diverse locutus est, in diversâ dignitate, quam Evangelistæ repræsentant.

Apud Joannem ut videmus in hoc loco, præsumit Petrus postquam Verbum Incarnatum locutus est de reditu ad Patrem, quasi originem divinam habens: quamquam Petrus de sequelâ ad mortem loquitur, ut charitatem ergo Dominum manifestet.

Apud Matthæum et Marcum postquam Rex-Propheta prædixit momentaneam dispersionem gregis discipulorum; seu subditorum novi Regni spiritualis:

- Rex apud Matthæum dixerat: « Scriptum est enim: percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. » (*XXVI*, 31.)

Propheta autem apud Marcum: « Quia scriptum est: percutiam pastorem, et dispergentur oves. » (*XIV*, 27.)

Apud Lucam postquam sacerdotalis Victima prædixerat futuras persecutiones in viâ crucis et post confirmationem Petri: « Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, » (*Luc. XXII*, 31, 32.)

Qui in omnibus lapsus est, integrum Christum, per pœnitentiam, de novo induet.

C. XIV, XV, XVI, XVII.

Sermo et Oratio Domini post cœnam.

Aug. de consens. Evang. lib. III. cap. X. N° 19.

« In cœnâ, de quâ Evangelistarum nullus tacuit, quam multa et quam excelsa verba ejus Joannes commemorat, quæ alii tacuerunt! non solum de commendatione humilitatis, quando pedes discipulorum lavit; sed cum expressus per buccellam ejus traditor exiisset, remanentibus cum illo undecim, in sermone ipsius mirabiliter stupendo maximèque diuturno idem Joannes immoratus est, ubi dixit, « qui videt me, videt et Patrem: » ubi multa locutus est de Spiritu sancto Paracleto quem missurus eis erat: et de suâ clarificatione quam habuit apud Patrem priusquam mundus esset; et quod unum nos faceret in se, sicut ipse et Pater unum

sunt; non ut ipse et Pater et nos unum, sed nos unum sicut ipsi unum: multaque alia mirèque sublimia. »

Oratio Christi in fine sermonis, (*XVII*) fit:

1° Pro propriâ suâ glorificatione, et Patris. (*v.* 1-5.)

2° Pro actualibus discipulis. (*v.* 6-19.)

3° Pro Ecclesiâ. (*v.* 20-26.)

(*V.* 1-5.) Prima pars. Allioli. « Pater, hora passionis et mortis advenit; honora Filium tuum per resurrectionem, ascensionem et missionem Spiritûs sancti, ut honor Filii gloria Patris fiat, quum, per glorificationem Filii omnes te agnoscent, honorabunt et amabunt. »

(*V.* 6-19.) Secunda pars. Calmet. « Omnes homines Jesu-Christo dati fuerunt, (*Ps.* *II*, 8.) » « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ, » quatenùs omnes sanguinis sui pretio redemit. Christiani verò illi traditi fuerunt per vocationem ad fidem, per separationem ab infidelibus (ita Aug., V. Beda., Theod., Chrys...), et per baptismatis gratiam. Sancti etiam et prædestinati illi concessi fuerunt per eorum a reprobis separationem, eorumque ad gloriam prædestinationem: denique Apostoli illi dati fuerunt per ipsorum electionem ad Apostolatum, atque præcipuas Ecclesiæ dignitates. De Apostolis verò præcipuè locus hic est intelligendus. (*Brug. Tolet. alii.*)

(*V.* 20-26.) Tertia pars. Calmet. Ubi preces effudit Jesus pro Apostolis, isthic orat pro illis omnibus, qui per omnem sæculorum seriem sunt in ipsum credituri. Quid verò pro illis petit? bonorum omnium maximum, videlicet concordiam, pacem, charitatem. (*v.* 21.) « Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te. » Hæc Salvatoris oratio prorsùs exaudita fuit pro primis fidelibus (*Act. Apost.* *IV*, 32):

« Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, » quorum cor unum erat et anima una; et adimpletur adhuc in Catholicâ Ecclesiâ, ubi fideles in sententiarum conformitate penitùs coalescunt in iis rebus, quæ in Ecclesiâ statuuntur; denique

inter fideles hæc animi mentisque conjunctio magis, magisque videtur, proüt alii aliis sanctiores sunt et perfectiores. Jesus-Christus proponit unionem, quæ sibi est cum Patre suo, tanquam exemplar illius, quam Christiani inter se debent habere : hoc est maximè intimam, perfectissimam et maximam, supra quam aliquis sibi fingere possit. Ita Matth. V, 48. commendat « Ut perfecti simus quemadmodum Pater cœlestis perfectus est. »

Notandum quod sermo post cœnam et oratio Jesu ad Patrem, non solùm ad Joannem spectant propter mysteria divinitatis, et divinarum personarum : sed etiam propter mysteria unionis hypostaticæ Verbi Dei cum sacra humanitate. Præterea inculcat participationem fore altissimorum illorum mysteriorum Apostolis et fidelibus qui cum ipso futuri sunt « divinæ naturæ » participes. Persecutiones quas patientur erunt causâ Filii Dei tolerandæ. Omnia ad divinitatem referuntur.

Evangelistæ Verbi Incarnati incumbebat hæc de pectore Domini haurire ut ad nos transmitteret : ita ut cum ipso et cum Apostolis de « Plenitudine » Verbi Incarnati acciperemus.

C. XVIII, XIX.

Passio, mors, et sepultura D. N. Jesu-Christi.

(*V.* 1-11.) Jesus in horto.

(*V.* 1.) « Egressus est trans torrentem Cedron, ubi erat hortûs... »

Tacet Joannes ea quæ fiunt in horto ante traditionem Judæ. Cæteri Evangelistæ hæc narrant quia spectant magis sacram humanitatem Regis, Prophetæ, et sacerdotalis Victimæ.

Nota. Jam antea quasi prælibationem Passionis Filius Dei liberè prægustavit in Joanne, XII, 27 « Nunc anima mea turbata est... »

Apud Joannem, etiam tempore passionis, Divinitatis sublimitas in Jesu magis apparet quam apud tres reliquos Evangelistas.

(*V*. 2-9.) Vix traditor cum cohortibus advenit, dum Filii Dei Majestas inimicos fulminat : divinitus ad eos accessit et dixit eis: (4-6.) « Quem quæritis ? Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis : Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. »

In hoc loco Chrys. et Aug. docent quomodo Jesus divinitatem suam manifestat :

Chrys. « In medio eorum existens, excæcavit eorum oculos, quoniam enim non tenebræ causa erant indicavit Evangelista, dicens: quoniam habebant lampades. Si verò lampades non essent, a voce saltem debebant eum agnoscere. Si verò et illi ignorabant, quomodo Judas ignoravit qui cum eo fuerat continuò? et ideo subdit: « stabat autem Judas qui tradebat eum cum ipsis. » Fecit autem hoc Jesus ostendens quoniam non solùm comprehendere eum non possent, sed nec videre in medio existentem, nisi ipse concederet. Unde subditur: « Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. »

Aug. ait: « Ubi nunc militum cohors? ubi terror et munimen armorum? una vox turbam odiis ferocem armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne, et sempiternus dies... membris occultabatur humanis... cum laternis et facibus quæreretur occidendus a tenebris. »

Notemus quod etiam hic de osculo Judæ tacetur: quasi, ut verbis utamur Augustini, « Sempiternum diem tenebræ » traditoris attingere non valeant.

Apud cæteros Evangelistas ubi Jesus nobiscum in terris graditur, ut loquitur Augustinus, virtutem divinitatis magis abscondit, et sic permittitur traditori sacrilego osculo Regem, Prophetam et sacerdotalem Victimam amplecti.

Ostendit de novo Divinitatem in ipso permissu quo sese libere tradit manibus inimicorum : « Proinde, ait Aug., quia tenere volentibus ostendit potestatem suam, jam tenebunt eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam. Unde subditur : (*v*. 8.) « Si ergo me quæritis, sinite hos abire. » Ini-

micos jubet, et hoc faciunt quod jubet: sinunt eos abire quos non vult perire. » Aug. Hom. 83 in Joann. « Quis illos detinuit? non aliud quam ipsa vis quæ illos supinos prostravit. »

(*V.* 11.) Defensori suo Petro dixit Jesus : « Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? »

Post divinam majestatem, miramur divinam Jesu charitatem, juxta eumdem Augustinum : « Quod autem a Patre traditum sibi dicit calicem, illud est quod ait Apost :

« Proprio Filio non pepercit. Sed pro nobis omnibus tradidit eum. » Verum auctor calicis hujus est etiam ipse qui bibit. Unde idem Apostolus dicit : « Christus dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis. »

Nota. In verbis Christi apud Joannem Petrus addiscit Verbi Dei incarnati charitatem, et immolationem sui.

Ipse Petrus postea « consors factus divinæ naturæ » adimplebit in se cum divinâ charitate quæ desunt passionum Christi ; et calicem a Patre datum, in cruce animose bibet.

Addiscit apud Matthæum quâ Regis successor « quia hic mitis est et humilis corde ; » dicit enim : « Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur scripturæ quia sic oportet fieri ? » (*Matth. XXVI,* 52-54.)

Addiscit apud Lucam a Victimâ sacerdotali inimicis ignoscere et benefacere : Verba quæ protulit in cruce : « Pater dimitte illis : nesciunt enim quid faciant, » (*Luc. XXIII,* 34.) hæc in actu exercet in horto : « Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. » (*Luc. XXII,* 51.)

(*V.* 12-14.) Jesus comprehenditur et conducitur ad Annam et Caïpham.

Videtur apud Evangelistam « Verbi Incarnati » Spiritus sanctus enormitatem sacrilegii manifestare in Filium Dei, nominando duos veri Dei Pontifices ; quorum unus etiam donis Dei in prophetiâ abusus est, ut denuntiaret Ipsum Deum qui os ejus aperuerat.

(*V.* 15-27.) Dum ex unâ parte Petrus Dominum suum

negat, « unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu » exponenti coram pontifice « Se palam mundo locutum esse. » — « Sic respondes Pontifici ? »

Blasphematoria injuria irrogatur Filio Dei, ut iniquus Pontifex nomine Dei honoretur.

De Petri pœnitentiâ hic nihil habemus : quasi solùm impietati inimicorum, amicorum injurias, in Filium Dei voluisset Spiritus sanctus adjungere.

(*V.* 28-40.) Jesus in prætorio Pilati.

(*V.* 28-32.) Notanda est hypocrisis sacrilega in observantibus legalem munditiem, ut possint manducare Pascha ; isti sunt qui volunt occidere Filium Dei : aiunt enim Pilato : « Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus : accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. » (*v.* 30, 31.)

Ill^mus Beelen notat : Pilatus proponens, ut secundum proprias leges Jesum judicent Judæi, credebat de re ordinaria quæstionem esse, et illos non cogitare de damno capitis. Pœnæ enim mortis infligendæ illis ablata fuerat potestas.

Joannes solus ab initio apertè Deicidas signat : ethnicus judex de pœnâ mortis nondùm cogitavit : jam ipsi Judæi Deicidium decreverunt. Ubique impietatem in Filium Dei Joannes magis ostendit.

(*V.* 32.) « Ut sermo Jesu impleretur quem dixit, significans quâ morte esset moriturus. (*Joan. III*, 14 ; *XII*, 32.) Dixerat Dominus se esse crucifigendum : ut antea notavimus ex S. Augustino : « Facit Filius Dei de nescientibus voluntatem suam. »

(*V.* 33-37.) De dignitate Regiâ Jesu apud Joannem.

(*V.* 33.) « Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : tu es Rex judæorum?..... (36.) Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. (*v.* 37) Dixit itaque ei Pilatus : Ergo Rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis quia Rex sum Ego.

Ego in hoc natus sum ; et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis qui est ex veritate audit vocem meam. »

Chrys. « Quoniam non tenet Regnum ut hic tenent reges terreni, sed quoniam desuper habet principatum qui non est humanus, sed multò magis clarior : ostendit hic regni ejus quod apud nos est, imbecillitatem ; quoniam a ministris habet fortitudinem, superius verò Regnum sufficiens sibi ipsi, nullo indigens. Si igitur majus est illud regnum, volens captus est seipsum tradens. » Ps. II. « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. » Rex regum et Dominus Dominantium.

Theo. « Non dicit Regnum meum non est hic, sed non est hinc. » Nam regnat in mundo, et utitur illius provisione, et juxta vota cuncta disponit. Non est autem ab infimis constitutum regnum ejus : sed cœlestis est ante sæcula. »

« In hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. » — Aug. « Manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, quâ incarnatus venit in mundum, non illam sine initio quâ Deus erat. Cum autem Christus testimonium perhibet veritati, testimonium perhibet sibi Ipsi : ejus quippe est vox : Ego sum veritas. Sed quoniam non omnium est fides, adjungit atque ait : « Omnis qui est ex veritate audit vocem meam. » Audit utique interioribus auribus, id est, obedit meæ voci, ac si diceret, credit mihi. Quod vero ait : « omnis qui est ex veritate, » gratiam commendavit : quâ secundum propositum vocat. »

Chrys. « Discipuli et amatores veritatis subditi sunt in Regno meo. »

(*V.* 38) « Dicit ei Pilatus : quid est veritas ? et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos et dicit eis : ego nullam invenio in eo causam. »

Ill^mus Beelen. « Non scimus quo sensu Pilatus dixit, « Quid est veritas ? » forsan est ironia hominis increduli. »

Theo. « Fere veritas ab hominibus evanuerat, et a cunctis erat incognita dum essent increduli. »

Ill^mus Beelen observat quod postquam Pilatus declaraverat « se nullam invenisse causam, » Jesum ad Herodem ab illo mandatum fuisse ut narrat Lucas (*XXIII*, 5-16.) : et post reditum Jesu Pilatum iterùm ejus innocentiam declarasse in vanum. Tunc adhibuit illud medium, proponendi scilicet consuetudinem dimittendi vinctum in festo. Ut etiam narrant (*Matth. XXVII*, 15-18; 20-26; *Marc. XV*, 6-15; *Luc. XXIII*, 17-25.) Verba Joannis sunt :

(*V.* 39.) « Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergò dimittam vobis regem Judæorum ? » Notamus hic, ea quæ omnino communia sunt, a quatuor Evangelistis tradi et eodem modo : in titulo crucis legimus etiam Jesum esse Regem Judæorum :

In Matthæo est Rex Ecclesiæ, novi spiritualis Regni. Apud Marcum ut Filius Dei, cœlestis Propheta, prædicat Regnum veritatis et Fidei : « et sedet a dextris Dei. » Apud Lucam est sacerdos secundum ordinem Melchisedech : Rex Justitiæ, Rex Pacis.

Apud Joannem est Rex sæculorum cum Patre et sancto Spiritu. Est verè rex Judæorum quia ad ipsos qui perierunt domûs Israel specialiter missus est : ad Judæos tanquam « In propria venit. » (*Joan. I*, 11.)

« Vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum ?

Aug. « Avelli enim ex ejus corde non potuit Jesum regem Judæorum esse, tanquam hoc ibi sicut in titulo ipsa Veritas fixit : de quâ quid esset interrogavit. »

(*V.* 40.) « Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. »

V. Beda. « Quia ergo reliquerunt Salvatorem et petiverunt latronem, usque hodie diabolus sua latrocinia exercet in ipsos.

C. XIX.

(*V.* 1-5.) Quod Jesus flagellatur, spinis coronatur et coronam spineam portans ad Judæos adducitur, « hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, ait Aug., nisi ut ejus

injuriis Judæi satiati sufficere sibi æstimarent : et usque ad ejus mortem sævire desisterent. »

Præses præsentans Jesum spinis coronatum in vestimento purpureo, ait Judæis : « Ecce Homo ! » (*v.* 5.)

Aug. « Non clarus imperio, sed plenus opprobrio : quasi dicat : si regi invidetis, jam parcite quia abjectum videtis. Ferveat ignominia, frigescat invidia. »

Quia Joannes Personam Verbi Incarnati laudat, sacra humanitas hic opprobriis saturata monstratur, Divinitas negatur ; opponitur humilitas Incarnationis, ipsi gloriæ Majestatis Verbi Dei :

« Et Verbum caro factum est. »

Apud cæteros Evangelistas Dignitas particularis sive Regis, sive Prophetæ, sive Sacerdotis magis injuriis afficitur.

(*V.* 6, 7.) « Cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant, dicentes : crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : accipite eum vos et crucifigite : ego autem non invenio in eo causam. »

Ironicè ex indignatione dicit eis, « Vos eum crucifigite » ; non enim poterat illis hanc licentiam concedere. Quo magis incensi Judæi responderunt ei :

(*V.* 7.) « Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. »

Horrenda blasphemia et impietas ! Dei justitia invocatur ad complendum Deicidium !

Aug. « Ecce alia major invidia. Parva quidem illa videbatur velut affectatæ illicito ausu regiæ potestatis : et tamen neutrum Jesus mendaciter usurpavit, sed utrumque verum est, et Unigenitus est Dei Filius, et Rex a Deo constitutus super Sion montem sanctum ejus, et utrumque nunc demonstraret, ni quantò erat potentior, tantò mallet esse patientior. »

(*V.* 8-16.) Pilatus timuit ne Filium Dei occideret : « Judæi vero, ait Chrys. dicentes, « secundum legem debet mori quia Filium Dei se fecit : » non horruerunt, sed interficiunt eum pro quibus oportuerat adorare. »

(*V.* 9, 10.) Pilato roganti : « Unde es tu ? » Jesus responsum non dedit. Dicit ergo ei Pilatus : mihi non loqueris ?

nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? »

Chrys. « Vide qualiter seipsum condemnavit : si enim in te totum positum est, cujus gratiâ nullam causam inveniens, non absolvis? quia igitur adversus seipsum protulit sententiam, respondit Jesus : »

(V. 11.) « Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. »

Aug. « Talem quippe Deus dederat illi potestatem, ut esset etiam ipse sub Cæsaris potestate. Et quia eamdem potestatem in Jesum exerciturus est metuendo, ideo Jesus non ait : Qui me tibi tradidit, ipse habet peccatum (tanquam ille non haberet), sed ait : « majus peccatum habet, » ut etiam se habere intelligeret. »

(V. 12.) Theoph. « Cum ergo patens responsum Jesus ediderit, quod nisi ego memetipsum præberem, et Pater concederet, non haberes potestatem in me, ex hoc potius illum absolvere Pilatus satagebat : unde sequitur : « Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : si hunc dimittis non es amicus Cæsaris : omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. »

Aug. « Pilatus eorum legem non timuit ut occideret : sed magis Filium Dei timuit ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere Cæsarem auctorem potestatis suæ, quemadmodum legem gentis alienæ, unde subditur :

(V. 13-15.) « Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum..... et dicit Judæis : Ecce Rex vester. Illi autem clamabant : tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices : non habemus regem nisi Cæsarem. »

Ethnicus magis timet regem hujus mundi, quam Regem Filium Dei : Pontifices autem Judæorum Regem Deum ex toto rejiciunt ut se tradant Cæsari regi. Debilis est Ethnicus, impius autem Judæus. Juste igitur notat Chrys. : « Volentes seipsos submiserunt supplicio, propterea et Deus tradidit eos : quia enim concorditer negaverunt Regnum Dei, dimisit

eos in suum judicium incidere : Regnum enim Christi refutantes, id quod Cæsaris est super seipsos vocabant. »

Joannes hæc scripsit quia tum ex parte Pilati, tum ex parte Judæorum injuriæ fuerunt magis directè irrogatæ Filio Dei. (v. 7-16.) « Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. »

(V. 17-22.) Jesus crucem portat, et crucifigitur. Crucis titulus.

(V. 17.) « Et bajulans sibi crucem exivit... » Verbum incarnatum bajulat sibi crucem ! qui dat etiam vires adjutori Simoni, portat ipse majestate : juxta notationem Aug. de Baptismate Jesu, ministerialiter ab Apostolis collato. Sic distribuit quinque panes, sic et pullum invenit, in Joanne.

(V. 19.) Mysterium tituli crucis juxta Augustinum.

« Jesus Nazarenus Rex Judæorum. » Sed Judæorum tantùm Rex Christus est ? an etiam gentilium ? cum autem dixisset, « Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, » subjicit : « Postula a me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam. » (*Ps. II*, 6, 8.) Magnum ergo volumus in hoc titulo intelligere sacramentum, quia scilicet oleaster factus est particeps pinguedinis oleæ ; non olea facta est particeps amaritudinis oleastri. Rex ergo Judæorum Christus, secundum Judæorum circumcisionem, non carnis, sed cordis ; non litterâ, sed spiritu.

« Et erat scriptum hebraice, græce et latine. » Hebraicè, propter Judæos in lege Dei gloriantes. Græce propter Gentium sapientes. Latinè propter Romanos multis et pene omnibus gentibus imperantes. »

Nota. Apud quatuor Evangelistas solum attributum regium in titulo crucis commemoratur. Etenim omnes regem exspectabant ; et prophetæ majori regem celebritate proclamarant.

Cetera, tempore Messiæ, attributa Domini, erant apud multitudinem quasi oblivioni tradita, et nota a paucissimis electorum. Rex erat nomen vulgatum. — Ipse Jesus, in quator Evangeliis, sese vocat prophetam : quod nomen genericum erat, Missis Domini, generaliter tributum.

(*V.* 22.) « Quod scripsi, scripsi. » Aug. « Avelli ex ejus corde non potuit Jesum esse Regem Judæorum tanquam ibi, sicut in titulo, ipsa Veritas fixerit. » (*Tract.* 115 *in Joann.*)

(*V.* 24.) « Partiti sunt vestimenta mea sibi : et in vestem meam miserunt sortem.... »

Aug. « Quadripartita autem vestis Domini Nostri Jesu-Christi quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam quatuor scilicet partibus in orbe diffusam, et in eisdem æqualiter, id est, concorditer distributam. Tunica verò illa sortita omnium partium significat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. »

(*V.* 25-30.) Verba Jesu in cruce apud Joannem.

« Mulier ecce filius tuus... Ecce mater tua. » (*v.* 26, 27.) Filius Dei, Deus charitas, « Testabatur de cruce, ait Ambrosius, et inter matrem atque discipulum (quem diligebat) dividebat pietatis officia. »

Ut antea in nuptiis Cana matrem appellavit, « mulier, » sic etiam hic in humilitate passionis, ut se « Filium Dei » esse insinuet. Filius Dei, juxta S. Patres, et præcipuè Augustinum, in Joanne commendat Mariæ omnes credentes in eum, seu Ecclesiæ filios : Quod reverâ demonstrat testamentum hic in cruce factum, testamentum esse « Dei charitatis. »

(*V.* 28.) « Sitio. » Ps. LXVIII : 22 « In siti meâ potaverunt me aceto. » Mystica sitis Filii Dei exprimitur in sequelâ ejusdem Psalmi : (*v.* 30-37.) Præsertim in fine : « Quoniam Deus salvam faciet Sion : et ædificabuntur civitates Juda. Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent eam. Et semen servorum ejus possidebit eam : et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in eâ. »

Sitis ejus vero est salus discipulorum suorum : In eodem Psalmo Propheta etiam prædixit vindictam in inimicos exercendam juxta Dei justitiam : (*v.* 23-29.) præsertim, « Deleantur de libro viventium : et cum justis non scribantur. » (*v.* 29.) Litteraliter verbum « sitio » veram etiam Filii Dei humanitatem notat. « Et Verbum caro factum est. »

(*V.* 30.) « Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit :

« Consummatum est. » Et inclinato capite, tradidit Spiritum. »

« Consummatum est. » Ill^mus Beelen, « Opus salutis generis humani ad quod in hunc mundum veni perfectum est. » Hæc verè verba sunt Verbi Incarnati ! sequela hujus versus etiam Divinitatem Jesu proclamat ; dicitur enim :

« Et inclinato capite tradidit spiritum. » Aug. « Quis ita dormit quando voluerit, sicut Jesus mortuus est quando voluit ? quantò speranda, vel timenda potestas judicantis, si apparuit tanta morientis ? »

Chrys. « Non autem quoniam expiravit, inclinavit caput, sed quoniam inclinavit caput, tunc expiravit : per quæ omnia indicavit Evangelista, quoniam omnium Dominus ipse erat. »

(*V.* 31-37.) Aperitur latus Jesu : Sanguis et aqua continuò exivit. «.... Non fregerunt ejus crura : sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, et continuò exivit sanguis et aqua... Facta sunt hæc ut scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit : videbunt in quem transfixerunt. »

Origines bene demonstrat convenientiam narrationis apud Joannem factæ, de Jesu quem figuravit agnus Paschalis : cujus ossa non erant comminuenda ; (*Exodi XII,*) sic loquitur :

« Qui autem hunc obtulit agnum ad immolandum, Deus fuit in homine reconditus : magnus sacerdos qui dixit : « Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam. » Unde dicitur « agnus Dei. » Ipse enim nostros languores accipiens, totius mundi tollens peccata, mortem quasi baptismum suscepit. »

De agno Paschali, typo Jesu in cruce immolati dicitur (*Exodi XII,* 46.) « In unâ domo comedetur, nec efferetis de carnibus ejus foras, nec os illius confringetis. »

In unâ domo, scilicet Ecclesia comedetur Agnus Dei ; et de carnibus ejus foras non efferentur : quia non licet dare sanctum canibus, nec pretiosam hanc margaritam projicere ante porcos. « Nec os illius confringetur, » in divinissimo enim sacramento « Agnus Dei » factus est panis vitæ, qui in novissimo die resuscitabit fidelium ossa humiliata.

(*V.* 34.) « Sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit. » Aug. « Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur. Unde Sacramenta Ecclesiæ manaverunt, sine quibus ad vitam quæ vere vita est, non intratur. Unde sequitur: « Et continuò exivit sanguis et aqua. » Ille sanguis in remissionem effusus est peccatorum, aqua illa salutare temperat poculum : hoc et lavacrum præstat et potum. »

Hanc aquam « lavacrum » vocemus in baptismo : ubi renascimur ex aquâ et Spiritu Sancto !

Sed et « potum vocemus eam in cœlis ; quia ille qui biberit ex hâc aquâ, » quam ipse dabit, non sitiet in æternum : fiet (enim) in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. (*Joan. IV,* 13. 14.) Nonne ipse Dominus in sacrâ humanitate sitivit hanc aquam ? nonne concupivit effusione sanguinis in passione et etiam in morte, intrare in vitam æternam ut non sitiret iterum ? Per sanguinem Sacra Humanitas meruit aquas vitæ æternæ, et refrigerium æternæ gloriæ. Duplici igitur symbolo sanguinis et aquæ, exprimitur duplex etiam natura Jesu : humanitas scilicet atque divinitas.

(*V.* 37.) « Videbunt in quem transfixerunt. »

Scriptura ex Zach. XII, 10. Menoch. « Sermo est de Judæis qui Christum in cruce aspexerunt, præsertim iis qui ei compassi sunt, de quibus dicitur Lucæ XXIII, 48 : « Et omnis turba.... percutientes pectora sua revertebantur. » Sed Aquila Joannes hic extendit etiam volatum suum ad summos cœlos, ubi in prophetiâ, Verbum Dei conspicit in gloriâ ; juxta illud Apocalypseos : (*C. I,* 7) « Et venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt. Et plangent super eum omnes tribus terræ. Etiam, amen. »

Tunc etiam Judæi videbunt in gloriâ suâ quem transfixerunt. Omnes autem electi tunc haurient aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : bibent cum Agno et non sitient iterùm.

V. 38-42. *Sepultura Jesu.*

Solus Joannes mentionem facit de Nicodemo : « Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primùm. »

Sanctus Spiritus hanc narrationem Evangelistæ « Verbi » reservavit, ut possemus admirari mirabilia quæ Filius Dei operatus est in animâ timidi Nicodemi, qui :

1° Venit ad Jesum nocte. (*III*, 1-23.)

2° Defendit Jesum coram Pharisæis : (*VII*, 51.)

3° Venit audacter, honorans sepulturam Jesu. (*XIX*, 39-42.)

C. XX. XXI.

Resurrectio et apparitiones Jesu.

(*V.* 1-10.) Maria Magdalene non inveniens Dominum in monumento, venit et annuntiat Simoni Petro et Joanni, qui « venerunt ad monumentum. » S. Greg. dat mysticam interpretationem eorum quæ fiunt a duobus Apostolis : « Hæc tam subtilis Evangelistæ descriptio a mysteriis vacare credenda non est ; per Joannem juniorem synagoga, per seniorem vero Petrum Ecclesia gentium designatur : (forsan Ecclesia per Mariam et duo populi per Apostolos designantur) quia si ad Dei cultum est prior synagoga quam Ecclesia gentium, ad usum tamen sæculi prior est multitudo gentium quam synagoga. Cucurrerunt autem simul, quia ab ortûs sui tempore usque ad occasum pari et communi viâ, etsi non pari et communi sensu gentilitas cum synagoga decucurrit. Venit synagoga prius ad monumentum, sed minimè intravit quia legis quidem mandata percepit, prophetias de Incarnatione ac Passione Dominicâ audivit, sed credere in mortuum noluit. Venit autem Simon Petrus, et introivit in monumentum quia secuta posterior Ecclesia gentium Christum-Jesum et cognovit carne mortuum, et viventem credidit Deum. Postquam intravit Petrus, ingressus est et Joannes, quia in fine mundi ad Redemptoris fidem etiam Judæa colligetur. »

Narratio mysteriorum divinitatis Christi, ac sacræ ejus humanitatis ; eorumque a duobus populis agnitio sanè pertinet ad Evangelistam Verbi incarnati.

(*V.* 11-13.) Apparitio Angelorum in Joanne idem myste-

rium divinitatis et humanitatis Christi repræsentat ; etenim erant « Sedentes unus ad caput et unus ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. » (*v.* 12.) Greg. Ad caput sedet Angelus cum per Apostolos prædicatur : quia « in principio erat Verbum ; » et quasi ad pedes sedet, cum dicitur : Verbum caro factum est. »

(*V.* 14-18.) Apparitio Jesu Mariæ Magdalenæ.

Maria Dominum agnoscens dicit ei : « Rabboni (quod dicitur Magister). Dicit ei Jesus : noli me tangere : nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum : Deum meum et Deum vestrum. »

Ill^mus Beelen. « Hic locus est valde obscurus ; multi sic interpretantur : Maria projecerat sese ad pedes amplectendos ; Jesus autem non permisit, significans se postea veniam daturum iterum videndi eum, « quia nondum ascendit ad Patrem ; » quod nunc non poterat se apud ipsum detinere, sed statim fratribus nuntiaret se vidisse Dominum. »

S. Aug. Videt hic mysterium et sensum anagogicum : « Mariam quoque post resurrectionem mysticâ altitudine vitans, « Noli me, inquit, tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem. »

Etiam S. Leo, serm. 2 de ascensione : « Cum ad Patrem ascendero, tunc me perfectius, veriusque palpabis apprehensura, quod tangis, et creditura quod cernis. »

Necnon apud Calmet Tolletus, Brugensis, Æstius : « Ne tangas amplius velut hominem mortalem : nondum ascendi ad Patrem meum : sed quam primum ad illum ascendam. Ibi me adorabis, illuc vota, amoremque tuum attollere debes. »

Grotius et Justinus apud eumdem : « Per fidem et supernaturales sensus me debes complecti. »

Nonne hic Dominus alludit ad promissum quod antea fecit Apostolis quando dixit : « Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, et præparavero vobis locum, (in domo Patris mei mansiones multæ sunt) iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. » (*Joan. XIV*, 2, 3.) Ubique apud Joannem Dominus exigit fidem in divinitatem

suam : hic illa fides est, quæ potest magis attentionem Apostolorum stimulare, et eos ad supernas et antea promissas consolationes adducere. In cœlis erit verus tactus Domini, primum animæ sanctæ post mortem, postea animæ et corporis in resurrectione. Cum Dominus in terris quadraginta dies remaneat, non videtur, quare hic loquatur de annuntiandâ suâ ascensione, quasi hæc materialiter instaret : Ipsi Apostoli viderunt Dominum, in cœlos ascendentem. (*Act. Ap. I*, 9.) Magis opus fuisse videtur fidem eorum excitare ut in memoriam revocarent divinas promissiones sibi a Domino factas dum esset in terris. Maria ipsa particeps erit promissorum Domini, et mittitur ad Apostolos ut eos stimulet ad revocanda in memoriam prædicta a Domino ipsis beneficia. Et hoc narrandum ad Joannem « Filii Dei » Evangelistam spectabat.

Sic melius etiam intelligimus quare sanctæ mulieres apud Matthæum, potuerint « tenere Jesu pedes et eum adorare, » (*XXVIII*, 9. 10.) quamvis eas juberet nuntiare fratribus ejus ut eant in Galilæam, ubi eum viderent. Quæ sane magis videntur instantia quam nuntium futuræ Ascensionis Domini.

Attamen potuerunt se sanctæ mulieres apud Dominum aliquatenus detinere, quod Mariæ non licuit. Ideo videtur Dominus Mariam, ut ait S. Augustinus, « mystica altitudine vitare. »

Quominus tamen dicatur Dominus erga Mariam sic egisse ob magnitudinem rei nuntiandæ, nempe Ascensionis suæ prius promissæ, unde maximum Apostoli solatium quam primùm sentirent.

Ita etiam narratio Joannem spectaret propter glorificationem Verbi-Incarnati.

(*v*. 19-23.) Apparet Jesus Apostolis et dat eis Spiritum sanctum.

(*V*. 19.) « Cum ergo serò esset die illa, unâ sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum : venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. » (Vid. Lucam *XXIV*. 36.)

Ubique Joannes notat humanum timorem confitendi Jesu-Christi Divinitatem !

(*V.* 20.) « Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. »

Omnia hic magis divina sunt : non permittit præsentia divina ullam hæsitantiam ; sed gaudium statim instillat.

(*V.* 21.) « Dixit ergo eis iterum : Pax vobis : sicut misit me Pater, et ego mitto vos. »

Men. Sicut misit me Pater divinâ suâ auctoritate e cœlo in terram ; pari auctoritate, et ego mitto vos in mundum universum. (*v.* 21.)

« Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis retenta sunt. » (*v.* 22, 23.)

Aug. « Flatus ille corporeus substantia Spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantùm a Patre sed etiam a Filio procedere Spiritum sanctum. »

Sanctus Thomas notat : « Dare Spiritum sanctum auctoritativè pertinet ad divinitatem. » Cujus in Joanne hic exemplum habemus. Dat enim Filius Dei Spiritum sanctum ut Apostoli in virtute Dei peccata remittant : cum solus Deus peccata remittere possit.

2° Dare Spiritum sanctum instrumentaliter pertinet ad sanctam humanitatem.

Quam divina et miranda nimis est Unitas inspirationis sanctorum Evangeliorum !

Ut Filius hominis remittit Jesus peccata paralytico in tribus Evangelistis Matthæo, Marco et Lucâ, qui magis student sacræ humanitati Domini commendandæ.

Ast in Joanne Evangelistâ Verbi Dei, Ipse Filius Dei dat Spiritum sanctum Apostolis, cujus virtute et ipsi homines ad instar « Filii Hominis » peccata remittent.

(*V.* 24-29.) Apparitio Jesu, Thomâ etiam præsente. Theo. « Qui prius infidelis fuerat (Thomas) post lateris tactum optimum se theologum ostendit. Nam duplicem naturam unicamque hypostasim Christi edisseruit. Dicendo enim « Dominus meus, » naturam humanam ; dicendo vero « Deus

meus, » Divinam confessus est, et unum et eumdem Deum et Dominum. »

Videtur S. Thomas infidelitatem præsentem Judæorum repræsentare : ipsi etiam in Octavâ credent quum « videbunt quem transfixerunt. » Nos autem de gentibus « Beati sumus quia non vidimus et credidimus. » « Eum quem carne non vidimus, ait Chrysostomus, mente retinemus. »

(*V.* 30, 31.) « Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in Nomine ejus. »

Evangelista scopum commendandæ in suo Evangelio Divinitatis Christi aperte fatetur : Ut credentes vitam æternam habeamus in Nomine ejus. « Quod addit, ait Chrys. ut ostendat quoniam non illi cui creditur, sed nobis ipsis utile est credere « in Filium Dei. »

C. XXI.

Apparitio ad mare Tiberiadis.

(*V.* 1-14.) Piscatio miraculosa et prandium Apostolorum in præsentiâ Jesu. Interpretatio mystica S. Augustini.

« Mysticè in capturâ piscium commendavit Ecclesiæ sacramentum, qualis futura est in ultima resurrectione mortuorum. »

Notat Greg. « Quia discipuli adhuc fluctibus mortalis vitæ inerant, in mari laborabant, quia autem redemptor noster jam corruptionem carnis excesserat post resurrectionem suam in littore stabat. »

Pergit Aug. « Littus etiam finis est maris : ideo finem significat sæculi, sicut enim in hoc loco qualiter in fine sæculi futura sit, ita Dominus aliâ piscatione significavit Ecclesiam qualiter nunc sit. Unde ibi Jesus non stabat in littore, sed ascendens in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit a terra reducere pusillum. In aliâ piscatione non mittuntur retia in dextram, ne solos significent bonos, nec

in sinistram ne solos malos, sed indifferenter : « Laxate, inquit, retia vestra in capturam, » ut permixtos intelligamus bonos et malos. Hic autem inquit : « mittite in dextram navigii rete ; » ut significaret eos qui stabant ad dextram : solos bonos. Illud fecit in initio prædicationis suæ : hoc post resurrectionem suam, hinc ostendens illam capturam piscium bonos et malos significare, quos nunc habet Ecclesia. Ista verò tantummodo bonos quos habebit in æternum, completa in fine hujus sæculi resurrectione mortuorum. Illi autem qui pertinent ad resurrectionem vitæ, id est dexteram : et inter Christiani nominis retia defiguntur, non nisi in littore, id est, in fine sæculi cum resurrexerint, apparebunt. Ideo non valuerunt sic trahere retia, ut in navim refunderent quos ceperant pisces, sicut de aliis factum est. Habet autem illos dexteros post finem hujus vitæ in somno pacis, velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat. Quod in primâ piscatione duabus naviculis ; hoc isto loco ducentis cubitis tantùm, centum et centum existimo figuratum, propter utriusque generis electos ; et circumcisionis et præputii. In aliâ piscatione numerus piscium non exprimitur, tanquam illud ibi fiat quod prædictum est per prophetam : « Annuntiavi et locutus sum, multiplicati sunt super numerum. » Hic verò certus est numerus : quo omnes ad gratiam Spiritûs pertinentes figurantur. Non autem frustra dictum est quod erant magni. Cum enim dixisset Dominus, non veni solvere legem, sed adimplere, daturus Spiritum utique, per quem lex posset impleri. Paucis verbis interpositis, ait : « Qui fecerit et docuerit magnus vocabitur in regno Cœlorum. » In primâ piscatione rete propter significanda schismata rumpebatur : hìc verò quoniam in illa summâ pace sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad Evangelistam consequenter dicere : « Et cum tanti essent, non est scissum rete, » tanquam illud respiceret ubi scissum est : et in illius mali comparatione commendaret hoc bonum. »

Forsan numerus piscium 153 notatur propter mysterium. Nam in 150 comprehenduntur tres Pentecostes, propter triplicem dispensationem legis naturalis, Judaicæ et Chris-

tianæ, sub quibus omnes electi salvi facti sunt in Nomine S^{mæ} Trinitatis per numerum tres repræsentatæ. Sic obtinemus numerum centum quinquaginta tres.

« Cum complerentur dies Pentecostes. » (*Act. Apost. II.*) S. Petrus solemniter proclamavit resurrectionem mortuorum in Capite nostro Jesu ; et doctrinam S^{mæ} Trinitatis explicitam omnibus nuntiavit (*v.* 32. 33.).

Apud Lucam exposuimus quare in retibus melius forsan intelligitur Verbum Dei : Verbum Dei Incarnatum, ut Victima quæ contrita est propter scelera nostra, capit pisces, seu homines et introducit in Ecclesiam militantem : est rete scissum apud Lucam. Apud Joannem rete non scissum est Verbum Dei quod dixit « Ego sum resurrectio et vita ; » et ducit homines in littus æternitatis.

Notavimus prælium Ecclesiæ militantis melius designari per naves quæ penè submerguntur ob multitudinem piscium ; « tum bonorum, tum malorum, » ut ait Augustinus.

(*V.* 11.) « Ascendit Simon Petrus et traxit rete in terram. »

Petrus ut summus Pontifex ecclesiæ electorum trahit in Verbi Dei virtute omnes electos : in fine sæculi fit verè piscator hominum quorum nullus perdetur. Et hoc est quod ait Gregorius : « Petro autem sancta Ecclesia est commissa, ipsi specialiter dicitur : « pasce oves meas. » Quod ergo postmodum aperietur in voce, nunc significatur in opere. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem æternæ patriæ fidelibus ostendit : hoc fecit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. »

(*V.* 12, 13.) In prandio cum Apostolis notat S. Chrysostomus, apud Joannem non dici Jesum cum eis comedisse. Nec hoc miremur : in Joanne manifestat divinitatem ; apud Lucam autem humanitatis veritatem : nam legimus (*XXIV*, 41-43.) « Adhuc autem illis non credentibus, (se non spiritum videre) et mirantibus præ gaudio, dixit : habetis hic aliquid quod manducetur ? At illi obtulerunt ei partem piscis assi et favum mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. »

Aug. in Joannem. « Mysticè autem piscis assus Christus est passus. Ipse est et panis qui de cœlo descendit: huic incorporatur Ecclesia, ad participandum beatitudinem sempiternam : propter hoc dictum est : « Afferte de piscibus quos apprehendistis nunc, » ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest in hoc loco nostra universalitas intelligi figurata, tanto sacramento nos communicare possemus, et eidem beatitudini sociari. »

In hoc sensu loquitur etiam Gregorius.

(*V.* 15-23.) Amor Petri. Credit ipsi Jesus Ecclesiam suam et prædicit martyrium ejus.

Aug. in tertium Domini responsum : « Pasce oves meas, » animadvertit : « Quasi dicat : sit amoris officium pascere Dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare Pastorem. » In Joanne Petrus imitatur Deum charitatis, illum qui dixit : « Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. » (*Joan. X*, 11.) Amorem erga divinum Pastorem et erga gregem probabit, dando et ipse vitam pro fide in Filium Dei cujus gregem pascit. Ut legimus (*v.* 18, 19) Ipse supremus Pastor « significat Petro quâ morte clarificaturus est Deum. » (*v.* 19.)

Jesus « dicit ei : sequere me. » In hoc, ait Theo., cunctorum fidelium prælaturam ei instituit. Simul autem et sequi intelligas hic imitationem in cunctis, in verbis et in operibus. »

In hoc sensu qui sacris litteris conformis est, fit coredemptor cum Jesu, animam suam ponens pro ovibus gregis : quod S. Paulus de se dixit, cum majori ratione de Petro dici debet. Sic autem loquitur Apostolus (*Coloss. I*, 24.) « Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea quæ desunt passionum Christi, in carne meâ, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. » (*Vide Matth. de primatu Petri. P.* 128-132.)

Joannes hæc omnia enarravit quia Verbum divinum, qui est Deus charitas, in his maxime manifestatur : Filius Dei reddit Petrum divinæ naturæ participem docens eum propriam charitatem.

Ill[mus] Beelen ait, Dominum severè admonere Petrum ne de Joanne sollicitus sit, etiam si velit eum manere usque in diem judicii. Forsan ut Joannes in cursu ad sepulchrum significavit synagogam; hic de novo populum Judæorum repræsentat qui solùm in fine mundi Dominum sequentur. Petrus autem cum Ecclesiâ gentilium immediatè sequetur.

(*V.* 24, 25.) Veritas testimonii Joannis. Prodigiosa nimis opera Domini! — Ergo « vidimus gloriam ejus; gloriam quasi Unigeniti a Patre. » (*Joan. I,* 14.)

FINIS ANALYSIS EVANGELII S. JOANNIS.

APPENDIX.

DE TENTATIONIBUS JESU IN DESERTO JUXTA NARRATIONEM EVANGELISTARUM MATTHÆI ET LUCÆ.

Scopum tentatoris Ill^{mus} Beelen ita intelligit :

« Volebat spiritus malignus investigare an Jesus esset vere Filius Dei : et inducere illum in peccatum si esset merus homo. »

Narratio Matthæi. C. IV. 3-11.

(*V.* 3.) Et accedens tentator dixit ei : Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. 4. Qui respondens dixit : scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi. 6. Et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit illi omnia regna mundi, et gloriam eorum. 9. Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. 10. Tunc dixit Jesus : Vade satana : scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 11. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce Angeli accesserunt, et ministrabant ei. »

Narratio Lucæ. C. IV. 3-13.

(*V.* 3.) « Dixit autem illi diabolus : Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. 4. Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem excelsum et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6. Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt ; et cui volo do illa. 7. Tu ergo si adoraveris coram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Jesus, dixit illi : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies. 9. Et duxit illum in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : si Filius Dei es mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim quod Angelis suis mandavit de te, ut conservent te : 11. Et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Jesus, ait illi : Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus. »

Forsitan, non absque probabilitate, diabolus, in antiquo testamento, substratum elegit cui tentationes inniterentur, ut facilius scopum attingeret.

Tentationes nude in se consideratæ satis miræ nobis apparere possunt : si autem vetus testamentum quædam analoga præbeat ut substrata, tunc magis obvia videntur et magis intentioni inimici propria ut cum bono exitu de Persona Jesu scrutetur.

Somnium Jacobi imprimis (*Gen.* XXVIII, 11-22 *et* XXXV, 2, 3) ; et (*Danielis*, II, 34. 35.) materiam analogam ut substratum indigitare videntur.

Quod autem præsertim sui pretii est, apparentes utriusque Evangelistæ contradictiones, in narratione, ita omnino dissipantur.

Gen. XXVIII, *v*, 11 « Cumque (Jacob) venisset ad quemdam locum, et vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dor-

mivit in eo loco. 12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. 13. Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui et Deus Isaac : terram in quâ dormis tibi dabo et semini tuo. 14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ : dilataberis ad Occidentem, et Orientem, et Septentrionem et Meridiem ; et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. 15. Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc : nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi... 18. Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. 19. Appellavitque nomen urbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. 20. Vovit etiam votum, dicens : si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, 21. Reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum, 22. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei : cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. »

Gen. XXXV, 2, 3. « Jacob autem convocata omni domo sua ait : ... 3. Surgite, et ascendamus in Bethel, ut faciamus ibi altare Deo : qui exaudivit me in die tribulationis meæ, et socius fuit itineris mei. » Daniel. II, 34. « Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte, sine manibus : et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos. 35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento : nullusque locus inventus est eis : lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram. »

Præterea multa promissa futuro Messiæ facta erant notissima et dominationem super mundum universum signabant : v. g. Psalm. II, 8 : « Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. »

S. Hilarius, apud Ill[mum] Beelen, in verba Matthæi, (cap. IV, 9.) « Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me : » opinatur

satanam his verbis voluisse fingere seipsum esse Filium Dei, sperans ita se a Jesu responsum obtenturum quo illud quod scire cupiebat cognosceret.

Allatas igitur superius Veteris Testamenti prærogativas, quæ Messiam spectant, sibi vindicare visus est in tentando Dominum.

S. Matthæus videtur sequi ordinem somnii et actionis Jacobi præviæ ante somnum.

1° Matthæi IV, *v.* 3. Tentator dixit Jesu : » Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. » (Joannes Baptista quoque dixerat : Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. » *Matth.* III, *v.* 9.)

Gen. XXVIII, 11.... (Jacob) tulit de lapidibus qui jacebant, et supponens capiti suo, dormivit in eo loco.

2° Matth. IV. 5. « Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi, 6. Et dixit ei : Si Filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia Angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. » (Quæ verba Psalmi nonagesimi diabolus contorquet, ait Ill^mus Beelen.)

Gen. XXVIII, 12. « Viditque (Jacob) in somnis scalam stantem super terram et cacumen illius tangens cœlum : Angelos quoque Dei ascendentes et descendentes per eam. »

A Lapide cum Theodoreto et aliis dicit quod illa scala, ad litteram, symbolum est Providentiæ et gubernationis divinæ unde Deus illi innititur, quasi prima causa et primum movens omnium. Angeli ascendunt et descendunt, quasi ministri et executores Providentiæ Dei, quibus Deus singillatim sua munia cuique distribuit.

Ex adjunctis patet hic præsertim agi de Providentia Dei circa incarnationem et mundi benedictionem per semen Jacobi, nempe Jesum-Christum. B. Petrus Chrysologus (serm. 3. de incarnatione) incarnationem vocat negotium omnium sæculorum, nimirum quia in eo omnibus ætatibus insudatum est, ac per Angelos acriter actum cum Deo de communi hoc mundi remedio, donec intra Virginis domum negotium cœleste compleretur. (*Apud A Lapide in cap.* 28 *Gen.*).

Addit textus sacer Gen. XXVIII, 16. « Cumque evigilasset Jacob de somno, ait : Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. 17. Pavensque, quam terribilis est, inquit, locus iste ! non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli. »

Hinc in tentatione diabolus facile potuit annectere ideæ summitatis scalæ Jacobeæ, ideam pinnaculi templi.

3° Matth. IV. 8. « Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum, 9. Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. 10. Tunc dicit ei Jesus : Vade satana... »

Gen. XXVIII, 13. « Et (vidit) Dominum innixum scalæ dicentem sibi : Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, et Deus Isaac : terram, in qua dormis tibi dabo et semini tuo. 14. Eritque semen tuum quasi pulvis terræ : dilataberis ad Occidentem et Orientem, et Septentrionem et Meridiem : et benedicentur in te et in semine tuo cunctæ tribus terræ. »

Huic sublimi benedictioni quæ soli Messiæ prophetice conveniebat, potuit tentator facile annectere ideam montis aliunde desumptam ut supra annotavimus ; et dominationem universalem cum summa gloria : jungens promissa hic facta Jacobo cum aliis alibi similibus per prophetas prædicta.

Ut in commentario diximus in Matthæo, Rex, quasi proprium triumphum prænuntians, in fine confundit diabolum, dicens : (*v.* 10.) « Vade satana.... »

1. Apud sanctum Lucam diabolus in prima tentatione ait Domino : (*cap. IV. v.* 3.) « Si Filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. »

Apud Matthæum dixit : « dic ut lapides isti panes fiant. »

Legimus Gen. XXVIII, 18 : « Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper. »

2. Secunda tentatio Lucæ est ultima apud Matthæum :

Luc. IV. 5. « Et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6. Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum : quia mihi tradita sunt ; et cui volo do illa. 7. Tu ergo... »

Videtur hic satanas majori impudentia asserere potestatem suam : « quia mihi tradita sunt.... » Attamen apud S. Lucam Jesus ut Victima sacerdotalis tentatorem non increpat, dicendo : « Vade satana. »

Hac tentatione, quæ extremam diaboli superbiam notat, hic velle videtur humilitatem Jesu Victimæ sacerdotalis confundere.

Quam humilitatem Jesu in via crucis, typus ejus Jacob, post sublimia Dei promissa, imitatur accingens se ad iter continuandum : legitur enim : Gen. XXVIII, 20. « Vovit etiam votum dicens: si fuerit Deus mecum, et custodierit me in via, per quam ego ambulo, et dederit mihi panem ad vescendum, et vestimentum ad induendum, 21. Reversusque fuero prospere ad domum patris mei : erit mihi Dominus in Deum. »

Quanta gratitudo ! quanta humilitas ! postquam Deus dixerat : (*v.* 15.)

« Et ero custos tuus quocumque perrexeris, et reducam te in terram hanc : nec dimittam nisi complevero universa quæ dixi. »

3. Tertia tentatio apud Lucam est raptus Jesu in pinnaculum templi.

Cui videtur respondere tertia actio Jacobi priusquam e loco sancto discedat : (*v.* 22.) « Et lapis iste, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei..... »

Sic in tertia tentatione tentator intuitus est simul summitatem scalæ, domum Dei et pinnaculum templi.

Diverso ordine quem secuti sunt Evangelistæ Matthæus et Lucas, Spiritus sanctus, humano modo, totam intentionem satanæ nobis aperire probabiliter intendit.

SANCTUM

JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM MATTHÆUM.

CAPUT 1.

A quibus majoribus Christus secundum carnem descenderit: angelus instruit Joseph de Mariæ sponsæ suæ conceptione, partuque futuro.

1. Liber generationis Jesu-Christi filii David, filii Abraham. 2. Abraham
genuit Isaac. Isaac autem genuit Jacob. Jacob autem genuit Judam, et
fratres ejus. 3. Judas autem genuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares
autem genuit Esron. Esron autem genuit Aram. 4. Aram autem genuit
Aminadab. Aminadab autem genuit Naasson. Naasson autem genuit
Salmon. 5. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed
ex Ruth. Obed autem genuit Jesse. Jesse autem genuit David regem. 6.
David autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Uriæ. 7. Salomon
autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abias autem genuit
Asa. 8. Asa autem genuit Josaphat. Josaphat autem genuit Joram. Joram
autem genuit Oziam. 9. Ozias autem genuit Joatham. Joatham autem
genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. 10. Ezechias autem genuit
Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autem genuit Josiam.
11. Josias autem genuit Jechoniam, et fratres ejus in transmigratione
Babylonis. 12. Et post transmigrationem Babylonis : Jechonias genuit
Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. 13. Zorobabel autem genuit
Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. 14.
Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem
genuit Eliud. 15. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit
Mathan. Mathan autem genuit Jacob. 16. Jacob autem genuit Joseph
virum Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus.

17. Omnes itaque generationes ab Abraham usque ad David, genera-
tiones quatuordecim : et a David usque ad transmigrationem Babylonis,

generationes quatuordecim : et a transmigratione Babylonis usque ad Christum, generationes quatuordecim. 18. Christi autem generatio sic erat : Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere : voluit occulte dimittere eam. 20. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens : Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam : quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. 21. Pariet autem filium : et vocabis nomen ejus Jesum : ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. 22. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : 23. Ecce virgo in utero habebit, et pariet filium : et vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum Nobiscum Deus. 24. Exurgens autem Joseph a somno, fecit sicut præcepit ei angelus Domini, et accepit conjugem suam. 25. Et non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum : et vocavit nomen ejus Jesum.

CAPUT II.

Quomodo Magi cum muneribus ad Christum natum pervenerint ; de Herodis in infantes sævitia, et Christi in Ægyptum exilio ipsiusque reditu in terram Israel.

1. Cum ergo natus esset Jesus in Bethleem Juda in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt Jerosolymam. 2. Dicentes : Ubi est qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum. 3. Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Jerosolyma cum illo. 4. Et congregans omnes principes sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. 5. At illi dixerunt ei : In Bethlehem Judæ : Sic enim scriptum est per Prophetam : 6. Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda : ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel. 7. Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis : 8. Et mittens illos in Bethlehem, dixit : Ite, et interrogate diligenter de puero : et cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum. 9. Qui cum audissent regem, abierunt, et ecce stella, quam viderant in oriente, antecedebat eos, usquedum veniens staret supra, ubi erat puer. 10. Videntes autem stellam gavisi sunt gaudio magno valde. 11. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum : et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, et myrrham. 12. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. 13. Qui cum recessissent, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens : Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futurum est enim ut Herodes quærat puerum ad perdendum

eum. 14. Qui consurgens accepit puerum, et matrem ejus nocte et secessit in Ægyptum : 15. Et erat ibi usque ad obitum Herodis : ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem : Ex Ægypto vocavi filium meum.

16. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset a Magis, iratus est valde, et mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, et in omnibus finibus ejus a bimatu et infra secundum tempus, quod exquisierat a Magis. 17. Tunc adimpletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam dicentem : 18. Vox in Rama audita est, ploratus, et ululatus multus : Rachel plorans filios suos, et noluit consolari, quia non sunt.

19. Defuncto autem Herode, ecce angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Ægypto. 20. Dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel : defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri. 21. Qui consurgens, accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel. 22. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Judæa pro Herode patre suo, timuit illo ire : et admonitus in somnis secessit in partes Galilææ. 23. Et veniens habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth : ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas : Quoniam Nazaræus vocabitur.

CAPUT III.

Joannes Baptista (cujus vitæ austeritas describitur) pœnitentiam juxta Isaiæ vaticinium in deserto prædicat ; et populo ad ipsum confluente, reprehendit pharisæos una cum sadducæis, docens ut dignos faciant fructus pœnitentiæ : et quantum suus a Christi baptismo differat : super Christum autem a Joanne baptizatum descendit Spiritus sanctus et vox Patris cœlestis audita est.

1. In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ. 2. Et dicens pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum. 3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus. 4. Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos : esca autem ejus erat locustæ, et mel silvestre. 5. Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem ; 6. Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos Pharisæorum, et Sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis : Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. 9. Et ne velitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham, dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ 10. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam : qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calceamenta portare :

ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni. 12. Cujus ventilabrum in manu sua : et permundabit aream suam : et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

13. Tunc venit Jesus a Galilæa in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. 14. Joannes autem prohibebat eum, dicens : Ego a te debeo baptizari, et tu venis ad me? 15. Respondens autem Jesus, dixit ei : Sine modo : sic enim decet nos implere omnem justitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua, et ecce aperti sunt ei cæli : et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se. 17. Et ecce vox de cælis dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

CAPUT IV.

Christus in deserto post jejunium quadraginta dierum vincit diaboli tentationes ; et capto Joanne secedens in Capharnaum, pœnitentiam prædicat. piscatores Petrum et Andream, Jacobum et Joannem Zebedæi ad se vocat : annuntians quoque Galilæis evangelium, varias curat infirmitates, turbis ipsum comitantibus.

1. Tunc Jesus ductus est in desertum a Spiritu, ut tentaretur a diabolo. 2. Et cum jejunasset quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, postea esuriit. 3. Et accedens tentator dixit ei : Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. 4. Qui respondens dixit : Scriptum est : Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. 5. Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum super pinnaculum templi. 6. Et dixit ei : Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Quia angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. 7. Ait illi Jesus : Rursum scriptum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 8. Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde : et ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum. 9. Et dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. 10. Tunc dicit ei Jesus : Vade Satana : Scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 11. Tunc reliquit eum diabolus : et ecce angeli accesserunt, et ministrabant ei.

12. Cum autem audisset Jesus quod Joannes traditus esset, secessit in Galilæam : 13. Et, relicta civitate Nazareth venit, et habitavit in Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, et Nephthalim : 14. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam : 15. Terra Zabulon, et terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, 16. Populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : et sedentibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis. 17. Exinde cœpit Jesus prædicare, et dicere : Pœnitentiam agite : appropinquavit enim regnum cœlorum.

18. Ambulans autem Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare (erant enim piscatores.) 19. Et ait illis : Venite post me, et faciam

vos fieri piscatores hominum. 20. At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum. 21. Et procedens inde, vidit alios duos fratres, Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua : et vocavit eos. 22. Illi autem statim relictis retibus et patre, secuti sunt eum. 23. Et circuibat Jesus totam Galilæam, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni : et sanans omnem languorem, et omnem infirmitatem in populo. 24. Et abiit opinio ejus in totam Syriam, et obtulerunt ei omnes male habentes, variis languoribus, et tormentis comprehensos, et qui dæmonia habebant, et lunaticos, et paraliticos et curavit eos : 25. Et secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, et Decapoli, et de Jerosolymis, et de Judæa, et de trans Jordanem.

CAPUT V.

Octo tradit beatitudines : apostolos salem terræ : et lucem mundi dicit : nec venit ut solvat legem aut prophetas, sed adimpleat, docens de non irascendo fratri, sed ut ei reconciliemur, de non concupiscenda muliere, de membro scandalizante abjiciendo, de uxore extra casum adulterii non dimittenda : non jurandum, nec malo resistendum, inimicos diligendos, et de male meritis bene merendum.

1. Videns autem Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, 2. Et aperiens os suum docebat eos, dicens : 3. Beati pauperes spiritu : quoniam ipsorum est regnum cælorum. 4. Beati mites : quoniam ipsi possidebunt terram. 5. Beati, qui lugent : quoniam ipsi consolabuntur. 6. Beati, qui esuriunt, et sitiunt justitiam : quoniam ipsi saturabuntur. 7. Beati misericordes : quoniam ipsi misericordiam consequentur. 8. Beati mundo corde : quoniam ipsi Deum videbunt. 9. Beati pacifici : quoniam filii Dei vocabuntur. 10. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cœlorum. 11. Beati estis cum maledixerint vobis, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me : 12. Gaudete, et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis, sic enim persecuti sunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

13. Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur ? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. 14. Vos estis lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita. 15. Neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus, qui in domo sunt. 16. Sic luceat lux vestra coram hominibus : ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est. 17. Nolite putare quoniam veni solvere legem, aut prophetas : non veni solvere, sed adimplere. 18. Amen quippe dico vobis, donec transeat cœlum et terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. 19. Qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum : qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno

cœlorum. 20. Dico enim vobis, quia nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.

21. Audistis quia dictum est antiquis : Non occides : qui autem occiderit, reus erit judicio. 22. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, raca : reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue : reus erit gehennæ ignis. 23. Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te : 24. Relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo : et tunc veniens offeres munus tuum. 25. Esto consentiens adversario tuo cito dum es in via cum eo : ne forte tradat te adversarius judici, et judex tradat te ministro : et in carcerem mittaris. 26. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. 27. Audistis quia dictum est antiquis : non mœchaberis.

28. Ego autem dico vobis : quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. 29. Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum mittatur in gehennam. 30. Et si dextra manus tua scandalizat te, abscide eam, et projice abs te : expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. 31. Dictum est autem : Quicumque dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. 32. Ego autem dico vobis : Quia omnis, qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari : et qui dimissam duxerit adulterat. 33. Iterum audistis quia dictum est antiquis : Non periurabis : reddes autem Domino juramenta tua.

34. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei est : 35. Neque per terram, quia scabellum est pedum ejus : neque per Jerosolymam, quia civitas est magni regis : 36. Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. 37. Sit autem sermo vester, est, est : non, non : quod autem his abundantius est, a malo est. 38. Audistis quia dictum est : Oculum pro oculo, et dentem pro dente. 39. Ego autem dico vobis, non resistere malo : sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi et alteram : 40. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. 41. Et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo.

42. Qui petit a te, da ei : et volenti mutuari a te, ne avertaris. 43. Audistis quia dictum est : Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum. 44. Ego autem dico vobis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos : et orate pro persequentibus, et calumniantibus vos : 45. Ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est : qui solem suum

oriri facit super bonos, et malos : et pluit super justos et injustos 46. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? 47. Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? nonne et ethnici hoc faciunt? 48. Estote ergo vos perfecti, sicut et pater vester cœlestis perfectus est.

CAPUT VI.

Docet Christus quo modo faciendæ sint eleemosyna et oratio, traditque discipulis formam orandi, et offensas aliis condonandi : item quo modo sit jejunandum : quod non in terra sed in cœlo thesaurizandum, oculus mundandus, non serviendum duobus dominis : vetat itaque sollicitudinem de victu, vestitu, et de crastino.

1. Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis : alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in cœlis est. 2. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et in vicis, ut honorificentur ab hominibus : Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 3. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua : 4. Ut sit eleemosyna tua in abscondito, et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

5. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus : amen dico vobis, receperunt mercedem suam. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito : et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. 7. Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. 8. Nolite ergo assimilari eis, scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum, 9. Sic ergo vos orabitis : Pater noster, qui es in cœlis : sanctificetur nomen tuum. 10. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. 11. Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie. 12. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. 13. Et ne nos inducas in tentationem, Sed libera nos a malo. Amen.

14. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum : dimittet et vobis pater vester cœlestis delicta vestra. 15. Si autem non dimiseritis hominibus : nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. 16. Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. 17. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava. 18. Ne videaris hominibus jejunans, sed patri tuo, qui est in abscondito : et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. 19. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra : ubi ærugo, et tinea demolitur : et ubi fures effodiunt, et furantur. 20. Thesaurizate autem vobis

thesauros in cœlo : ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. 21. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est cor tuum.

22. Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex : totum corpus tuum lucidum erit. 23. Si autem oculus tuus fuerit nequam : totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt : ipsæ tenebræ quantæ erunt ? 24. Nemo potest duobus dominis servire : aut enim unum odio habebit, et alterum diliget : aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. 25. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca : et corpus plus quam vestimentum ? 26. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea : et pater vester cœlestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis ? 27. Quis autem vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ?

28. Et de vestimento quid solliciti estis ? Considerate lilia agri quomodo crescunt : non laborant, neque nent. 29. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. 30. Si autem fœnum agri quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quanto magis vos modicæ fidei ? 31. Nolite ergo solliciti esse, dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur ? 32. Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. 33. Quærite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis. 34. Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, sufficit diei malitia sua.

CAPUT VII.

Docet non judicandum : de festuca in oculo fratris, et trabe in proprio oculo : sanctum non dandum canibus : omnem petentem, quærentem, et pulsantem a Deo exaudiri : faciendum aliis quod nobis fieri volumus : per angustam portam ad vitam intrandum : quomodo dignoscantur falsi prophetæ, et arbor bona a mala : comparatio de audiente Christi verba, et operante aut non operante juxta illa.

1. Nolite judicare, ut non judicemini. 2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui : et trabem in oculo tuo non vides ? 4. Aut quomodo dicis fratri tuo : Sine ejiciam festucam de oculo tuo : et ecce trabs est in oculo tuo ? 5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare sanctum canibus : neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

7. Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. 8. Omnis enim, qui petit accipit : et qui quærit, invenit : et

pulsanti aperietur. 9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius
suus panem, numquid lapidem porriget ei? 10. Aut si piscem petierit,
numquid serpentem porriget ei? 11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis
bona data dare filiis vestris : quanto magis pater vester, qui in cælis est,
dabit bona petentibus se? 12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant
vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex, et Prophetæ. 13.
Intrate per angustam portam : quia lata porta, et spatiosa via est, quæ
ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. 14. Quam
angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et pauci sunt, qui
inveniunt eam!

15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis
ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces : 16. A fructibus eorum
cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus?
17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit : mala autem arbor malos
fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere : neque arbor
mala bonos fructus facere : 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum
bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 20. Igitur ex fructibus eorum
cognoscetis eos. 21. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit
in regnum cælorum : sed qui facit, voluntatem Patris mei, qui in cælis
est, ipse intrabit in regnum cælorum. 22. Multi dicent mihi in illa die :
Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo
dæmonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et
tunc confitebor illis : Quia numquam novi vos : discedite a me, qui opera-
mini iniquitatem.

24. Omnis ergo, qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur
viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram, 25. Et descendit
pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum
illam, et non cecidit : fundata enim erat super petram. 26. Et omnis, qui
audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædifi-
cavit domum suam super arenam : 27. Et descendit pluvia, et venerunt
flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et
fuit ruina illius magna. 28. Et factum est : cum consummasset Jesus
verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. 29. Erat enim docens
eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum, et Pharisæi.

CAPUT VIII.

Curatum leprosum Jesus mittit ad sacerdotes : sanat puerum centurionis, cujus fidem commendat ; item socrum Petri febricitantem, aliosque plurimos male habentes : verbo spiritus ejicit : scribam sequi volentem rejicit, alium vero patre insepulto mox sequi jubet : navicula fluctibus periclitante excitatus a discipulis mare sedat : duos quoque dæmoniacos apud Gerasenos liberat, dæmonibus in porcos ingredi permittens ; quo viso Geraseni precantur ut a suis finibus discedat.

1. Cum autem descendisset de monte, sequutæ sunt eum turbæ multæ :
2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens : Domine, si vis, potes

me mundare. 3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. 4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis. 5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, 6. Et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. 7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. 9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: et dico huic, Vade, et vadit: et alii, Veni, et venit: et servo meo, Fac hoc, et facit. 10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. 11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælorum: 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium. 13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.

14. Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit socrum ejus jacentem, et febricitantem: 15. Et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis. 16. Vespere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes: et ejiciebat spiritus verbo: et omnes male habentes curavit: 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit et ægrotationes nostras portavit. 18. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum. 19. Et accedens unus scriba, ait illi: Magister, sequar te, quocumque ieris. 20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. 22. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: 24. Et ecce motus magnus factus est in mari ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse vero dormiebat. 25. Et accesserunt ad eum Discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. 26. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis, et mari, et facta est tranquillitas magna. 27. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti, et mare obediunt ei? 28. Et cum venisset trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. 29. Et ecce clamaverunt, dicentes: Quid nobis, et tibi, Jesu fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. 31. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32. Et ait illis: Ite. At illi

exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare: et mortui sunt in aquis. 33. Pastores autem fugerunt: et venientes in civitatem, nunciaverunt omnia, et de eis, qui dæmonia habuerant. 34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu; et viso eo rogabant, ut transiret a finibus eorum.

CAPUT IX.

Paralyticum curat, scribis murmurantibus quod dixisset remissa illi peccata: vocat Matthæum publicanum, et respondet pharisæis murmurantibus quod cum publicanis ederet, quodque ipsius discipuli non jejunarent: mulierem a sanguinis profluvio liberat; filiam principis mortuam suscitat: visu duobus cæcis restituto, dæmoniacum mutum sanat: et ubique prædicans omnes sanat infirmitates, dicens multam esse messem, paucos vero operarios.

1. Et ascendens in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam.
2. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Jesus
fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata
tua. 3. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. 4. Et
cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in
cordibus vestris? 5. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua:
an dicere: Surge, et ambula? 6. Ut autem sciatis, quia filius hominis
habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge,
tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. 7. Et surrexit, et abiit in
domum suam. 8. Videntes autem turbæ timuerunt, et glorificaverunt
Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

9. Et, cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio,
Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum.
10. Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani, et
peccatores venientes discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus. 11. Et
videntes Pharisæi, dicebant discipulis ejus: Quare cum publicanis, et
peccatoribus manducat Magister vester? 12. At Jesus audiens, ait: Non
est opus valentibus medicus, sed male habentibus. 13. Euntes autem
discite quid est: Misericordiam volo, et non sacrificium. Non enim veni
vocare justos, sed peccatores. 14. Tunc accesserunt ad eum discipuli
Joannis, dicentes: Quare nos, et Pharisæi jejunamus frequenter: disci-
puli autem tui non jejunant? 15. Et ait illis Jesus: Numquid possunt
filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies
cum auferetur ab eis sponsus: et tunc jejunabunt. 16. Nemo autem
immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim
plenitudinem ejus a vestimento: et pejor scissura fit. 17. Neque mittunt
vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, et vinum effun-
ditur, et utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt: et
ambo conservantur.

18. Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit, et adorabat

eum, dicens : Domine, filia mea modo defuncta est : sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. 19. Et surgens Jesus, sequebatur eum, et discipuli ejus. 20. Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus. 21. Dicebat enim intra se : Si tetigero tantum vestimentum ejus : salva ero. 22. At Jesus conversus, et videns eam, dixit : Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est mulier ex illa hora. 23. Et cum venisset Jesus in domum principis, et vidisset tibicines et turbam tumultuantem, dicebat : 24. Recedite : non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum. 25. Et cum ejecta esset turba, intravit : et tenuit manum ejus. Et surrexit puella. 26. Et exiit fama hæc in universam terram illam. 27. Et transeunte inde Jesu, secuti sunt eum duo cæci, clamantes, et dicentes : Miserere nostri, fili David.

28. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci. Et dicit eis Jesus : Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei : Utique, Domine. 29. Tunc tetigit oculos eorum, dicens : Secundum fidem vestram fiat vobis. 30. Et aperti sunt oculi eorum : et comminatus est illis Jesus, dicens : Videte ne quis sciat. 31. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra illa. 32. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem. 33. Et ejecto dæmonio, locutus est mutus, et miratæ sunt turbæ, dicentes : Numquam apparuit sic in Israel. 34. Pharisæi autem dicebant : In principe dæmoniorum ejicit dæmones. 35. Et circuibat Jesus omnes civitates, et castella, docens in synagogis eorum, et prædicans evangelium regni, et curans omnem languorem, et omnem infirmitatem. 36. Videns autem turbas, misertus est eis : quia erant vexati, et jacentes sicut oves non habentes pastorem. 37. Tunc dicit discipulis suis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. 38. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

CAPUT X.

Legatio ac instructio duodecim apostolorum (quorum hic nomina recensentur) ad evangelizandum Judæis, et dæmoniacos infirmosque curandos, qui adversus mala hic imminentia præmonentur et roborantur : Christus non venit ut mittat pacem, sed gladium, ipseque coram hominibus confitendus est, neque quidquam ejus amori præponendum : honorans autem alios propter Christum, honorat Christum, et ita mercedem recipiet.

1. Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem, et omnem infirmitatem. 2. Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc. Primus : Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus, 3. Jacobus Zebedæi, et Joannes frater ejus, Philippus, et Bartholomæus, Thomas, et Matthæus publicanus, Jacobus Alphæi, et Thaddæus, 4. Simon Cananæus, et Judas Iscariotes, qui et tradidit eum. 5. Hos duodecim

misit Jesus : præcipiens eis, dicens : In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis : 6. Sed potius ite ad oves, quæ perierunt domus Israel. 7. Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cælorum. 8. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite : gratis accepistis, gratis date. 9. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris : 10. Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam : dignus enim est operarius cibo suo. 11. In quamcumque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit : et ibi manete donec exeatis.

12. Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes : Pax huic domui. 13. Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam : si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos. 14. Et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. 15. Amen dico vobis : Tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhæorum in die judicii, quam illi civitati. 16. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. 17. Cavete autem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos : 18. Et ad præsides, et ad reges ducemini propter me in testimonium illis, et gentibus. 19. Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. 20. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 21. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient : 22. Et eritis odio omnibus propter nomen meum : qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

23. Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel, donec veniat Filius hominis. 24. Non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum. 25. Sufficit discipulo, ut sit sicut magister ejus : et servo, sicut dominus ejus. Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt : quanto magis domesticos ejus ? 26. Ne ergo timueritis eos : Nihil enim est opertum, quod non revelabitur : et occultum, quod non scietur. 27. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine : et quod in aure auditis, prædicate super tecta. 28. Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere : sed potius timete eum, qui potest et animam, et corpus perdere in gehennam. 29. Nonne duo passeres asse væneunt : et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro ? 30. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. 31. Nolite ergo timere : multis passeribus meliores estis vos.

32. Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. 33. Qui autem negaverit

me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. 34. Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. 35. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam: 36. Et inimici hominis, domestici ejus. 37. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. 38. Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus. 39. Qui invenit animam suam, perdet illam: et qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. 40. Qui recipit vos, me recipit: et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. 41. Qui recipit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: et qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet. 42. Et quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

CAPUT XI.

Joannes de carcere nuntios mittit ad Jesum; quibus post Christi responsum abeuntibus, ipse coram turbis laudat Joannem: Judæos vero pueris in foro invicem acclamantibus assimilat, exprobrans civitatibus obstinatis in quibus plurimas fecerat virtutes: confessio Jesu ad Patrem; oneratos ad se vocat Christus, dicens jugum suum esse suave.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus, præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde ut doceret, et prædicaret in civitatibus eorum. 2. Joannes autem cum audisset in vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, 3. Ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? 4. Et respondens Jesus ait illis: Euntes renunciate Joanni quæ audistis, et vidistis. 5 Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgent, pauperes Evangelizantur: 6. Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. 7. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? 8. Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. 9. Sed quid existis videre? prophetam? Etiam dico vobis, et plus quam prophetam.

10. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 11. Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo. 12. A diebus autem Joannis Baptistæ usque nunc, regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud. 13. Omnes enim prophetæ, et lex usque ad Joannem prophetaverunt: 14. Et si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est. 15. Qui habet aures audiendi, audiat. 16. Cui autem similem æstimabo generationem istam? Similis est pueris sedentibus in foro: qui claman-

tes coæqualibus. 17. Dicunt : Cecinimus vobis, et non saltastis : lamentavimus, et non planxistis. 18. Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, et dicunt : Dæmonium habet. 19. Venit filius hominis manducans, et bibens et dicunt : Ecce homo vorax, et potator vini, publicanorum, et peccatorum amicus. Et justificata est sapientia a filiis suis. 20. Tunc cœpit exprobrare civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. 21. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida : quia, si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent. 22. Verumtamen dico vobis : Tyro, et Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis. 23. Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis ? usque in infernum descendes, quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. 24. Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi. 25. In illo tempore respondens Jesus dixit : Confiteor tibi, Pater, Domine cæli in terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. 26. Ita Pater : quoniam sic fuit placitum ante te. 27. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium, nisi Pater : neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. 29. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum, et humilis corde : et invenietis requiem animabus vestris. 30. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

CAPUT XII.

Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, manum quoque aridam sabbato curat : pharisæorum machinationi tacitus cedens, variosque a se curatos silere præcipiens, implet Isaiæ vaticinium : dæmoniaco, cæco et muto curato, pharisæis ipsum in Beelzebub ejicere dæmonia blasphemantes convincit falsum dicere ; dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et de omni verbo otioso reddendam rationem : scribis autem et pharisæis signum petentibus, dandum dicit Jonæ signum : et quæ sint mater et fratres ipsius.

1. In illo tempore abiit Jesus per sata sabbato : discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, et manducare. 2. Pharisæi autem videntes, dixerunt ei : Ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis. 3. At ille dixit eis : Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant : 4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus ? 5. Aut non legistis in lege quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt ? 6. Dico autem vobis, quia templo major est hic. 7. Si autem sciretis, quid est : Misericordiam volo, et non sacrificium : numquam condemnassetis inno-

centes : 8. Dominus enim est filius hominis etiam sabbati. 9. Et cum inde transisset, venit in synagogam eorum. 10. Et ecce homo manum habens aridam, et interrogabant eum, dicentes : Si licet sabbatis curare ? ut accusarent eum. 11. Ipse autem dixit illis : Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, et si ceciderit hæc sabbatis in foveam, nonne tenebit, et levabit eam ? 12. Quanto magis melior est homo ove ? Itaque licet sabbatis benefacere. 13. Tunc ait homini : Extende manum tuam. Et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.

14. Exeuntes autem Pharisæi, consilium faciebant adversus eum, quomodo perderent eum. 15. Jesus autem sciens recessit inde : et secuti sunt multi, et curavit eos omnes : 16. Et præcepit eis ne manifestum eum facerent. 17. Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam prophetam, dicentem : 18. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, et judicium gentibus nunciabit. 19. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus : 20. Arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium : 21. Et in nomine ejus Gentes sperabunt.

22. Tunc oblatus est ei dæmonium habens, cæcus, et mutus, et curavit eum ita ut loqueretur, et videret. 23. Et stupebant omnes turbæ, et dicebant : Numquid hic est filius David ? 24. Pharisæi autem audientes, dixerunt : Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. 25. Jesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum divisum contra se, desolabitur : et omnis civitas, vel domus divisa contra se, non stabit. 26. Et si satanas satanam ejicit, adversus se divisus est : quomodo ergo stabit regnum ejus ? 27. Et si ego in Beelzebub ejicio dæmones, filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi judices vestri erunt. 28. Si autem ego in spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. 29. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi prius alligaverit fortem ? Et tunc domum illius diripiet. 30. Qui non est mecum, contra me est : et qui non congregat mecum, spargit.

31. Ideo dico vobis : Omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. 32. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei : qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro. 33. Aut facite arborem bonam, et fructum ejus bonum : aut facite arborem malam, et fructum ejus malum : siquidem ex fructu arbor agnoscitur. 34. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali ? ex abundantia enim cordis os loquitur. 35. Bonus homo de bono thesauro profert bona : et malus homo de malo thesauro profert mala. 36. Dico autem vobis quoniam omne verbum otiosum, quod locuti

fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. 37. Ex verbis enim tuis justificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.

38. Tunc responderunt ei quidam de Scribis et Pharisæis, dicentes : Magister, volumus a te signum videre. 39. Qui respondens ait illis : Generatio mala, et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. 40. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus ; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, et tribus noctibus. 41. Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam : quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. 42. Regina austri surget in judicio cum generatione ista, et condemnabit eam : quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis, et ecce plus quam Salomon hic. 43. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, et non invenit. 44. Tunc dicit : Revertar in domum meam, unde exivi. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam, et ornatam. 45. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se, et intrantes habitant ibi : et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit et generationi huic pessimæ.

46. Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quærentes loqui ei. 47. Dixit autem ei quidam : Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quærentes te. 48. At ipse respondens dicenti sibi, ait : Quæ est mater mea, et qui sunt fratris mei ? 49. Et extendens manum in discipulos suos, dixit : Ecce mater mea, et fratres mei. 50. Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est : ipse meus frater, et soror, et mater est.

CAPUT XIII.

Sedens in navicula proponit turbis parabolas seminantis ac zizaniorum, quas etiam discipulis interpretatur ; item parabolas de grano sinapis, de fermento in farina occultato, de thesauro et margarita inventis ; de reti in mare misso, quam parabolam etiam declarat : docens in patria, ait prophetam non esse sine honore nisi in propria patria.

1. In illo die exiens Jesus de domo, sedebat secus mare. 2. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens sederet : et omnis turba stabat in littore. 3. Et locutus est eis multa in parabolis, dicens : Ecce exiit qui seminat, seminare. 4. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, et venerunt volucres cœli, et comederunt ea. 5. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habebant terram multam : et continuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. 6. Sole autem orto æstuaverunt : et quia non habebant radicem, aruerunt. 7. Alia autem ceciderunt in spinas : et creverunt spinæ, et suffocaverunt ea. 8. Alia autem ceciderunt in terram bonam : et dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. 9. Qui habet aures

audiendi, audiat. 10. Et accedentes discipuli dixerunt ei : Quare in parabolis loqueris eis? 11. Qui respondens, ais illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cælorum : illis autem non est datum. 12. Qui enim habet, dabitur ei, et abundabit : qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo.

13. Ideo in parabolis loquor eis : quia videntes non vident, et audientes non aúdiunt, neque intelligunt. 14. Et adimpletur in eis prophetia Isaiæ dicentis : Auditu audietis, et non intelligetis : et videntes videbitis, et non videbitis. 15. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt, et oculos suos clauserunt : nequando videant oculis, et auribus audiant, et corde intelligant, et convertantur, et sanem eos. 16. Vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestræ quia audiunt. 17. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ, et justi cupierunt videre quæ videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. 18. Vos ergo audite parabolam seminantis. 19. Omnis, qui audit verbum regni, et non intelligit, venit malus et rapit quod seminatum est in corde ejus : hic est qui secus viam seminatus est.

Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, et continuo cum gaudio accipit illud : 21. Non habet autem in se radicem, sed est temporalis. facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalizatur. 22. Qui autem seminatus est in spinis, hic est ,qui verbum audit, et solicitudo sæculi istius, et fallacia divitiarum suffocat verbum, et sine fructu efficitur. 23. Quì vero in terram bonam seminatus est, hic est qui audit verbum, et intelligit, et fructum affert, et facit aliud quidem centecimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum.

24. Aliam parabolam proposuit illis, dicens : Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. 25. Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. 26. Cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. 27. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei : Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo ? Unde ergo habet zizania ? 28. Et ait illis : Inimicus homo hoc fecit : Servi autem dixerunt ei, Vis, imus, et colligimus ea ? 29. Et ait : non : ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis et triticum. 30. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus ; Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.

31. Aliam parabolam proposuit eis, dicens : Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo : 32 Quod minimum quidem est omnibus seminibus : cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, et fit arbor, ita ut volucres cæli veniant, et habitent in ramis ejus. 33. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est

regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. 34. Hæc omnia locutus est Jesus in parabolis ad turbas: et sine parabolis non loquebatur eis: 35. Ut impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi. 36. Tunc, dimissis turbis, venit in domum: et accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Edissere nobis parabolam zizaniorum agri. 37. Qui respondens ait illis: Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. 38. Ager autem, est mundus. Bonum vero semen, hi sunt filii regni. Zizania autem, filii sunt nequam. 39. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus. Messis vero, consummatio sæculi est. Messores autem, angeli sunt. 40. Sicut ergo colliguntur zizania, et igni comburuntur: sic erit in consummatione sæculi.

41. Mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos, qui faciunt iniquitatem: 42. Et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus, et stridor dentium. 43. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat. 44. Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro: quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum. 45. Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas.

46. Inventa autem una pretiosa margarita, abiit, et vendidit omnia quæ habuit, et enim eam. 47. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, et ex omni genere piscium congreganti. 48. Quam, cum impleta esset, educentes, et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa. malos autem foras miserunt. 49. Sic erit in consummatione sæculi: exibunt angeli, et separabunt malos de medio justorum, 50. Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium. 51. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. 52. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. 53. Et factum est, cum consummasset Jesus parabolas istas, transiit inde. 54. Et veniens in patriam suam, docebat eos in synagogis eorum, ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia hæc, et virtutes? 55. Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon, et Judas: 56. Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt? Unde ergo huic omnia ista? 57. Et scandalizabantur in eo. Jesus autem dixit eis: Non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua. 58. Et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.

CAPUT XIV.

Caput Joannis datur puellæ saltatrici: Jesus quinque virorum millia in deserto quinque panibus et duobus piscibus satiat, sublatis duodecim reliquiarum cophinis: et super mare ambulans discipulos tempestate agitatos confortat, Petrumque a

submersione liberat : in terra Genesar varii curantur languores tactu vestimenti ipsius.

1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha famam Jesu : 2. Et ait pueris suis : Hic est Joannes Baptista : ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo. 3. Herodes enim tenuit Joannem, et alligavit eum : et posuit in carcerem propter Herodiadem uxorem fratris sui. 4. Dicebat enim illi Joannes : non licet tibi habere eam. 5. Et volens illum occidere, timuit populum : quia sicut prophetam eum habebant. 6. Die autem natalis Herodis saltavit filia Herodiadis in medio, et placuit Herodi. 7. Unde cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo. 8. At illa præmonita a matre sua, Da mihi, inquit, hic in disco caput Joannis Baptistæ. 9. Et contristatus est rex : propter juramentum autem, et eos, qui pariter recumbebant, jussit dari. 10. Misitque et decollavit Joannem in carcere. 11. Et allatum est caput ejus in disco, et datum est puellæ, et attulit matri suæ. 12. Et accedentes discipuli ejus, tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud : et venientes nunciaverunt Jesu.

13. Quod cum audisset Jesus, secessit inde in navicula, in locum desertum seorsum : et cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de civitatibus. 14. Et exiens vidit turbam multam, et misertus est eis, et curavit languidos eorum. 15. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus, et hora jam præteriit : dimitte turbas, ut euntes in castella, emant sibi escas. 16. Jesus autem dixit eis : Non habent necesse ire : date illis vos manducare. 17. Responderunt ei : Non habemus hic nisi quinque panes, et duos pisces. 18. Qui ait eis : Afferte mihi illos huc. 19. Et cum jussisset turbam discumbere super fœnum, acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, aspiciens in cælum benedixit, et fregit, et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis. 20. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et tulerunt reliquias, duodecim cophinos fragmentorum plenos. 21. Manducantium autem fuit numerus, quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

22. Et statim compulit Jesus discipulos ascendere in naviculam, et præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas. 23. Et dimissa turba, ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. 24. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus : erat enim contrarius ventus. 25. Quarta autem vigilia noctis, venit ad eos ambulans super mare. 26. Et videntes eum super mare ambulantem, turbati sunt, dicentes : Quia phantasma est. Et præ timore clamaverunt. 27. Statimque Jesus locutus est eis, dicens : Habete fiduciam : ego sum, nolite timere. 28. Respondens autem Petrus dixit : Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. 29. At ipse ait : Veni. Et descendens Petrus de navicula, ambulabat super aquam ut veniret ad Jesum. 30. Videns vero ventum validum, timuit : et cum cœpisset mergi, clamavit dicens : Domine, salvum me fac. 31. Et continuo Jesus extendens manum,

apprehendit eum : et ait illi : Modicæ fidei, quare dubitasti? 32. Et cum
ascendissent in naviculam, cessavit ventus. 33. Qui autem in navicula
erant, venerunt, et adoraverunt eum, dicentes : Vere filius Dei es.
34. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesar. 35. Et cum
cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam,
et obtulerunt ei omnes male habentes : 36. Et rogabant eum ut vel
fimbriam vestimenti ejus tangerent. Et quicumque tetigerunt, salvi facti
sunt.

CAPUT XV.

Pharisæorum de lavandis manibus aliisque rebus traditiones, quas Dei mandatis præponebant : et quæ sint coinquinantia hominem : mulier Chananæa perseveranti fide ac supplicatione impetrat filiæ curationem ; Jesus curatis juxta mare Galilææ variis languoribus, quatuor virorum millia septem panibus paucisque pisciculis satiat, sublatis septem sportarum reliquiis.

1. Tunc accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ, et Pharisæi,
dicentes : 2. Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum ?
non enim lavant manus suas cum panem manducant. 3. Ipse autem
respondens ait illis : Quare et vos transgredimini mandatum Dei propter
traditionem vestram ? Nam Deus dixit : 4. Honora patrem, et matrem.
et : Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 5. Vos autem
dicitis : Quicumque dixerit patri, vel matri, Munus quodcumque est ex
me, tibi proderit : 6. Et non honorificabit patrem suum, aut matrem
suam : et irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. 7.
Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens : 8. Populus hic
labiis me honorat : cor autem eorum longe est a me. 9. Sine causa autem
colunt me, docentes doctrinas, et mandata hominum. 10. Et convocatis
ad se turbis, dixit eis : audite, et intelligite.
11. Non quod intrat in os, coinquinat hominem : sed quod procedit
ex ore, hoc coinquinat hominem. 12. Tunc accedentes discipuli ejus,
dixerunt ei : Scis quia Pharisæi audito verbo hoc, scandalizati sunt?
13. At ille respondens ait : Omnis plantatio, quam non plantavit Pater
meus cælestis eradicabitur. 14. Sinite illos : cæci sunt, et duces cæcorum.
cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. 15.
Respondens autem Petrus dixit ei : Edissere nobis parabolam istam. 16.
At ille dixit : Adhuc et vos sine intellectu estis ? 17. Non intelligitis quia
omne, quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secessum emittitur ? 18.
Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquinant hominem :
19. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,
fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. 20. Hæc sunt, quæ
coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non
coinquinat hominem. 21. Et egressus inde Jesus secessit in partes Tyri,
et Sidonis.

22. Et ecce mulier Chananæa a finibus illis egressa clamavit, dicens ei : Miserere mei Domine fili David : filia mea male a dæmonio vexatur. 23. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli ejus rogabant eum dicentes : Dimitte eam : quia clamat post nos. 24. Ipse autem respondens, ait : Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel. 25. At illa venit, et adoravit eum, dicens : Domine, adjuva me. 26. Qui respondens ait : Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. 27. At illa dixit : Etiam Domine : nam et catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. 28. Tunc respondens Jesus, ait illi : O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.

29. Et cum transisset inde Jesus, venit secus Mare Galilææ : et ascendens in montem, sedebat ibi. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, et alios multos : et projecerunt eos ad pedes ejus, et curavit eos : 31. Ita ut turbæ mirarentur videntes mutos loquentes, claudos ambulantes, cæcos videntes : et magnificabant Deum Israel. 32. Jesus autem, convocatis discipulis suis, dixit : Misereor turbæ, quia triduo jam perseverant mecum, et non habent quod manducent : et dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via. 33. Et dicunt ei discipuli : Unde ergo nobis in deserto panes tantos, ut saturemus turbam tantam ? 34. Et ait illis Jesus : Quot habetis panes ? At illi dixerunt : Septem, et paucos pisciculos. 35. Et præcepit turbæ, ut discumberent super terram. 36. Et accipiens septem panes, et pisces, et gratias agens, fregit, et dedit discipulis suis, et discipuli dederunt populo. 37. Et comederunt omnes, et saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. 38. Erant autem qui manducaverunt, quatuor millia hominum, extra parvulos, et mulieres. 30. Et, dimissa turba, ascendit in naviculam : et venit in fines Magedan.

CAPUT XVI.

Jesus signi petitione ipsum tentantes arguit, quod signa temporum non dijudicarent : jubet discipulos cavere a fermento pharisæorum ac sadducæorum : ipseque interrogat quem ipsum esse dicant, et Petro post illius responsionem promittit claves regni cœlorum : suam autem passionem prædicens, a Petro increpatur : propter quod Satanam ipsum appellat, docens quemque propriam crucem tollere, et Deum unicuique juxta sua opera redditurum.

1. Et accesserunt ad eum Pharisæi, et Sadducæi tentantes : et rogaverunt eum ut signum de cælo ostenderet eis. 2. At ille respondens, ait illis : Facto vespere dicitis : Serenum erit, rubicundum est enim cælum. 3. Et mane : Hodie tempestas, rutilat enim triste cælum. 4. Faciem ergo cæli dijudicare nostis : signa autem temporum non potestis scire ? Generatio mala et adultera signum quærit : et signum non dabitur ei, nisi si-

gnum Jonæ prophetæ. Et relictis illis, abiit. 5. Et cum venissent discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere.

6. Qui dixit illis : Intuemini, et cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum. 7. At illi cogitabant intra se dicentes : Quia panes non accepimus. 8. Sciens autem Jesus, dixit : Quid cogitatis intra vos modicæ fidei, quia panes non habetis ? 9. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, et quot cophinos sumpsistis ? 10. Neque septem panum in quatuor millia hominum, et quot sportas sumpsistis ? 11. Quare non intelligitis, quia non de pane dixi vobis : Cavete a fermento Pharisæorum, et Sadducæorum ? 12. Tunc intellexerunt quia non dixerit cavendum a fermento panum, sed a doctrina Pharisæorum, et Sadducæorum.

13. Venit autem Jesus in partes Cæsareæ Philippi : et interrogabat discipulos suos, dicens : Quem dicunt homines esse filium hominis ? 14. At illi dixerunt : Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Jeremiam, aut unum ex prophetis. 15. Dicit illis Jesus : Vos autem quem me esse dicitis ? 16. Respondens Simon Petrus dixit : Tu es Christus, filius Dei vivi. 17. Respondens autem Jesus, dixit ei : Beatus es Simon Bar Jona : quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. 18. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. 19. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis : et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.

20. Tunc præcepit discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset Jesus Christus. 21. Exinde cœpit Jesus ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis, et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. 22. Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens : Absit a te, Domine : non erit tibi hoc. 23. Qui conversus, dixit Petro : Vade post me satana, scandalum es mihi : quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. 24. Tunc Jesus dixit discipulis suis : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. 25. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam. 26. Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua. 27. Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui cum angelis suis : et tunc reddet unicuique secundum opera ejus. 28. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo.

CAPUT XVII.

Christi in monte transfiguratio, quam jubet discipulos silentio servare, donec a mortuis resurgat : Eliam dicit venturum, imo jam venisse, sed cognitum non fuisse, nempe Joannem Baptistam : puerum lunaticum curat, quem discipuli ob modicam fidem curare non potuerant : ostendens quantæ sint virtutis, fides similis grano sinapis, jejunium, et oratio : passionem suam prædicit : pro se quoque et Petro didrachma solvit, invento in ore piscis statere.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem ejus, et ducit illos in montem excelsum seorsum : 2. Et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies ejus sicut sol : vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix. 3. Et ecce apparuerunt illis Moyses, et Elias cum eo loquentes. 4. Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine, bonum est nos hic esse : si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. 5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui : ipsum audite. 6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde. 7. Et accessit Jesus, et tetigit eos : dixitque eis : Surgite, et nolite timere. 8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum. 9. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens : Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. 10. Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes : Quid ergo Scribæ dicunt quod Eliam oporteat primum venire ? 11. At ille respondens, ait eis : Elias quidem venturus est, et restituet omnia. 12. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Sic et Filius hominis passurus est ab eis. 13. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Joanne Baptista dixisset eis.

14. Et cum venisset ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum, dicens : Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur : nam sæpe cadit in ignem, et crebro in aquam. 15. Et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum. 16. Respondens autem Jesus, ait : O generatio incredula, et perversa, quousque ero vobiscum ? usquequo patiar vos ? Afferte huc illum ad me. 18. Et increpavit illum Jesus, et exiit ab eo dæmonium, et curatus est puer ex illa hora. 18. Tunc accesserunt discipuli ad Jesum secreto, et dixerunt : Quare nos non potuimus ejicere illum ? 19. Dixit illis Jesus : Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, et transibit, et nihil impossibile erit vobis. 20. Hoc autem genus non ejicitur nisi per orationem, et jejunium. 21. Conversantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Jesus : Filius hominis tradendus est in manus hominum : 22. Et occident eum, et tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer.

23. Et cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipie-

bant, ad Petrum, et dixerunt ei : Magister vester non solvit didrachma?
24. Ait : Etiam. Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus, dicens :
Quid tibi videtur Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel
censum? a filiis suis, an ab alienis? 25. Et ille dixit : Ab alienis. Dixit
illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. 26. Ut autem non scandalizemus eos,
vade ad mare, et mitte hamum : et eum piscem, qui primus ascenderit,
tolle : et aperto ore ejus, invenies staterem : illum sumens, da eis pro
me, et te.

CAPUT XVIII.

Proposito parvulo docet quisnam major sit in regno cœlorum, et quam sit a pusillorum scandalo cavendum : quomodo frater in nos peccans debeat corripi, et Ecclesiam non audiens pro ethnico haberi, potestate ligandi atque solvendi discipulis tradita : docet etiam, quam sit apud Deum efficax duorum petitio sibi consentientium et quoties fratri in nos peccanti sit ignoscendum, accommodata ad hoc parabola de rege rationem cum servis suis, ineunte.

1. In illa hora accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Quis putas,
major est in regno cælorum? 2. Et advocans Jesus parvulum, statuit eum
in medio eorum, 3. Et dixit : Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et
efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. 4. Quicum-
que ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælo-
rum. 5. Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me sus-
cipit. 6. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me cre-
dunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur
in profundum maris. 7. Væ mundo a scandalis. Necesse est enim ut
veniant scandala : verumtamen væ homini illi, per quem scandalum
venit. 8. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te : abscide eum,
et projice abs te : bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel clau-
dum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æter-
num. 9. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te :
bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos haben-
tem mitti in gehennam ignis.

10. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis : dico enim vobis, quia
angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei, qui in cælis est.
11. Venit enim filius hominis salvare quod perierat. 12. Quid vobis vide-
tur? si fuerint alicui centum oves, et erraverit una ex eis : nonne relin-
quit nonagintanovem in montibus, et vadit quærere eam, quæ erravit?
13. Et si contigerit ut inveniat eam : amen dico vobis, quia gaudet super
eam magis quam super nonagintanovem, quæ non erraverunt. 14. Sic
non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus
de pusillis istis.

15. Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te,
et ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. 16. Si autem

te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. 17. Quod si non audierit eos: dic ecclesiæ. si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo. 19. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cælis est. 20. Ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

21. Tunc accedens Petrus ad eum dixit: Domine quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? usque septies? 22. Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies. 23. Ideo assimilatum est regnum cælorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. 24. Et cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. 25. Cum autem non haberet unde redderet, jussit eum dominus ejus venundari, et uxorem ejus, et filios, et omnia, quæ habebat, et reddi. 26. Procidens autem servus ille, orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 27. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei. 28. Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centem denarios: et tenens suffocabat eum, dicens: Redde quod debes.

29. Et procidens conservus ejus, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. 30. Ille autem noluit: sed abiit, et misit eum in carcerem donec redderet debitum. 31. Videntes autem conservi ejus quæ fiebant, contristati sunt valde: et venerunt, et narraverunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. 32. Tunc vocavit illum dominus suus: et ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi quoniam rogasti me: 33. Nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? 34. Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. 35. Sic et Pater meus cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

CAPUT XIX.

Matrimonium docet ex sua institutione esse indissolubile, nec uxorem extra causam fornicationis posse dimitti: inter varios eunuchos laudat illos qui se castrarunt propter regnum cælorum: parvulis manus imponit; adolescens qui omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus vendendis abit tristis: difficile ergo asserit divitem intrare regnum cælorum: et quid illis præmii sit qui omnibus relictis ipsum sequuntur.

1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilæa, et venit in fines Judææ trans Jordanem. 2. Et secutæ sunt eum turbæ multæ, et curavit eos ibi. 3. Et accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, et dicentes: Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex

causa ? 4. Qui respondens, ait eis : Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, et feminam fecit eos ? et dixit : 5. Propter hoc dimittet homo patrem, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una. 6. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 7. Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? 8. Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. 9. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, mœchatur : et qui dimissam duxerit, mœchatur. 10. Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. 11. Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

12. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere capiat. 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos. 14. Jesus vero ait eis : Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire : talium est enim regnum cœlorum. 15. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. 16. Et ecce unus accedens, ait illi : Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam ? 17. Qui dixit ei : Quid me interrogas de bono ? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata.

18. Dicit illi : Quæ ? Jesus autem dixit : Non homicidium facies : Non adulterabis : Non facies furtum : Non falsum testimonium dices : 19. Honora patrem tuum, et matrem tuam, et diliges proximum tuum sicut teipsum. 20. Dicit illi adolescens : Omnia hæc custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest ? 21. Ait illi Jesus : Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo : et veni, sequere me. 22. Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis : erat enim habens multas possessiones. 23. Jesus autem dixit discipulis suis : Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum.

24. Et iterum dico vobis : Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cælorum. 25. Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes : Quis ergo poterit salvus esse ? 26. Aspiciens autem Jesus, dixit illis : Apud homines hoc impossibile est : apud Deum autem omnia possibilia sunt. 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei : Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te : quid ergo erit nobis ? 28. Jesus autem dixit illis : Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. 29. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter

nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit. 30. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

CAPUT XX.

Parabolam proponit de operariis in vineam conductis, quorum ultimis idem datur denarius cum primis : Jesus discipulis passionem ac resurrectionem suam prædicit : et occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos, quod non potestate et ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores : egrediens vero Jericho duos cæcos illuminat.

1. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo
mane conducere operarios in vineam suam. 2. Conventione autem facta
cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3. Et egres-
sus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos. 4. Et dixit
illis : Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. 5.
Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam, et nonam horam :
et fecit similiter. 6. Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes,
et dicit illis : Quid hic statis tota die otiosi ? 7. Dicunt ei : Quia nemo
nos conduxit. Dicit illis : Ite et vos in vineam meam. 8. Cum sero autem
factum esset, dicit dominus vineæ procuratori suo : Voca operarios et
redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. 9. Cum
venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singu-
los denarios. 10. Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus es-
sent accepturi : acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11. Et acci-
pientes murmurabant adversus patremfamilias. 12. Dicentes : Hi novissimi
una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei,
et æstus. 13. At ille respondens uni eorum, dixit : Amice non facio tibi
injuriam : nonne ex denario convenisti mecum ? 14. Tolle quod tuum
est, et vade : volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15. Aut non
licet mihi quod volo, facere ? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus
sum ? 16. Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi, multi enim sunt
vocati, pauci vero electi.

17. Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos
secreto, et ait illis : 18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et filius hominis
tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte.
19. Et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifi-
gendum, et tertia die resurget. 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum
Zebedæi cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21. Qui dixit ei :
Quid vis ? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram
tuam, et unus ad sinistram in regno tuo. 22. Respondens autem Jesus,
dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus
sum? Dicunt ei : Possumus. 23. Ait illis : Calicem quidem meum bibetis :
sedere autem ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis,
sed quibus paratum est a Patre meo. 24. Et audientes decem, indignati

sunt de duobus fratribus. 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum : et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26. Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : 27. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. 28. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam, redemptionem pro multis.
29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa.

30. Et ecce duo cæci sedentes secus viam, audierunt, quia Jesus transiret : et clamaverunt, dicentes : Domine miserere nostri, fili David. 31. Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, fili David. 32. Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis ? 33. Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri. 34. Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.

CAPUT XXI.

Jesus super asinam Jerusalem cum triumpho ingressus, negotiatores de templo ejicit, et pharisæis de triumpho indignantibus respondet : discipulis autem de ficulnea Christi verbo arefacta mirantibus, declarat fidei efficaciam : interrogationem de sua potestate retundit quæstione de Joannis baptismo : et ex parabolis de homine duos filios habente, et de patrefamilias, cuius vinitores post alios servos, etiam filium vineæ heredem occiderunt, prædicit regnum Dei a Judæis ad gentes transferendum.

1. Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad Montem oliveti : tunc Jesus misit duos discipulos, 2. Dicens eis : Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea : solvite, et adducite mihi : 3. Et siquis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet : et confestim dimittet eos. 4. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : 5. Dicite filiæ Sion : Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. 6. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis Jesus. 7. Et adduxerunt asinam, et pullum : et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. 8. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via : alii autem cædebant ramos de arboribus, et sternebant in via : 9. Turbæ autem, quæ præcedebant, et quæ sequebantur, clamabant, dicentes : Hosanna filio David : benedictus, qui venit in nomine Domini : hosanna in altissimis.

10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens : Quis est hic ? 11. Populi autem dicebant : Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilææ. 12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes, et ementes in templo, et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit : 13. Et dicit eis : Scriptum est : Domus mea domus orationis vocabitur : vos autem fecistis illam speluncam

latronum. 14. Et accesserunt ad eum cæci, et claudi in templo: et sanavit eos. 15. Videntes autem principes sacerdotum, et Scribæ mirabilia, quæ fecit, et pueros clamantes in templo, et dicentes: Hosanna filio David: indignati sunt, 16. Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. numquam legistis: Quia ex ore infantium, et lactentium perfecisti laudem?

17. Et relictis illis, abiit, foras extra Civitatem in Bethaniam: ibique mansit. 18. Mane autem revertens in Civitatem, esuriit. 19. Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam: et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea. 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes: Quomodo continuo aruit? 21. Respondens autem Jesus, ait eis: Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non hæsitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle, et jacta te in mare, fiet.

22. Et omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem, principes sacerdotum, et seniores populi, dicentes: In qua potestate hæc facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24. Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem: quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. 25. Baptismus Joannis unde erat? e cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26. Si dixerimus, e cælo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. 27. Et respondentes Jesu, dixerunt: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.

28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vinea mea. 29. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, pœnitentia motus, abiit. 30. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, et non ivit. 31. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices præcedent vos in regnum Dei. 32. Venit enim ad vos Joannes in via justitiæ, et non credidistis ei, publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est.

34. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. 35. Et agricolæ, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. 36. Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter. 37. Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Vere-

buntur filium meum. 38. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, et habebimus hæreditatem ejus. 39. Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt. 40. Cum ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis?

41. Aiunt illi: Malos male perdet: et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42. Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris: 43. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. 44. Et qui supra ceciderit lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. 45. Et cum audissent principes sacerdotum, et Pharisæi parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. 46. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant.

CAPUT XXII.

Parabola de rege qui fecit nuptias filio suo, in quibus discumbens absque veste nuptiali, in tenebras ejicitur exteriores: tentatur Jesus a pharisæis super censu dando Cæsari, et a sadducæis super resurrectione: quorum redarguit inscitiam, mortuorum evincens resurrectionem: rursumque a legis doctore tentatur super magno legis mandato: vicissim quoque interrogat pharisæos, cujus filius sit Christus.

1. Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: 2. Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias, filio suo. 3. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. 4. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, et altilia occisa sunt, et omnia parata: venite ad nuptias. 5. Illi autem neglexerunt: et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: 6. Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. 7. Rex autem cum audisset, iratus est: et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. 8. Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. 9. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. 10. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos et bonos: et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. 11. Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali.

12. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. 13. Tunc dixit rex ministris: Ligatis manibus, et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, et stridor dentium. 14. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 15. Tunc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. 16. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de

aliquo : non enim respicis personam hominum : 17. Dic ergo nobis quid tibi videtur; licet censum dare Cæsari, an non? 18. Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait : Quid me tentatis hypocritæ? 19. Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20. Et ait illis Jesus : Cujus est imago hæc, et superscriptio?

21. Dicunt ei : Cæsaris. Tunc ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. 22. Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt. 23. In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt non esse resurrectionem : et interrogaverunt eum, 24. Dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. 25. Erant autem apud nos septem fratres : et primus, uxore ducta, defunctus est : et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 26. Similiter secundus, et tertius usque ad septimum. 27. Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 28. In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor? omnes enim habuerunt eam.

29. Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30. In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur : sed erunt sicut angeli Dei in cælo. 31. De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : 32. Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuorum, sed viventium. 33. Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina ejus. 34. Pharisæi autem audientes quod silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum : 35. Et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum : 36. Magister, quod est mandatum magnum in Lege?

37. Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. 38. Hoc est maximum, et primum mandatum. 39. Secundum autem simile est huic : Diliges proximum tuum, sicut teipsum. 40. In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetæ. 41. Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, 42. Dicens : Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei : David. 43. Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : 44. Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? 45. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est? 46. Et nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

CAPUT XXIII.

Scribis et pharisæis super cathedram Moysi sedentibus præcepit Jesus obedire, ipsorum autem opera non imitari, detegens ipsorum hypocrisim et ambitionem, discipulos vero contrariam docens humilitatem : deinde multiplex væ illis ob hypocrisim ac reliquas suas iniquitates interminatur, prædicens eos patrum suorum mensuram in justorum persecutionibus impleturos, ac Jerusalem deserendam.

1. Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, 2. Dicens :
Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, et Pharisæi. 3. Omnia ergo
quæcumque dixerint vobis, servate, et facite : secundum opera vero eorum
nolite facere : dicunt enim, et non faciunt. 4. Alligant enim onera gravia,
et importabilia, et imponunt in humeros hominum : digito autem
suo nolunt ea movere. 5. Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab
hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. 6.
Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis,
7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. 8. Vos
autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem
vos fratres estis. 9. Et patrem nolite vocare vobis super terram : unus
est enim Pater vester, qui in cælis est. 10. Nec vocemini magistri : quia
Magister vester unus est, Christus. 11. Qui major est vestrum, erit minister
vester. 12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur : et qui se humiliaverit,
exaltabitur.

13. Væ autem vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ : quia clauditis
regnum cælorum ante homines, vos enim non intratis, nec introeuntes
sinitis intrare. 14. Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ : quia comeditis
domos viduarum, orationes longas orantes : propter hoc amplius
accipietis judicium. 15. Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ : quia
circuitis mare, et aridam, ut faciatis unum proselytum : et cum fuerit
factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos. 16. Væ vobis duces
cæci, qui dicitis : Quicumque juraverit per templum, nihil est : qui autem
juraverit in auro templi, debet. 17. Stulti, et cæci : Quid enim majus
est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum ?

18. Et quicumque juraverit in altari, nihil est : quicumque autem
juraverit in dono, quod est super illud, debet. 19. Cæci : Quid enim
majus est, donum, an altare, quod sanctificat donum ? 20. Qui ergo jurat
in altari, jurat in eo, et in omnibus, quæ super illud sunt. 21. Et quicumque
juraverit in templo, jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso :
22. Et qui jurat in cælo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super
eum.

23. Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ : qui decimatis mentham,
et anethum, et cyminum, et reliquistis quæ graviora sunt legis, judicium,
et misericordiam, et fidem, hæc oportuit facere, et illa non omittere.
24. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. 25. Væ

vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis, et paropsidis : intus autem pleni estis rapina, et immunditia. 26. Pharisæe cœce, munda prius quod intus est calicis, et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. 27. Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ : quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. 28. Sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi : intus autem pleni estis hypocrisi, et iniquitate. 29. Væ vobis Scribæ, et Pharisæi hypocritæ, qui ædificatis sepulchra prophetarum, et ornatis monumenta justorum.

30. Et dicitis : Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31. Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32. Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennæ? 34. Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem : 35. Ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidistis inter templum et altare. 36. Amen dico vobis, venient hæc omnia super generationem istam. 37. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? 38. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39. Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XXIV.

Prædicit templi eversionem monetque ut caveant a venturis seductoribus, futura prænuntians bella ac persecutiones : surgent pseudochristi et pseudoprophetæ : de adventu Filii hominis præcedentibus signis in sole, luna et stellis : omnibus ignotum dicit Christus diem judicii : et de fideli ac malo servo ; propter quæ docet semper esse vigilandum.

1. Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationes templi. 2. Ipse autem respondens dixit illis : Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. 3. Sedente autem eo super Montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes : Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis sæculi? 4. Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat. 5. Multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus : et multos seducent. 6. Audituri enim estis prælia, et opiniones præliorum. Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis.

7. Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pesti-

lentiæ, et fames, et terræmotus per loca. 8. Hæc autem omnia initia sunt
dolorum. 9. Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis
odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10. Et tunc scandaliza-
buntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. 11. Et
multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. 12. Et quoniam abun-
davit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13. Qui autem perseve-
raverit usque in finem, hic salvus erit.

14. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testi-
monium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio. 15. Cum ergo
videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta,
stantem in loco sancto, qui legit intelligat: 16. Tunc qui in Judæa sunt,
fugiant ad montes: 17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de
domo sua: 18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.
19. Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus. 20. Orate
autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. 21. Erit enim tunc
tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque
fiet. 22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed
propter electos breviabuntur dies illi.

23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite
credere. 24. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ: et dabunt
signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest)
etiam electi. 25. Ecce prædixi vobis. 26. Si ergo dixerint vobis, Ecce in
deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus, nolite credere. 27. Sicut
enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem: ita erit et ad-
ventus Filii hominis. 28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur
et aquilæ. 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obs-
curabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et
virtutes cælorum commovebuntur: 30. Et tunc parebit signum Filii ho-
minis in cælo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt Filium
hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, et majestate.

31. Et mittet angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregabunt
electos ejus a quatuor ventis, a summis cælorum usque ad terminos eorum.
32. Ab arbore autem fici discite parabolam: cum jam ramus ejus tener
fuerit, et folia nata, scitis quia prope est æstas: 33. Ita et vos cum vide-
ritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis. 34. Amen dico vobis,
quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant. 35. Cælum,
et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. 36. De die autem
illa, et hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi solus Pater. 37. Sicut
autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. 38. Sicut enim
erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui
tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam.

39. Et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit
et adventus Filii hominis. 40. Tunc duo erunt in agro: unus assumetur,

et unus relinquetur. 41. Duæ molentes in mola: una assumetur, et una relinquetur. 42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 43. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 44. Ideo et vos estote parati: quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. 45. Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam ut det illis cibum in tempore? 46. Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. 47. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. 48. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: 49. Et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, et bibat cum ebriosis: 50. Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua ignorat: 51. Et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis, illic erit fletus, et stridor dentium.

CAPUT XXV.

Parabolas proponit de decem virginibus, ac talentis distributis servis; quorum dominus peregre rediens singulos præmiat aut punit juxta ipsorum merita: extremum judicium ponit ob oculos, et causas præmiationis bonorum ac punitionis malorum.

1. Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, et sponsæ. 2. Quinque autem ex eis erant fatuæ, et quinque prudentes: 3. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: 4. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes et dormierunt. 6. Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ, et ornaverunt lampades suas. 8. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguuntur. 9. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. 10. Dum autem irent emere, venit sponsus: et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. 11. Novissime vero veniunt et reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos.

13. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. 15. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem, et profectus est statim. 16. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. 17. Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

18. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. 19. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20. Et accedens qui quinque

talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. 21. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

22. Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23. Ait illi dominus ejus: Euge serve bone, et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 24. Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti: 25. Et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est. 26. Respondens autem dominus ejus, dixit ei: Serve male, et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi: 27. Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura. 28. Tollite itaque ab eo talentum, et date ei, qui habet decem talenta.

29. Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. 30. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium. 31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ: 32. Et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis: 33. Et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris. 34. Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. 35. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et dedistis mihi bibere: hospes eram, et collegistis me: 36. Nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere eram, et venistis ad me.

37. Tunc respondebunt ei justi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te: sitientem, et dedimus tibi potum? 38. Quando autem te vidimus hospitem, et collegimus te: aut nudum, et cooperuimus te? 39. Aut quando te vidimus infirmum: aut in carcere, et venimus ad te? 40. Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. 41. Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. 42. Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare: sitivi, et non dedistis mihi potum: 43. Hospes eram, et non collegistis me: nudus, et non cooperuistis me: infirmus, et in carcere, et non visitastis me. 44. Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi? 45. Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis: Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis. 46. Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.

CAPUT XXVI.

Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu ; qui unguento pretioso a muliere perfunditur, murmurantibus discipulis : venditur a Juda : de cujus proditione discipulis in cœna loquitur, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, trinamque Petri negationem : et post trinam orationem capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.

1. Et factum est : cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis : 2. Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas : 4. Et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent, et occiderent. 5. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, 7. Accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis.

8. Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes : Ut quid perditio hæc ? 9. Potuit enim istud vænundari multo, et dari pauperibus. 10. Sciens autem Jesus, ait illis : Quid molesti estis huic mulieri ? opus enim bonum operata est in me. 11. Nam semper pauperes habetis vobiscum : me autem non semper habetis. 12. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum : ad sepeliendum me fecit. 13. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc evangelium in todo mundo, dicetur et quod hæc fecit in memoriam ejus. 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum : 15. Et ait illis : Quid vultis, mihi dare, et ego vobis eum tradam ? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16. Et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet.

17. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? 18. At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21. Et edentibus illis, dixit : Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. 22. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere : Numquid ego sum Domine ? 23. At ipse respondens, ait : Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. 24. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo : væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. 25. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit : Numquid ego sum Rabbi ? Ait illi : Tu dixisti.

26. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit,

deditque discipulis suis, et ait: Accipite, et comedite: hoc est corpus meum. 27. Et accipiens calicem gratias egit: et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. 28. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. 29. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. 30. Et hymno dicto, exierunt in Montem oliveti. 31. Tunc dicit illis Jesus: Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. 32. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 33. Respondens autem Petrus, ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

34. Ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis. 35. Ait illi Petrus: Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis: Sedete hic donec vadam illuc, et orem. 37. Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mæstus esse. 38. Tunc ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate mecum. 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans, et dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste, verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. 40. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro: Sic non potuistis una hora vigilare mecum?

41. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 42. Iterum secundo abiit, et oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. 43. Et venit iterum, et invenit eos dormientes: erant enim oculi eorum gravati. 44. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens. 45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite iam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46. Surgite eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. 47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa cum gladiis, et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi. 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit: Ave Rabbi. Et osculatus est eum. 50. Dixitque illi Jesus: Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus iniecerunt in Jesum, et tenuerunt eum.

51. Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus. 52. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53. An putas, quia non possum rogare patrem meum, et exhibebit mihi modo

plusquam duodecim legiones angelorum? 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? 55. In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. 56. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturæ prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant.

58. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. 59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: 60. Et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, 61. Et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. 62. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? 63. Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. 64. Dicit illi Jesus: Tu dixisti, verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cæli.

65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam: 66. Quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67. Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, 68. Dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? 69. Petrus vero sedebat foris in atrio: et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Galilæo eras. 70. At ille negavit coram omnibus, dicens: Nescio quid dicis. 71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. 72. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem.

73. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te facit. 74. Tunc cœpit detestari, et jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. 75. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare.

CAPUT XXVII.

Judas, relatis argenteis, laqueo se suspendit : Jesus coram Pilato accusatus, non respondet : uxor autem Pilati dicit ipsum justum : præeligitur tamen Barabbas : Pilatus lotis manibus Jesum flagellatum tradit crucifigendum : qui a militibus multipliciter illusus, duciter ad crucifigendum ; et felleo vino potatus, inter latrones crucifigitur, divisis ipsius vestimentis : et a variis multæ jactantur in ipsum blasphemiæ : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore expirat, ac signa varia fiunt : corpus Jesu a Joseph sepultum, custoditur a militibus.

1. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum,
et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. 2. Et vinctum
adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. 3. Tunc videns
Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset ; pœnitentia ductus, retulit
triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, 4. Dicens : Peccavi,
tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos? tu videris.
5. Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit.
6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non
licet eos mittere in corbonam : quia pretium sanguinis est. 7. Consilio
autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum.
8. Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis,
usque in hodiernum diem. 9. Tunc impletum est quod dictum est per
Jeremiam prophetam, dicentem : Et acceperunt triginta argenteos pretium
appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel : 10. Et dederunt eos
in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.

11. Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses, dicens:
Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus : Tu dicis. 12. Et cum accusaretur
a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. 13. Tunc dicit
illi Pilatus : Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? 14. Et
non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur præses vehementer.
15. Per diem autem solemnem consueverat præses populo dimittere unum
vinctum, quem voluissent. 16. Habebat autem tunc vinctum insignem,
qui dicebatur Barabbas. 17. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem
vultis dimittam vobis : Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? 18.
Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. 19. Sedente autem illo
pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens : Nihil tibi, et justo illi.
multa enim passa sum hodie per visum propter eum.

20. Principes autem sacerdotum, et seniores persuaserunt populis ut
peterent Barabbam, Jesum vero perderent. 21. Respondens autem præses,
ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt :
Barabbam. 22. Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur
Christus? 23. Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis præses : Quid enim
mali fecit? At illi magis clamabant dicentes : Crucifigatur. 24. Videns
autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret : accepta

aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. 25. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. 26. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

27. Tunc milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: 28. Et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, 29. Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave rex Judæorum. 30. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. 31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. 32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenæum, nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. 33. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est Calvariæ locus. 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere.

35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. 36. Et sedentes servabant eum. 37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDÆORUM. 38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, et unus a sinistris. 39. Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua. 40. Et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salva temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. 41. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant: 42. Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere: si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: 43. Confidit in Deo: liberet nunc, si vult eum: dixit enim: Quia filius Dei sum. 44. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

45. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. 46. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me? 47. Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. 49. Ceteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. 50. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petræ scissæ sunt, 52. Et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. 53. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

54. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu et his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. 55. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei: 56. Inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi. 57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathæa, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. 58. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. 59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. 60. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum. 62. Altera autem die, quœ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum, et Pharisæi ad Pilatum, 63. Dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. 64. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium, ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error pejor priore. 65. Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. 66. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus.

CAPUT XXVIII.

Facto terræmotu, exterritisque custodibus, angelus mulieribus narrat Christi resurrectionem: qui ipsis apparens jubet (sicut et angelus jusserat) ut discipulis nuntient, quod Dominum in Galilæa visuri sint: milites sepulchri custodes, pecunia corrupti, dicunt corpus Christi furto sublatum: discipuli videntes in Galilæa Dominum, jubentur ire ad docendas et baptizandas omnes gentes.

1. Vespere autem sabbati, quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulchrum. 2. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum: 3. Erat autem aspectus ejus sicut fulgur: et vestimentum ejus sicut nix. 4. Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui. 5. Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quæritis: 6. Non est hic: surrexit enim, sicut dixit, venite, et videte locum, ubi positus erat Dominus. 7. Et cito euntes, dicite discipulis ejus quia surrexit: et ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis, ecce prædixi vobis. 8. Et exierunt cito de monumento cum timore, et gaudio magno, currentes nunciare discipulis ejus. 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Avete. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. 10. Tunc ait illis Jesus: Nolite timere, ite, nunciate fratribus meis ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.

11. Quæ cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nunciaverunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. 12. Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, 13. Dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. 14. Et si hoc auditum fuerit a præside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus. 15. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judæos, usque in hodiernum diem.

16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam in montem, ubi constituerat illis Jesus. 17. Et videntes eum adoraverunt : quidam autem dubitaverunt. 18. Et accedens Jesus locutus est eis, dicens : Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. 19. Euntes ergo docete omnes gentes : baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti : 20. Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.

SANCTUM

JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM MARCUM.

CAPUT I.

Joannes in austeritate vitæ prædicat, ac baptizat aqua : Christus vero Spiritu sancto : qui a Joanne baptizatus, cum bestiis agens in deserto, post jejunium quadraginta dierum a Satana tentatur; et Joanne tradito, prædicare incipit in Galilæa : vocatisque Simone et Andrea, Jacobo et Joanne Zebedæi, accedit Capharnaum, et reliqua Galilææ loca, ibique prædicans curat socrum Simonis, et leprosum, quem mittit ad sacerdotes, plurimosque dæmoniacos ac male habentes cum magna omnium admiratione.

1. Initium Evangelii Jesu Christi, Filii Dei. 2. Sicut scriptum est in
Isaia propheta : Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui
præparabit viam tuam ante te. 3. Vox clamantis in deserto : Parate viam
Domini, rectas facite semitas ejus. 4. Fuit Joannes in deserto baptizans, et
prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. 5. Et egre-
diebatur ad eum omnis Judææ regio, et Jerosolymitæ universi, et bapti-
zabantur ab illo in Jordanis flumine, confitentes peccata sua. 6. Et erat
Joannes vestitus pilis cameli, et zona pellicea circa lumbos ejus : et locus-
tas, et mel silvestre edebat. Et prædicabat dicens : 7. Venit fortior me
post me : cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamen-
torum ejus. 8. Ego baptizavi vos aqua, ille vero baptizabit vos Spiritu
sancto.

9. Et factum est : in diebus illis venit Jesus a Nazareth Galilææ : et bap-
tizatus est a Joanne in Jordane. 10. Et statim ascendens de aqua, vidit
cælos apertos, et Spiritum tamquam columbam descendentem, et manen-
tem in ipso. 11. Et vox facta est de cælis : Tu es filius meus dilectus, in
te complacui. 12. Et statim Spiritus expulit eum in desertum. 13. Et
erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus : et tenta-
batur a satana : eratque cum bestiis, et angeli ministrabant illi.

14. Postquam autem traditus est Joannes, venit Jesus in Galilæam,

prædicans evangelium regni Dei, 15. Et dicens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquavit regnum Dei : pœnitemini, et credite Evangelio. 16. Et præteriens secus Mare Galilææ, vidit Simonem, et Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare, (erant enim piscatores.) 17. Et dixit eis Jesus : Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. 18. Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum. 19. Et progressus inde pusillum, vidit Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem ejus, et ipsos componentes retia in navi: 20. Et statim vocavit illos. Et relicto patre suo Zebedæo in navi cum mercenariis, secuti sunt eum. 21. Et ingrediuntur Capharnaum : et statim sabbatis ingressus in synagogam, docebat eos. 22. Et stupebant super doctrina ejus : erat enim docens eos, quasi potestatem habens, et non sicut Scribæ.

23. Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo : et exclamavit, 24. Dicens : Quid nobis, et tibi Jesu Nazarene : venisti perdere nos? scio qui sis, Sanctus Dei. 25. Et comminatus est ei Jesus, dicens : Obmutesce, et exi de homine. 26. Et discerpens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna exiit ab eo. 27. Et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent inter se dicentes : Quidnam est hoc? quænam doctrina hæc nova? quia in potestate etiam spiritibus immundis imperat, et obediunt ei. 28. Et processit rumor ejus statim in omnem regionem Galilææ.

29. Et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum Simonis, et Andreæ cum Jacobo, et Joanne. 30. Decumbebat autem socrus Simonis febricitans : et statim dicunt ei de illa. 31. Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus : et continuo dimisit eam febris, et ministrabat eis. 32. Vespere autem facto cum occidisset sol, afferebant ad eum omnes male habentes, et dæmonia habentes : 33. Et erat omnis civitas congregata ad januam. 34. Et curavit multos, qui vexabantur variis languoribus, et dæmonia multa ejiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum. 35. Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat. 36. Et prosecutus est eum Simon, et qui cum illo erant. 37. Et cum invenissent eum, dixerunt ei : Quia omnes quærunt te. 38. Et ait illis : Eamus in proximos vicos, et civitates, ut et ibi prædicem: ad hoc enim veni. 39. Et erat prædicans in synagogis eorum, et in omni Galilæa, et dæmonia ejiciens.

40. Et venit ad eum leprosus deprecans eum : et genu flexo dixit ei: Si vis, potes me mundare. 41. Jesus autem misertus ejus, extendit manum suam : et tangens eum, ait illi : Volo : Mundare. 42. Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est. 43. Et comminatus est ei, statimque ejecit illum : 44. Et dicit ei : Vide nemini dixeris : sed vade, ostende te principi sacerdotum, et offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis. 45. At ille egressus cœpit prædicare, et diffamare sermonem, ita ut jam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, et conveniebant ad eum undique.

CAPUT II.

Murmurantibus scribis quod paralytico per tectum in grabato demisso, diceret remitti peccata, jubens ipsum ferre grabatum, sanat eum : apud Levin, quem ad se sequendum vocaverat, discumbens cum pluribus publicanis, rationem dicit, murmurantibus pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejunent ; quos etiam spicas sabbato vellentes excusat.

1. Et iterum intravit Capharnaum post dies, 2. Et auditum est quod in domo esset, et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam et loquebatur eis verbum. 3. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui a quatuor portabatur. 4. Et cum non possent offerre eum illi præ turba, nudaverunt tectum ubi erat : et patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat. 5. Cum autem vidisset Jesus fidem illorum, ait paralytico : Fili, dimittuntur tibi peccata tua. 6. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, et cogitantes in cordibus suis : 7. Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ? 8. Quo statim cognito Jesus spiritu suo quia sic cogitarent intra se, dicit illis : Quid ista cogitatis in cordibus vestris ? 9. Quid est facilius dicere paralytico : Dimittuntur tibi peccata : an dicere : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula ? 10. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico.) 11. Tibi dico : Surge, tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam. 12. Et statim surrexit ille : et, sublato grabato, abiit coram omnibus, ita ut mirarentur omnes, et honorificarent Deum, dicentes : Quia numquam sic vidimus. 13. Et egressus est rursus ad mare : omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.

14. Et cum præteriret, vidit Levi Alphæi sedentem ad telonium, et ait illi : Sequere me. Et surgens secutus est eum. 15. Et factum est, cum accumberet in domo illius, multi publicani, et peccatores simul discumbebant cum Jesu, et discipulis ejus : erant enim multi, qui et sequebantur eum. 16. Et Scribæ, et Pharisæi videntes quia manducaret cum publicanis, et peccatoribus, dicebant discipulis ejus : Quare cum publicanis, et peccatoribus manducat et bibit Magister vester ? 17. Hoc audito Jesus ait illis : Non necesse habent sani medico, sed qui male habent : non enim veni vocare justos, sed peccatores. 18. Et erant discipuli Joannis, et Pharisæi jejunantes : et veniunt, et dicunt illi : Quare discipuli Joannis, et Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant ?

19. Et ait illis Jesus : Numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, jejunare ? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt jejunare. 20. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus : et tunc jejunabunt in illis diebus. 21. Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri : alioquin aufert supplementum novum a veteri, et major scissura fit. 22. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres :

alioqnin dirumpet vinum utres, et vinum effundetur, et utres peribunt: sed vinum novum in utres novos mitti debet. 23. Et factum est iterum cum Dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli ejus cœperunt progredi, et vellere spicas. 24. Pharisæi autem dicebant ei : Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet ? 25. Et ait illis : Numquam legistis quid fecerit David, quando necessitatem habuit, et esuriit ipse, et qui cum eo erant. 26. Quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, et panes propositionis manducavit, quos non licebat manducare, nisi sacerdotibus, et dedit eis, qui cum eo erant ? 27. Et dicebat eis : Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum. 28. Itaque Dominus est filius hominis, etiam sabbati.

CAPUT III.

Postquam manum aridam curaverat, pharisæorum cedens machinationi secedit, turbis undique ad ipsum confluentibus, quarum infirmos curat : duodecim a se electos (qui hic recensentur) mittit ad prædicandum, data ipsis potestate super infirmitates ac dæmonia : scribas blasphemantes ipsum in Belzebub ejicere dæmonia convincit falsitatis, dicens blasphemiam in Spiritum sanctum irremissibilem, et quæ sint mater et fratres ejus.

1. Et introivit iterum in synagogam : et erat ibi homo habens manum
aridam. 2. Et observabant eum, si sabbatis curaret, ut accusarent illum.
3. Et ait homini habenti manum aridam : Surge in medium. 4. Et dicit
eis : Licet sabbatis benefacere, an male ? animam salvam facere, an perdere ? At illi tacebant. 5. Et circumspiciens eos cum ira, contristatus
super cæcitate cordis eorum, dicit homini : Extende manum tuam. Et
extendit, et restituta est manus illi. 6. Exeuntes autem Pharisæi, statim
cum Herodianis consilium faciebant adversus eum quomodo eum perderent.

7. Jesus autem cum discipulis suis secessit ad mare : et multa turba a
Galilæa, et Judæa secuta est eum, 8. Et ab Jerosolymis, et ab Idumæa, et
trans Jordanem : et qui circa Tyrum, et Sidonem, multitudo magna, audientes, quæ faciebat, venerunt ad eum. 9. Et dixit discipulis suis ut navicula sibi deserviret propter turbam, ne comprimerent eum. 10. Multos
enim sanabat ita ut irruerent in eum ut illum tangerent quotquot habebant plagas.

11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei : et clamabant dicentes : 12. Tu es Filius Dei. Et vehementer comminabatur eis
ne manifestarent illum. 13. Et ascendens in montem vocavit ad se quos
voluit ipse : et venerunt ad eum. 14. Et fecit ut essent duodecim cum illo:
et ut mitteret eos prædicare. 15. Et dedit illis potestatem curandi infirmitates, et ejiciendi dæmonia. 16. Et imposuit Simoni nomen Petrus : 17.
Et Jacobum Zebedæi, et Joannem fratrem Jacobi, et imposuit eis nomina
Boanerges, quod est, Filii tonitrui : 18. Et Andream, et Philippum, et

Bartholomæum, et Matthæum, et Thomam, et Jacobum Alphæi, et Thad-
dæum, et Simonem Cananæum, 19. Et Judam Iscariotem, qui et tradidit
illum. 20. Et veniunt ad domum : et convenit iterum turba, ita ut non
possent neque panem manducare. 21. Et cum audissent sui, exierunt
tenere eum : dicebant enim : Quoniam in furorem versus est. 22. Et
Scribæ, qui ab Jerosolymis descenderant, dicebant : Quoniam Beelzebub
habet, et quia in principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 23. Et convoca-
tis eis in parabolis dicebat illis : Quomodo potest satanas satanem ejicere?
24. Et si regnum in se dividatur, non potest regnum illud stare. 25. Et
si domus super semetipsam dispertiatur, non potest domus illa stare. 26.
Et si satanas consurrexerit in semetipsum, dispertitus est, et non poterit
stare, sed finem habet. 27. Nemo potest vasa fortis ingressus in domum
diripere, nisi prius fortem alliget, et tunc domum ejus diripiet.

28. Amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum pec-
cata, et blasphemiæ, quibus blasphemaverint : 29. Qui autem blasphe-
maverit in Spiritum sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed
reus erit æterni delicti. 30. Quoniam dicebant : Spiritum immundum
habet. 31. Et veniunt mater ejus et fratres : et foris stantes miserunt ad
eum vocantes eum, 32. Et sedebat circa eum turba : et dicunt ei : Ecce
mater tua, et fratres tui foris quærunt te. 33. Et respondens eis, ait : Quæ
est mater mea, et fratres mei ? 34. Et circumspiciens eos, qui in circuitu
ejus sedebant, ait : Ecce mater mea, et fratres mei. 35. Qui enim fecerit
voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

CAPUT IV.

Parabolam proponit seminatoris, quam discipulis declarat : lucernam dicit super candelabrum ponendam : addens parabolas de semine in terram jacto, quod excrescit dormiente eo qui seminavit, et de grano sinapis : discipulis autem seorsim omnia interpretatur : in navi a somno excitatus, tempestatem maris sedat.

1. Et iterum cœpit docere ad mare : et congregata est ad eum turba
multa, ita ut navim ascendens sederet in mari, et omnis turba circa mare
super terram erat : 2. Et docebat eos in parabolis multa, et dicebat illis
in doctrina sua : 3. Audite : ecce exiit seminans ad seminandum. 4. Et
dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres cæli, et come-
derunt illud. 5. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram
multam : et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ:
6. Et quando exortus est sol, exæstuavit : et eo quod non habebat radicem
exaruit.

7. Et aliud cecidit in spinas : et ascenderunt spinæ, et suffocaverunt
illud, et fructum non dedit. 8. Et aliud cecidit in terram bonam : et
dabat fructum ascendentem, et crescentem, et afferebat unum triginta,
unum sexaginta, et unum centum. 9. Et dicebat : Qui habet aures au-
diendi, audiat. 10. Et cum esset singularis, interrogaverunt eum hi, qui

cum eo erant duodecim, parabolam. 11. Et dicebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei : illis autem, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt : 12. Ut videntes videant, et non videant : et audientes audiant, et non intelligant : nequando convertantur, et dimittantur eis peccata. 13. Et ait illis : Nescitis parabolam hanc ? et quomodo omnes parabolas cognoscetis ? 14. Qui seminat, verbum seminat.

15. Hi autem sunt, qui circa viam, ubi seminatur verbum, et cum audierint, confestim venit satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum. 16. Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur : qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud : 17. Et non habent radicem in se, sed temporales sunt : deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum, confestim scandalizantur. 18. Et alii sunt, qui in spinis seminantur : hi sunt, qui verbum audiunt, 19. Et ærumnæ sæculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur. 20. Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum. 21. Et dicebat illis : Numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto ? nonne ut super candelabrum ponatur ?

22. Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur : nec factum est occultum, sed ut in palam veniat. 23. Si quis habet aures audiendi, audiat. 24. Et dicebat illis : Videte quid audiatis. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, et adjicietur vobis. 25. Qui enim habet, dabitur illi : et qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. 26. Et dicebat : Sic est regnum Dei, quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, 27. Et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat dum nescit ille. 28. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica. 20. Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. 30. Et dicebat : Cui assimilabimus regnum Dei ? aut cui parabolæ comparabimus illud ?

31. Sicut granum sinapis, quod cum seminatum fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra : 32. Et cum seminatum fuerit, ascendit, et fit majus omnibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut possint sub umbra ejus aves cæli habitare. 33. Et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire : 34. Sine parabola autem non loquebatur eis, seorsum autem discipulis suis disserebat omnia. 35. Et ait illis in illa die, cum sero esset factum : Transeamus contra.

36. Et dimittentes turbam, assumunt eum ita ut erat in navi : et aliæ naves erant cum illo. 37. Et facta est procella magna venti, et fluctus mittebat in navim, ita ut impleretur navis. 38. Et erat ipse in puppi super cervical dormiens : et excitant eum, et dicunt illi : Magister, non ad

te pertinet, quia perimus? 39. Et exurgens comminatus est vento, et dixit mari : Tace, obmutesce. Et cessavit ventus : et facta est tranquillitas magna. 40. Et ait illis : Quid timidi estis? necdum habetis fidem ? Et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum : Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obediunt ei ?

CAPUT V.

In regione Gerasenorum dæmoniacum curat ferocissimum a legione dæmonum ; quibus permittit ut in porcos ingrediantur, nec sinit ut ipsum sequatur is qui liberatus erat : curata muliere a profluvio sanguinis, venit ad domum Jairi, ejusque filiam resuscitat.

1. Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. 2. Et exeunti ei de navi, statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. 3. Qui domicilium habebat in monumentis ,et neque catenis jam quisquam poterat eum ligare : 4. Quoniam sæpe compedibus et catenis vinctus, dirupisset catenas, et compedes comminuisset, et nemo poterat eum domare. 5. Et semper die ac nocte in monumentis, et in montibus erat, clamans, et concidens se lapidibus. 6. Videns autem Jesum a longe, cucurrit, et adoravit eum : 7. Et clamans voce magna dixit : Quid mihi, et tibi, Jesu fili Dei altissimi? adiuro te per Deum, ne me torqueas. 8. Dicebat enim illi : Exi spiritus immunde ab homine. 9. Et interrogabat eum : Quod tibi nomen est? Et dicit ei : Legio mihi nomen est, quia multi sumus. 10. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionem.

11. Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. 12. Et deprecabantur eum spiritus, dicentes : Mitte nos in porcos ut in eos introeamus. 13. Et concessit eis statim Jesus. Et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos : et magno impetu grex præcipitatus est in mare ad duo millia, et suffocati sunt in mari. 14. Qui autem pascebant eos, fugerunt, et nunciaverunt in civitatem, et in agros. Et egressi sunt videre quid esset factum : 15. Et veniunt ad Jesum : et vident illum, qui a dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, et sanæ mentis, et timuerunt.

16. Et narraverunt illis, qui viderant, qualiter factum esset ei, qui dæmonium habuerat, et de porcis. 17. Et rogare cœperunt eum ut discederet de finibus eorum. 18. Cumque ascenderet navim, cœpit illum deprecari, qui a dœmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo. 19. Et non admisit eum, sed ait illi : Vade in domum tuam ad tuos, et annuncia illis quanta tibi Dominus fecerit, et misertus sit tui. 20. Et abiit, et cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset Jesus : et omnes mirabantur. 21. Et cum transcendisset Jesus in navi rursum trans fretum, convenit turba multa ad eum, et erat circa mare.

22. Et venit quidam de archisynagogis nomine Jairus : et videns eum,

procidit ad pedes ejus, 23. Et deprecabatur eum multum, dicens : Quoniam filia mea in extremis est. Veni, impone manum super eam, ut salva sit, et vivat. 24. Et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebant eum. 25. Et mulier, quæ erat in profluvio sanguinis annis duodecim, 26. Et fuerat multa perpessa a compluribus medicis : et erogaverat omnia sua, nec quidquam profecerat, sed magis deterius habebat : 27. Cum audisset de Jesu, venit in turba retro, et tetigit vestimentum ejus : 28. Dicebat enim : Quia si vel vestimentum ejus tetigero, salva ero. 29. Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus : et sensit corpore quia sanata esset a plaga. 30. Et statim Jesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de illo, conversus ad turbam, ajebat : Quis tetigit vestimenta mea ? 31. Et dicebant ei discipuli sui : Vides turbam comprimentem te, et dicis : Quis me tetigit ? 32. Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. 33. Mulier vero timens et tremens, sciens quod factum esset in se, venit et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem. 34. Ille autem dixit ei : Filia, fides tua te salvam fecit : vade in pace, et esto sana a plaga tua. 35. Adhuc eo loquente, veniunt ab archisynagogo, dicentes : Quia filia tua mortua est : quid ultra vexas Magistrum ? 36. Jesus autem audito verbo, quod dicebatur, ait archisynagogo : Noli timere : tantummodo crede.

37. Et non admisit quemquam se sequi nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem fratrem Jacobi. 38. Et veniunt in domum archisynagogi, et videt tumultum, et flentes, et ejulantes multum. 39. Et ingressus, ait illis : Quid turbamini, et ploratis ? puella non est mortua, sed dormit. 40. Et irridebant eum. Ipse vero ejectis omnibus assumit patrem, et matrem puellæ, et qui secum erant, et ingreditur ubi puella erat jacens. 41. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum : Puella (tibi dico) surge. 42. Et confestim surrexit puella, et ambulabat : erat autem annorum duodecim : et obstupuerunt stupore magno. 43. Et præcepit illis vehementer ut nemo id sciret : et dixit dari illi manducare.

CAPUT VI.

Christi doctrinam in ipsius patria admirantur : ubi tamen propter illorum incredulitatem pauca edidit miracula : apostolos mittens ad prædicandum, instruit quid observare debeant : Herodes, audita Christi fama, dicit Joannem Baptistam resurrexisse : cujus caput postulanti Herodiadis filiæ saltatrici propter jusjurandum tradiderat : in deserto quinque panibus et duobus piscibus quinque millia virorum satiat : super mare ambulans, tempestatem sedat : in terra Genesareth plurimos tactu fimbriæ vestimenti sanat.

1. Et egressus inde, abiit in patriam suam : et sequebantur eum discipuli sui : 2. Et facto sabbato cœpit in synagoga docere : et multi au-

dientes admirabantur in.doctrina ejus, dicentes : Unde huic hæc omnia?
et quæ est sapientia, quæ data est illi : et virtutes tales, quæ per manus
ejus efficiuntur? 3. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Jacobi, et
Joseph, et Judæ, et Simonis ? nonne et sorores ejus hic nobiscum sunt ?
Et scandalizabantur in illo. 4. Et dicebat illis Jesus : Quia non est pro-
pheta sine honore nisi in patria sua, et in cognatione sua. 5. Et non po-
terat ibi virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus
curavit : 6. Et mirabatur propter incredulitatem eorum, et circuibat
castella in circuitu docens. 7. Et vocavit duodecim : et cœpit eos mittere
binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. 8. Et præcepit
eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum : non peram, non panem,
neque in zona æs. 9. Sed calceatos scandaliis, et ne induerentur duabus
tunicis. 10. Et dicebat eis : Quocumque introieritis in domum : illic ma-
nete donec exeatis inde : 11. Et quicumque non receperint vos, nec au-
dierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in tes-
timonium illis. 12. Et exeuntes prædicabant ut pœnitentiam agerent :
13. Et dæmonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos ægros, et sa-
nabant. 14. Et audivit rex Herodes, (manifestum enim factum est nomen
ejus) et dicebat : Quia Joannes Baptista resurrexit a mortuis : et propte-
rea virtutes operantur in illo.

15. Alii autem dicebant : Quia Elias est. Alii vero dicebant : Quia
propheta est, quasi unus ex prophetis. 16. Quo audito Herodes ait : Quem
ego decollavi Joannem, hic a mortuis resurrexit. 17. Ipse enim Herodes
misit, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcere propter Herodiadem
uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. 18. Dicebat enim Joannes
Herodi : Non licet tibi habere uxorem fratris tui. 19. Herodias autem in-
sidiabatur illi : et volebat occidere eum, nec poterat. 20. Herodes enim
metuebat Joannem, sciens eum virum justum et sanctum : et custodiebat
eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. 21. Et cum
dies opportunus accidisset, Herodes natalis sui cœnam fecit principibus, et
tribunis, et primis Galilææ.

22. Cumque introisset filia ipsius Herodiadis, et saltasset, et placuisset
Herodi, simulque recumbentibus ; rex ait puellæ : Pete a me quod vis,
et dabo tibi : 23. Et juravit illi : Quia quidquid petieris dabo tibi, licet
dimidium regni mei. 24. Quæ cum exisset, dixit matri suæ : Quid pe-
tam ? At illa dixit : Caput Joannis Baptistæ. 25. Cumque introisset statim
cum festinatione ad regem, petivit dicens : Volo ut protinus des mihi in
disco caput Joannis Baptistæ. 26. Et contristatus est rex : propter jusju-
randum, et propter simul discumbentes noluit eam contristare : 27. Sed
misso spiculatore præcepit afferri caput ejus in disco. Et decollavit eum
in carcere, 28. Et attulit caput ejus in disco : et dedit illud puellæ, et
puella dedit matri sui. 29. Quo audito, discipuli ejus venerunt, et tule-
runt corpus ejus : et posuerunt illud in monumento.

30. Et convenientes Apostoli ad Jesum, renunciaverunt ei omnia, quæ egerant, et docuerant. 31. Et ait illis : Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant et redibant multi : et nec spatium manducandi habebant. 31. Et ascendentes in navim, abierunt in desertum locum seorsum. 33. Et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi : et pedestres de omnibus civitatibus concurrerunt illuc, et prævenerunt eos. 34. Et exiens vidit turbam multam Jesus : et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem, et cœpit illos docere multa. 35. Et cum jam hora multa fieret, accesserunt discipuli ejus, dicentes : Desertus est locus hic, et jam hora præteriit : 36. Dimitte illos, ut euntes in proximas villas, et vicos, emant sibi cibos, quos manducent : 37. Et respondens ait illis : Date illis vos manducare. Et dixerunt ei : Euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare. 38. Et dicit eis : Quot panes habetis ? ite, et videte. Et cum cognovissent, dicunt : Quinque, et duos pisces. 39. Et præcepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. 40. Et discubuerunt in partes per centenos, et quinquagenos. 41. Et acceptis quinque panibus, et duobus piscibus, intuens in cælum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis suis, ut ponerent ante eos : et duos pisces divisit omnibus. 42. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. 43. Et sustulerunt reliquias, fragmentorum duodecim cophinos plenos, et de piscibus. 44. Erant autem qui manducaverunt quinque millia virorum.

45. Et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. 46. Et cum dimisiset eos, abiit in montem orare. 47. Et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra. 48. Et videns eos laborantes in remigando, (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare : et volebat præterire eos. 49. At illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamarunt. 50. Omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis, et dixit eis : Confidite, ego sum, nolite timere. 51. Et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Et plus magis intra se stupebant : 52. Non enim intellexerunt de panibus : erat enim cor eorum obcæcatum.

53. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth, et applicuerunt. 54. Cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum : 55. Et percurrentes universam regionem illam, cœperunt in grabatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse. 56. Et quocumque introibat, in vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent, et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

CAPUT VII.

Pharisæos redarguit, Christi arguentes discipulos, quod non lotis ederent manibus, cum ipsi Dei mandata ob suas traditiones transgrederentur : declarans quænam possint hominem coinquinare, nempe quæ de corde exeunt : Syrophenissæ filiam, ad perseverantem illius supplicationem, a dæmonio liberat ; et surdum ac mutum sanat.

1. Et conveniunt ad eum Pharisæi, et quidam de Scribis, venientes ab
Jerosolymis. 2. Et cum vidissent quosdam ex discipulis ejus communibus
manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt. 3. Pharisæi
enim, et omnes Judæi, nisi crebro laverint manus, non manducant, te-
nentes traditionem seniorum : 4. Et a foro nisi baptizentur, non come-
dunt : et alia multa sunt, quæ tradita sunt illis servare, baptismata cali-
cum, et urceorum, et æramentorum, et lectorum : 5. Et interrogabant
eum Pharisæi, et Scribæ : Quare discipuli tui non ambulant juxta tradi-
tionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem ? 6. At
ille respondens, dixit eis : Bene prophetavit Isaias de vobis hypocritis,
sicut scriptum est : Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum
longe est a me. 7. In vanum autem me colunt, docentes doctrinas, et præ-
cepta hominum. 8. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditio-
nem hominum, baptismata urceorum, et calicum : et alia similia his
facitis multa.

9. Et dicebat illis : Bene irritum facitis præceptum Dei, ut traditionem
vestram servetis. 10. Moyses enim dixit : Honora patrem tuum, et ma-
trem tuam. Et : Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. 11.
Vos autem dicitis : Si dixerit homo patri, aut matri, Corban, (quod est
donum) quodcumque ex me, tibi profuerit : 12. Et ultra non dimittitis
eum quidquam facere patri suo, aut matri. 13. Rescindentes verbum Dei
per traditionem vestram, quam tradidistis : et similia hujusmodi multa
facitis.

14. Et advocans iterum turbam, dicebat illis : Audite me omnes, et
intelligite. 15. Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit
eum coinquinare, sed quæ de homine procedunt, illa sunt, quæ commu-
nicant hominem. 16. Si quis habet aures audiendi, audiat. 17. Et cum
introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli ejus parabo-
lam. 18. Et ait illis : Sic et vos imprudentes estis ? Non intelligitis quia
omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare :
19. Quia non intrat in cor ejus, sed in ventrem vadit, et in secessum exit,
purgans omnes escas ? 20. Dicebat autem, quoniam quæ de homine
exeunt, illa communicant hominem. 21. Abintus enim de corde homi-
num malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia,
22. Furta, avaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blas-

phemia, superbia, stultitia. 23. Omnia hæc mala abintus procedunt,
et communicant hominem.

24. Et inde surgens abiit in fines Tyri, et Sidonis : et ingressus do-
mum, neminem voluit scire et non potuit latere. 25. Mulier enim statim
ut audivit de eo, cujus filia habebat spiritum immundum, intravit, et
procidit ad pedes ejus. 26. Erat enim mulier Gentilis, Syrophœnissa ge-
nere. Et rogabat eum ut dæmonium ejiceret de filia ejus. 27. Qui dixit
illi : Sine prius saturari filios : non est enim bonum sumere panem filio-
rum, et mittere canibus. 28. At illa respondit, et dixit illi : Utique Do-
mine, nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. 29. Et
ait illi : Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium a filia tua. 30.
Et cum abiisset domum suam, invenit puellam jacentem supra lectum,
et dæmonium exiisse. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per
Sidonem ad Mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

32. Et adducunt ei surdum, et mutum, et deprecabantur eum, ut im-
ponat illi manum. 33. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit
digitos suos in auriculas ejus : et expuens, tetigit linguam ejus : 34. Et
suspiciens in cælum, ingemuit, et ait illi : Ephphetha, quod est adaperire.
35. Et statim apertæ sunt aures ejus, et solutum est vinculum linguæ
ejus, et loquebatur recte. 36. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto
autem eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant : 37. Et eo amplius
admirabantur, dicentes : Bene omnia fecit : et surdos fecit audire, et mu-
tos loqui.

CAPUT VIII.

Septem panibus paucisque pisciculis satiat quatuor hominum millia : discipulos a fermento pharisæorum cavere jubet : cæcum sensim curat : interrogatis apostolis quem Jesum esse dicerent, Petrus confitetur ipsum esse Christum : et paulo post Satanas ab eo dicitur, quod increparet illum dum suam prædiceret passionem : de tollenda cruce, et quod anima nihil debet esse carius.

1. In diebus illis iterum cum turba multa esset, nec haberent quod man-
ducarent : convocatis discipulis, ait illis : 2. Misereor super turbam : quia
ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent : 3. Et si
dimisero eos jejunos in domum suam, deficient in via : quidam enim ex
eis de longe venerunt. 4. Et responderunt ei discipuli sui : unde illos
quis poterit hic saturare panibus in solitudine? 5. Et interrogavit eos :
Quot panes habetis ? Qui dixerunt : Septem. 6. Et præcepit turbæ dis-
cumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit,
et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ. 7. Et habe-
bant pisciculos paucos : et ipsos benedixit, et jussit apponi. 8. Et mandu-
caverunt, et saturati sunt, et sustulerunt quod superaverat de fragmentis,
septem sportas. 9. Erant autem qui manducaverant, quasi quatuor mil-

lia : et dimisit eos. 10. Et statim ascendens navim cum discipulis suis,
venit in partes Dalmanutha.

11. Et exierunt Pharisæi, et cœperunt conquirere cum eo, quærentes
ab illo signum de cælo, tentantes eum. 12. Et ingemiscens spiritu, ait :
Quid generatio ista signum quærit ? Amen dico vobis, si dabitur genera-
tioni isti signum. 13. Et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit
trans fretum. 14. Et obliti sunt panes sumere : et nisi unum panem non
habebant secum in navi. 15. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, et cavete
a fermento Pharisæorum, et fermento Herodis. 16. Et cogitabant ad al-
terutrum, dicentes : Quia panes non habemus. 17. Quo cognito, ait illis
Jesus : Quid cogitatis, quia panes non habetis ? nondum cognoscitis nec
intelligitis ? adhuc cæcatum habetis cor vestrum ? 18. Oculos habentes
non videtis ? et aures habentes non auditis ? nec recordamini. 19. Quan-
do quinque panes fregi in quinque millia : quot cophinos fragmentorum
plenos sustulistis ? Dicunt ei : Duodecim. 20. Quando et septem panes in
quatuor millia : quot sportas fragmentorum tulistis ? Et dicunt ei : Sep-
tem. 21. Et dicebat eis : Quomodo nondum intelligitis ?

22. Et veniunt Bethsaidam, et adducunt ei cæcum, et rogabant eum
ut illum tangeret. 23. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum
et expuens in oculos ejus impositis manibus suis, interrogavit eum si
quid videret. 24. Et aspiciens, ait : Video homines velut arbores ambu-
lantes. 25. Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus : et cœpit
videre, et restitutus est ita ut clare videret omnia. 26. Et misit illum in
domum suam, dicens : Vade in domum tuam : et si in vicum introieris,
nemini dixeris.

27. Et egressus est Jesus, et discipuli ejus, in castella Cesareæ Phi-
lippi : et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis : Quem me di-
cunt esse homines ? 28. Qui responderunt illi, dicentes : Joannem Bap-
tistam, alii Eliam, alii vero quasi unum de prophetis. 29. Tunc dicit
illis : Vos vero quem me esse dicitis? Respondens Petrus, ait ei : Tu es
Christus. 30. Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. 31. Et cœpit
docere eos quoniam oportet filium hominis pati multa, et reprobari a senio-
ribus, et a summis sacerdotibus, et Scribis, et occidi : et post tres dies re-
surgere. 32. Et palam verbum loquebatur. Et apprehendens eum Petrus,
cœpit increpare eum. 33. Qui conversus, et videns discipulos suos, com-
minatus est Petro, dicens : Vade retro me satana, quoniam non sapis quæ
Dei sunt, sed quæ sunt hominum.

34. Et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis : Si quis vult me
sequi, deneget semetipsum : et tollat crucem suam, et sequatur me. 35.
Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam : qui autem
perdiderit animam suam propter me, et Evangelium, salvam faciet eam.

36. Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum : et detri-
mentum animæ suæ faciat ? 37. Aut quid dabit homo commutationis

pro anima sua ? 38. Qui enim me confusus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice : et filius hominis confundetur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis. 39. Et dicebat illis : Amen dico vobis, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei veniens in virtute.

CAPUT IX.

Transfigurato Jesu junguntur Moyses et Elias : dicit Eliam dum venerit, omnia restituturum : immo jam venisse, nec fuisse susceptum : surdum ac mutum spiritum ejicit, qui sola oratione et jejunio ejicitur : suam passionem prædicit : disputantes discipulos docet quis eorum sit major : de ejiciente dæmonium qui non sequebatur Jesum : de amputando manus, pedis, vel oculi scandalo.

1. Et post dies sex assumit Jesus Petrum, et Jacobum, et Joannem : et ducit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis. 2. Et vestimenta ejus facta sunt splendentia, et candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. 3. Et apparuit illis Elias cum Moyse : et erant loquentes cum Jesu. 4. Et respondens Petrus, ait Jesu : Rabbi, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, Tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. 5. Non enim sciebat quid diceret : erant enim timore exterriti : 6. Et facta est nubes obumbrans eos : et venit vox de nube, dicens : Hic est Filius meus charissimus : audite illum. 7. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi Jesum tantum secum.

8. Et descendentibus illis de monte, præcepit illis ne cuiquam quæ vidissent, narrarent : nisi cum Filius hominis a mortuis resurrexerit. 9. Et verbum continuerunt apud se : conquirentes quid esset : Cum a mortuis resurrexerit. 10. Et interrogabant eum, dicentes : Quid ergo dicunt Pharisæi, et Scribæ, quia Eliam oportet venire primum ? 11. Qui respondens, ait illis : Elias cum venerit primo, restituet omnia : et quomodo scriptum est Filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur. 12. Sed dico vobis quia et Elias venit (et fecerunt illi quæcumque voluerunt) sicut scriptum est de eo. 13. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et Scribas conquirentes cum illis. 14. Et confestim omnis populus videns Jesum, stupefactus est, et expaverunt, et accurrentes salutabant eum.

15. Et interrogavit eos : Quid inter vos conquiritis ? 16. Et respondens unus de turba, dixit : Magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum : 17. Qui ubicumque eum apprehenderit, allidit illum, et spumat, et stridet dentibus, et arescit : et dixi discipulis tuis ut ejicerent illum, et non potuerunt. 18. Qui respondens eis, dixit : O generatio incredula, quamdiu apud vos ero ? quamdiu vos patiar ? afferte illum ad me. 18. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spi-

ritus conturbavit illum : et elisus in terram, volutabatur spumans. 20
Et interrogavit patrem ejus : Quantum temporis est ex quo ei hoc ac-
cidit ? At ille ait ? Ab infantia : 21. Et frequenter eum in ignem, et in
aquas misit ut eum perderet, sed si quid potes, adjuva nos, misertus nostri.
22. Jesus autem ait illi : Si potes credere, omnia possibilia sunt cre-
denti. 23. Et continuo exclamans pater pueri, cum lacrymis ajebat :
Credo, Domine : adjuva incredulitatem meam. 24. Et cum videret Jesus
concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi :
Surde, et mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo : et amplius ne in-
troeas in eum. 25. Et exclamans, et multum discerpens eum, exiit ab eo,
et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent : Quia mortuus est. 26.
Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum, et surrexit. 27. Et cum
introisset in domum, discipuli ejus secreto interrogabant eum : Quare
nos non potuimus ejicere eum ? 28. Et dixit illis : Hoc genus in nullo
potest exire, nisi in oratione, et jejunio. 29. Et inde profecti prætergre-
diebantur Galilæam : nec volebat quemquam scire.
30. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis : Quoniam filius
hominis tradetur in manus hominum, et occident eum, et occisus tertia
die resurget. 31. At illi ignorabant verbum : et timebant interrogare
eum. 32. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi essent, interrogabat
eos : Quid in via tractabatis ? 33. At illi tacebant, siquidem in via inter
se disputaverant, quis eorum major esset. 34. Et residens vocavit duode-
cim, et ait illis : Si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et
omnium minister. 35. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eo-
rum : quem cum complexus esset, ait illis : 36. Quisquis unum ex hu-
jusmodi pueris receperit in nomine meo, me recipit : et quicumque me
susceperit, non me suscipit, sed eum, qui misit me. 37. Respondit illi
Joannes, dicens : Magister, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem
dæmonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.
38. Jesus autem ait : Nolite prohibere eum. nemo est enim qui faciat
virtutem in nomine meo, et possit cito male loqui de me. 39. Qui enim
non est adversum vos, pro vobis est. 40. Quisquis enim potum dederit vo-
bis calicem aquæ in nomine meo, quia Christi estis : amen dico vobis,
non perdet mercedem suam. 41. Et quisquis scandalizaverit unum ex his
pusillis credentibus in me : bonum est ei magis si circumdaretur mola
asinaria collo ejus, et in mare mitteretur. 42. Et si scandalizaverit te ma-
nus tua, abscinde illam : bonum est tibi debilem introire in vitam, quam
duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem : 43.
Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. 44. Et si pes
tuus te scandalizat, amputa illum : bonum est tibi claudum introire in
vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis
inextinguibilis : 45. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extin-
guitur. 46. Quod si oculus tuus scandalizat te, ejice eum : bonum est tibi

luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis : 47. Ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. 48. Omnis enim igne salietur, et omnis victima sale salietur. 49. Bonum est sal : quid si sal insulsum fuerit : in quo illud condietis? Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos.

CAPUT X.

Nullo modo dimittendam uxorem astruit aliam ducendo : parvulos complexus, benedicit eis : dives qui præcepta a juventute observarat, non amplectitur Christi consilium de omnibus divendendis : quid referent præmii qui omnia relinquunt : rursum suam prædicit passionem : occasione ambitionis filiorum Zebedæi docet discipulos quod non ostensione dominii, sed officio ministerii debeant esse majores : Bartimæum cæcum sanat.

1. Et inde exurgens venit in fines Judææ ultra Jordanem : et conveniunt iterum turbæ ad eum : et sicut consueverat, iterum docebat illos. 2. Et accedentes Pharisæi interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere : tentantes eum. 3. At ille respondens, dixit eis : Quid vobis præcepit Moyses? 4. Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. 5. Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud. 6. Ab initio autem creaturæ masculum, et feminam fecit eos Deus. 7. Propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit ad uxorem suam : 8. Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro.

9. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 10. Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. 11. Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12. Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, mœchatur. 13. Et offerebant illi parvulos ut tangeret illos. Discipuli autem comminabantur offerentibus. 14. Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis : Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos : talium enim est regnum Dei.

15. Amen dico vobis : Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. 16. Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos. 17. Et cum egressus esset in viam, procurrens, quidam genu flexo ante eum, rogabat eum : Magister bone, quid faciam ut vitam æternam percipiam? 18. Jesus autem dixit ei : Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. 19. Præcepta nosti : Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixeris, Ne fraudem feceris. Honora patrem tuum et matrem. 20. At ille respondens, ait illi : Magister, hæc omnia observavi a juvente mea. 21. Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei : Unum tibi deest : vade, quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in

cælo : et veni, sequere me. 22. Qui contristatus in verbo, abiit mærens : erat enim habens multas posessiones. 23. Et circumspiciens Jesus ait discipulis suis : Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt !

24. Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens ait illis : Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire ! 25. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Quid magis admirabantur, dicentes ad semetipsos : Et quis potest salvus fieri ? 27. Et intuens illos Jesus, ait : Apud homines impossibile est, sed non apud Deum : omnia enim possibilia sunt apud Deum. 28. Et cœpit ei Petrus dicere : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29. Respondens Jesus, ait : Amen dico vobis : Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, et propter Evangelium, 30. Qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc : domos, et fratres, et sorores, et matres, et filios, et agros, cum persecutionibus, et in sæculo futuro vitam æternam.

31. Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. 32. Erant autem in via ascendentes Jerosolymam : et præcedebat illos Jesus : et stupebant : et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei eventura. 33. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Flius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus : 34. Et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum : et tertia die resurget.

35. Et accedunt ad eum Jacobus, et Joannes filii Zebedæi, dicentes : Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36. At ille dixit eis : Quid vultis ut faciam vobis ? 37. Et dixerunt : Da nobis ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua. 38. Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem, quem ego bibo : aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari ? 39. At illi dixerunt ei : Possumus, Jesus autem ait eis : Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis ; et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini : 40. Sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41. Et audientes decem cœperunt indignari de Jacobo, et Joanne.

42. Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis : et principes eorum potestatem habent ipsorum. 43. Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister : 44. Et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus 45. Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis. 46. Et veniunt Jericho : et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus,

sedebat juxta viam mendicans. 47. Qui cum audisset quia Jesus Nazarenus est, cœpit clamare, et dicere : Jesu fili David, miserere mei. 48. Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat. Fili David miserere mei. 49. Et stans Jesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei : Animæquior esto : surge, vocat te. 50. Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. 51. Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam ? Cæcus autem dixit ei : Rabboni, ut videam. 52. Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

CAPUT XI.

Super pullum asinæ cum honore Jerusalem ingreditur : ficum maledicendo arefacit : ementes ac vendentes de templo ejicit : efficaciam fiduciæ in Deum ostendit, dicens fratri remittenda quæ in nos commisit : scribis non dicit qua potestate hæc faciat, eo quod nec illi responderent ad propositam de Joannis baptismo quæstionem.

1. Et cum appropinquarent Jerosolymæ, et Bethaniæ ad Montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis, 2. Et ait illis : Ite in castellum, quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit : solvite illum, et adducite. 3. Et si quis vobis dixerit : Quid facitis ? dicite, quia Domino necessarius est : et continuo illum dimittet huc. 4. Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio : et solvunt eum. 5. Et quidam de illic stantibus dicebant illis : Quid facitis solventes pullum ? 6. Qui dixerunt eis sicut præceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.

7. Et duxerunt pullum ad Jesum : et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. 8. Multi autem vestimenta sua straverunt in via : alii autem frondes cædebant de arboribus, et sternebant in via. 9. Et qui præibant, et qui sequebantur clamabant, dicentes : Hosanna : 10. Benedictus, qui venit in nomine Domini : benedictum quod venit regnum patris nostri David : Hosanna in excelsis. 11. Et introivit Jerosolymam in templum : et circumspectis omnibus, cum jam vespera esset hora, exiit in Bethaniam cum duodecim. 12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit.

13. Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea, et cum venisset ad eam, nihil invenit præter folia : non enim erat tempus ficorum. 14. Et respondens dixit ei : Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus. 15. Et veniunt Jerosolymam. Et cum introisset in templum, cœpit ejicere vendentes, et ementes in templo : et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit. 16. Et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum : 17. Et docebat, dicens eis :

Nonne scriptum est : Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus ? Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

18. Quo audito principes sacerdotum, et Scribæ quærebant quomodo eum perderent : timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus. 19. Et cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate. 20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. 21. Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. 22. Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei. 23. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere, et mittere in mare, et non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet ei.

24. Propterea dico vobis, omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis. 25. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem : ut et Pater vester qui in cælis est, dimittat vobis peccata vestra. 26. Quod si vos non dimiseritis : nec Pater vester, qui in cælis est, dimittet vobis peccata vestra. 27. Et veniunt rursus Jerosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et Scribæ, et seniores : 28. Et dicunt ei : In qua potestate hæc facis ? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias ? 29. Jesus autem respondens, ait illis : Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi : et dicam vobis in qua potestate hæc faciam. 30. Baptismus Joannis, de cælo erat, an ex hominibus ? Respondete mihi. 31. At illi cogitabant secum, dicentes : Si dixerimus, De cælo, dicet, Quare ergo non credidistis ei ? 32. Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum, omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset. 33. Et respondentes dicunt Jesu : Nescimus. Et respondens Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc faciam.

CAPUT XII.

Parabolam narrat de vinea agricolis elocata, qui servos ac filium patris familias occiderunt : tentatur a pharisæis de censu Cæsari solvendo : et a sadducæis de resurrectione : interrogatur a scriba de primo mandato : ipse vero rogat quo modo scribæ dicant Christum filium esse David, docens ab ipsis cavendum : viduam laudat ob duo minuta in gazophylacium missa.

1. Et cœpit illis in parabolis loqui : Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et ædificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. 2. Et misit ad agricolas in tempore servum ut ab agricolis acciperet de fructu vineæ. 3. Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. 4. Et iterum misit ad illos alium servum : et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. 5. Et rursum alium misit, et illum occiderunt : et plures alios : quosdam cædentes, alios vero occidentes. 6. Adhuc ergo unum habens filium cha-

rissimum : et illum misit ad eos novissimum, dicens : Quia reverebuntur filium meum. 7. Coloni autem dixerunt ad invicem : Hic est heres : venite, occidamus eum : et nostra erit hereditas. 8. Et apprehendentes eum, occiderunt : ejecerunt et extra vineam. 9. Quid ergo faciet Dominus vineæ ? Veniet, et perdet colonos : et dabit vineam aliis.

10. Nec scripturam hanc legistis : Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli : 11. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris ? 12. Et quærebant eum tenere : et timuerunt turbam. cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt. 13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, et Herodianis, ut eum caperent in verbo. 14. Qui venientes dicunt ei : Magister, scimus quia verax es et non curas quemquam : nec enim vides in faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces, licet dari tributum Cæsari, an non dabimus ? 15. Qui sciens versutiam illorum, ait illis : Quid me tentatis ? afferte mihi denarium ut videam. 16. At illi attulerunt ei. Et ait illis : Cujus est imago hæc, et inscriptio ? Dicunt ei : Cæsaris. 17. Respondens autem Jesus dixit illis : Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

18. Et venerunt ad eum Sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse : et interrogabant eum dicentes : 19. Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. 20. Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine. 21. Et secundus accepit eam, et mortuus est : et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. 22. Et acceperunt eam similiter septem : et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. 23. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor ? septem enim habuerunt eam uxorem. 24. Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei ? 25. Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in cælis. 26. De mortuis autem quod resurgant non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? 27. Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum. 29. Jesus autem respondit ei : Quia primum omnium mandatum est : Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est : 30. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31. Secundum autem simile est illi : Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. 32. Et ait illi Scriba : Bene

Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius præter eum. 33. Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine : et diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, et sacrificiis. 34. Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi : Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribæ Christum filium esse David ? 36. Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 37. Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus ? Et multa turba eum libenter audivit. 38. Et dicebat eis in doctrina sua : Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, 39. Et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in cœnis : 40. Qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis : hi accipient prolixius judicium.

41. Et sedens Jesus contra gazophylacium, aspiciebat quomodo turba jactaret æs in gazophylacium, et multi divites jactabant multa. 42. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, 43. Et convocans discipulos suos, ait illis : Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium. 44. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt : hæc vero de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

CAPUT XIII.

Templum dicit evertendum, prædicitque bella et varias afflictiones ac persecutiones, abominationemque desolationis : de pseudochristis et pseudoprophetis : post signa in corporibus cœlestibus veniet cum gloria Filius hominis ; et hujus signum data ficu : quia autem nemo tempus novit, jubet omnes vigilare.

1. Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis : Magister, aspice quales lapides, et quales structuræ. 2. Et respondens Jesus, ait illi : Vides has omnes magnas ædificationes ? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 3. Et cum sederet in Monte olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas : 4. Dic nobis, quando ista fient ? et quod signum erit, quando hæc omnia incipient consummari ? 5. Et respondens Jesus cœpit dicere illis : Videte ne quis vos seducat : 6. Multi enim venient nomine meo dicentes, quia ego sum : et multos seducent. 7. Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim hæc fieri : sed nondum finis. 8. Exurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmotus per loca, et fames. Initium dolorum hæc. 9. Videte autem vosmetipsos. Tradent enim vos in conciliis, et in

synagogis vapulabitis, et ante præsides, et reges stabitis propter me, in testimonium illis. 10. Et in omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium.

11. Et cum duxerint vos tradentes, nolite præcogitare quid loquamini : sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini, non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. 12. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. 13. Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit. 14. Cum autem videritis abominationem desolationis stantem, ubi non debet, qui legit, intelligat : tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes : 15. Et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua : 16. Et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. 17. Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus. 18 Orate vero ut hieme non fiant. 19. Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturæ, quam condidit Deus usque nunc, neque fient. 20. Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

21. Et tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic est Christus, ecce illic ne credideritis. 22. Exurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa, et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. 23. Vos ergo videte : ecce prædixi vobis omnia. 24. Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum : 25. Et stellæ cæli erunt decidentes, et virtutes, quæ in cælis sunt, movebuntur. 26. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria. 27. Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terræ usque ad summum cæli.

28. A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit æstas : 29. Sic et vos cum videritis hæc fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis : 30. Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio hæc, donec omnia ista fiant. 31. Cælum, et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. 32. De die autem illo, vel hora nemo scit neque angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater. 33. Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit : 34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori præcepit ut vigilet. 35. Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane) 36. Ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. 37. Quod autem vobis dico, omnibus dico : Vigilate.

CAPUT XIV.

Consultant principes sacerdotum de occidendo Jesu : qui unguento pretioso a muliere perfunditur, murmurantibus discipulis : venditur a Juda ; de cujus proditione discipulis loquitur in cœna, in qua panem in corpus suum, et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis : prædicit omnes scandalizandos, et trinam Petri negationem : ac post trinam orationem capitur a Judæis : quorum uni Petrus abscidit auriculam : et discipulis fugientibus, coram Caipha a falsis testibus accusatus, mortisque reus judicatus, conspuitur ac cæditur, et ter a Petro negatur.

1. Erat autem Pascha et Azyma post biduum : et quærebant summi
sacerdotes, et Scribæ quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. 2. Dice-
bant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 3. Et
cum esset Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet : venit mu-
lier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabas-
tro, effudit super caput ejus. 4. Erant autem quidam indigne ferentes
intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ?
5. Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis dena-
riis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam. 6. Jesus autem dixit : Si-
nite eam, quid illi molesti estis ? Bonum opus operata est in me. 7.
Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis, potestis
illis benefacere : me autem non semper habetis. 8. Quod habuit hæc,
fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam.
9. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud
in universo mundo, et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. 10.
Et Judas Iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut pro-
deret eum illis. 11. Qui audientes gavisi sunt : et promiserunt ei pecu-
niam se daturos. Et quærebat quomodo illum opportune traderet. 12. Et
primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli :
Quo vis eamus, et paremus tibi ut manduces Pascha ? 13. Et mittit duos
ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem : et occurret vobis homo
lagenam aquæ bajulans, sequimini eum : 14. Et quocumque introierit,
dicite Domino domus, quia magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi
Pascha cum discipulis meis manducem ? 15. Et ipse vobis demonstrabit
cœnaculum grande, stratum : et illic parate nobis. 16. Et abierunt dis-
cipuli ejus, et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et
paraverunt Pascha. 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. 18.
Et discumbentibus eis, et manducantibus, ait Jesus : Amen dico vobis,
quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum. 19. At illi cœpe-
runt contristari, et dicere ei singulatim : Numquid ego ? 20. Qui ait illis :
Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. 21. Et Filius
quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo : væ autem homini illi,

per quem Fililius hominis tradetur, bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem : et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum. 23. Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. 24. Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. 25. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. 26. Et hymno dicto exierunt in Montem olivarum. 27. Et ait eis Jesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte ista : quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves. 28. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. 29. Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te : sed non ego. 30. Et ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31. At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

32. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis : Sedete hic donec orem. 33. Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum : et cœpit pavere, et tædere. 34. Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate. 35. Et cum processisset paululum, procidit super terram : et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora : 36. Et dixit : Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. 37. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare ? 38. Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. 39. Et iterum abiens oravit eumdem sermonem, dicens. 40. Et reversus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) et ignorabant quid responderent ei. 41. Et venit tertio, et ait illis : Dormite jam, et requiescite. Sufficit : venit hora : ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42. Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est.

43. Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis, et lignis, a summis sacerdotibus, et Scribis, et senioribus. 44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. 45. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave Rabbi : et osculatus est eum. 46. At illi manus iniecerunt in eum : et tenuerunt eum. 47. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis : et amputavit illi auriculam. 48. Et respondens Jesus, ait illis : Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et lignis comprehendere me ? 49. Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. 51. Adolescens autem quidam seque-

batur eum amictus sindone super nudo : et tenuerunt eum. 52. At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.

53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem : et convenerunt omnes sacerdotes, et Scribæ, et seniores. 54. Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis : et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. 55. Summi vero sacerdotes, et omne concilium quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. 56. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum : et convenientia testimonia non erant. 57. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes : 58. Quoniam nos audivimus eum dicentem : Ego dissolvam templum hoc manu factum, et per triduum aliud non manu factum ædificabo. 59. Et non erat conveniens testimonium illorum.

60. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens : Non respondes quidquam ad ea, quæ tibi objiciuntur ab his ? 61. Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus filius Dei benedicti ? 62. Jesus autem dixit illi : Ego sum : et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cæli. 63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait : Quid adhuc desideramus testes ? 64. Audistis blasphemiam : quid vobis videtur ? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. 65. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei : Prophetiza : et ministri alapis eum cædebant.

66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis : 67. Et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait : Et tu cum Jesu Nazareno eras. 68. At ille negavit, dicens : Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. 69. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est. 78. At ille iterum negavit. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro : Vere ex illis es : nam et Galilæus es. 71. Ille autem cœpit anathematizare, et jurare : Quia nescio hominem istum, quem dicitis. 72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recorcordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus : Prius quam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere.

CAPUT XV.

Jesus coram Pilato accusatus, nihil respondet : præeligitur Barabbas, et Jesus traditur crucifigendus : qui multis modis illusus a militibus, ducitur ad crucifigendum : et divisis ipsius vestimentis, inter latrones crucifixus, audit variorum jactatas in se blasphemias : suboriuntur tenebræ : et clamans Jesus Eli, acetoque potatus, cum clamore valido expirat ; cujus corpus a Joseph sepelitur.

1. Et confestim, mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus, et Scribis, et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt, et tradiderunt Pilato : 2. Et interrogavit eum Pilatus : Tu es rex Judæorum ? At ille respondens, ait illi : Tu dicis. 3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens : Non respondes quidquam ? vide in quantis te accusant. 5. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. 6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. 7. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 8. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.

9. Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judæorum ? 10. Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. 12. Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judæorum ? 13. At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum : 14. Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum. 15. Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur.

16. Milites autem duxerunt eum in atrium prætorii, et convocant totam cohortem. 17. Et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam, 18. Et cœperunt salutare eum : Ave rex Judæorum. 19. Et percutiebant caput ejus arundine : et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis : et educunt illum ut crucifigerent eum. 21. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, et Rufi, ut tolleret crucem ejus. 22. Et perducunt illum in Golgotha locum : quod est interpretatum Calvariæ locus. 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum : et non accepit. 24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. 25. Erat autem hora tertia : et crucifixerunt eum. 26. Erat titulus causæ ejus inscriptus : Rex Judæorum. 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones : unum a dextris, et alium a sinistris ejus. : 28. Et impleta est scriptura, quæ dicit : Et

cum iniquis reputatus est. 29. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas : 30. Salvum fac temetipsum descendens de cruce. 31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. 32. Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei.

33. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram usque in horam nonam. 34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens : Eloi, Eloi, lamma sabacthani ? quod est interpretatum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? 35. Et quidam de circumstantibus audientes, dicebant : Ecce Eliam vocat. 36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. 37. Jesus autem emissa voce magna expiravit. 38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. 39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait : Vere hic homo Filius Dei erat.

40. Erant autem et mulieres de longe aspicientes : inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome : 41. Et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam. 42. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum) 43. Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. 44. Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. 45. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. 46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47. Maria Magdaleno, et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.

CAPUT XVI.

Mulieribus ad Christi monumentum obstupescentibus, angelus resurrectionem ipsius annuntiat : qui primum Mariæ Magdalene apparet, deinde duobus discipulis in alia effigie : demum undecim recumbentibus apparens, exprobrata incredulitate, mittit eos ut in universo mundo prædicent ac baptizent, subjunctis signis quæ sequantur credentes, ac ita in cælum ascendit.

1. Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata ut venientes ungerunt Jesum. 2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. 3. Et dicebant

ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti. 4. Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde.

5. Et introeuntes in monumentum viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. 6. Qui dicit illis : Nolite expavescere : Jesum quæritis Nazarenum, crucifixum : surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. 7. Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro quia præcedit vos in Galilæam : ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. 8. At illæ exeuntes, fugerunt de monumento : invaserat enim eas tremor et pavor : et nemini quidquam dixerunt : timebant enim. 9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, de qua ejecerat septem dæmonia. 10. Illa vadens nunciavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus, et flentibus. 11. Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt.

12. Post hæc autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam : 13. Et illi euntes nunciaverunt ceteris : nec illis crediderunt. 14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. 15. Et dixit eis : Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. 16. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit : qui vero non crediderit, condemnabitur. 17. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur : In nomine meo dæmonia ejicient : linguis loquentur novis. 18. Serpentes tollent : et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit : super ægros manus imponent, et bene habebunt. 19. Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. 20. Illi autem profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

SANCTUM

JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM LUCAM.

CAPUT I.

Zachariæ sacerdoti annunciat Gabriel Joannis conceptum ex Elisabeth sterili; qui angelo non credens, mutus efficitur: Idemque Gabriel Mariæ annunciat conceptum Jesu Filii Dei de Spiritu sancto: ad Mariæ salutationem Joannes exultat in utero, et Elisabeth prophetat, ipsaque Maria canticum gratiarum actionis Domino decantat: in nati Joannis circumcisione Zacharias pater, recepta loquela, canticum gratiarum actionis edit.

1. Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem, quæ in
nobis completæ sunt, rerum: 2. Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio
ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: 3. Visum est et mihi, asse-
cuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere, optime Theo-
phile. 4. Ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem.
5. Fuit in diebus Herodis, regis Judææ, sacerdos quidam nomine Zacha-
rias de vice Abia, et uxor illius de filiabus Aaron, et nomen ejus Elisa-
beth. 6. Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus
mandatis, et justificationibus Domini sine querela. 7. Et non erat illis
filius eo quod esset Elisabeth sterilis, et ambo processissent in diebus
suis. 8. Factum est autem, cum sacerdotio fungeretur, in ordine vicis
suæ ante Deum, 9. Secundum consuetudinem sacerdotii, sorte exiit ut
incensum poneret, ingressus in templum Domini: 10. Et omnis multitudo
populi erat orans foris hora incensi.

11. Apparuit autem illi Angelus Domini, stans a dextris altaris in-
censi. 12. Et Zacharias turbatus est videns, et timor irruit super eum. 13.
Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est
deprecatio tua: et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen
ejus Joannem: 14. Et erit gaudium tibi, et exultatio, et multi in nativi-

tate ejus gaudebunt : 15. Erit enim magnus coram Domino : et vinum,
et siceram non bibet, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris
suæ : 16. Et multos filiorum Israel convertet ad Dominum Deum ipso-
rum : 17. Et ipse præcedet ante illum in spiritu, et virtute Eliæ : ut con-
vertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, pa-
rare Domino plebem perfectam. 18. Et dixit Zacharias ad Angelum : Unde
hoc sciam ? ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis.
19. Et respondens Angelus dixit ei : Ego sum Gabriel, qui asto ante
Deum : et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizare.

20. Et ecce eris tacens, et non poteris loqui usque in diem, quo hæc
fiant, pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur in tem-
pore suo. 21. Et erat plebs expectans Zachariam : et mirabantur quod
tardaret ipse in templo. 22. Egressus autem non poterat loqui ad illos,
et cognoverunt quod visionem vidisset in templo. Et ipse erat innuens
illis, et permansit mutus. 23. Et factum est, ut impleti sunt dies officii
ejus, abiit in domum suam : 24. Post hos autem dies concepit Elisabeth
uxor ejus, et occultabat se mensibus quinque, dicens : 25. Quia sic fecit
mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter
homines.

26. In mense autem sexto, missus est Angelus Gabriel a Deo in civita-
tem Galilææ, cui nomen Nazareth, 27. Ad Virginem desponsatam viro,
cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. 28. Et
ingressus Angelus ad eam dixit : Ave gratia plena : Dominus tecum : Be-
nedicta tu in mulieribus. 29. Quæ cum audisset, turbata est in sermone
ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. 30. Et ait Angelus ei : Ne
timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum : 31. Ecce concipies in
utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. 32. Hic erit magnus,
et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David pa-
tris ejus : et regnabit in domo Jacob in æternum, 33. Et regni ejus non
erit finis.

34. Dixit autem Maria ad Angelum : Quomodo fiet istud, quoniam vi-
rum non cognosco ? 35. Et respondens Angelus dixit ei : Spiritus sanctus
superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et quod
nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. 36. Et ecce Elisabeth co-
gnata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua : et hic mensis sextus
est illi, quæ vocatur sterilis : 37. Quia non erit impossibile apud Deum
omne verbum. 38. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini, fiat mihi
secundum verbum tuum. Et discessit ab illa Angelus.

39. Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum festi-
natione, in civitatem Juda : 40. Et intravit in domum Zachariæ, et sa-
lutavit Elisabeth. 41. Et factum est, ut audivit salutationem Mariæ Elisa-
beth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu sancto Elisabeth :
42. Et exclamavit voce magna, et dixit : Benedicta tu inter mulieres,

et benedictus fructus ventris tui. 43. Et unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me ? 44. Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. 45. Et beata, quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

46. Et ait Maria : Magnificat anima mea Dominum : 47. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. 48. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. 49. Quia fecit mihi magna qui potens est : et sanctum nomen ejus. 50. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. 51. Fecit potentiam in brachio suo : dispersit superbos mente cordis sui. 52. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. 53. Esurientes implevit bonis : et divites dimisit inanes. 54. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. 55. Sicut locutus est ad patres nostros Abraham, et semini ejus in sæcula. 56. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus : et reversa est in domum suam.

57. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, et peperit filium. 58. Et audierunt vicini, et cognati ejus quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa,et congratulabantur ei. 59. Et factum est in die octavo, venerunt circumcidere puerum, et vocabant eum nomine patris sui Zachariam. 60. Et respondens mater ejus, dixit : Nequaquam, sed vocabitur Joannes. 61. Et dixerunt ad illam : Quia nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. 62. Innuebant autem patri ejus, quem vellet vocari eum.

63. Et postulans pugillarem scripsit, dicens : Joannes est nomen ejus. Et mirati sunt universi. 64. Apertum est autem illico os ejus, et lingua ejus, et loquebatur benedicens Deum. 65. Et factus est timor super omnes vicinos eorum : et super omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc : 66. Et posuerunt omnes, qui audierant in corde suo, dicentes : Quis, putas, puer iste erit ? Etenim manus Domini erat cum illo. 67. Et Zacharias pater ejus repletus est Spiritu sancto : et prophetavit, dicens : 68. Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ : 69. Et erexit cornu salutis nobis : in domo David pueri sui.

70. Sicut locutus est per os sanctorum, qui a sæculo sunt, prophetarum ejus : 71. Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium, qui oderunt nos : 72. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris : et memorari testamenti sui sancti. 73. Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis : 74. Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. 75. In sanctitate, et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris. 76. Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus :

77. Ad dandam scientiam salutis plebi ejus : in remissionem peccatorum eorum : 78. Per viscera misericordiæ Dei nostri : in quibus visitavit

nos, oriens ex alto : 79. Illuminare his, qui in tenebris, et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. 80. Puer autem crescebat, et confortabatur spiritu : et erat in desertis usque in diem ostensionis suæ ad Israel.

CAPUT II.

Ex Augusti decreto Joseph cum Maria ascendit in Bethlehem : ubi illa peperit Salvatorem : cujus nativitate ab angelo audita, pastores festini veniunt visuri : puer circumcisus vocatur Jesus : quem post dies purificationis in Jerusalem delatum ut Domino sisteretur, Simeon senex benedixit, ac de matris in passione doloribus prophetat : Annaque prophetissa vetula Domino confitetur : Jesus duodecim annorum plenus sapientia et gratia, perditus a parentibus, in medio doctorum invenitur : descenditque Nazareth factus illis subditus.

1. Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Cæsare Augusto ut describeretur universus orbis. 2. Hæc descriptio prima, facta est a præside Syriæ Cyrino : 3. Et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. 4. Ascendit autem et Joseph a Galilæa de civitate Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo, et familia David, 5. Ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. 6. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

7. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in præsepio : quia non erat eis locus in diversorio. 8. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum. 9. Et ecce angelus Domini stetit juxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. 10. Et dixit illis angelus : Nolite timere : ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo : 11. Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.

12. Et hoc vobis signum : Invenietis infantem pannis involutum, et positum in præsepio. 13. Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum, et dicentium : 14. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. 15. Et factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cælum : pastores loquebantur ad invicem : Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. 16. Et venerunt festinantes : et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in præsepio. 17. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. 18. Et omnes, qui audierunt, mirati sunt : et de his, quæ dicta erant a pastoribus ad ipsos. 19. Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. 20. Et reversi sunt pastores glorificantes, et laudantes Deum in omnibus, quæ audierant, et viderant sicut dictum est ad illos.

21. Et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer : vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo prius quam in utero conciperetur. 22. Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, 23. Sicut scriptum est in lege Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. 24. Et ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.

25. Et ecce homo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus, et timoratus, expectans consolationem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo. 26. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. 27. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo : 28. Et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit : 29. Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace : 30. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. 31. Quod parasti ante faciem omnium populorum.

32. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. 33. Et erat pater ejus et mater mirantes super his, quæ dicebantur de illo. 34. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem ejus : Ecce positus est hic in ruinam, et in resurrectionem multorum in Israel : et in signum, cui contradicetur : 35. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

36. Et erat Anna prophetissa, filia Phanuel, de tribu Aser : hæc processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua. 37. Et hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor : quæ non discedebat de templo, jejuniis, et obsecrationibus serviens nocte, ac die. 38. Et hæc, ipsa hora superveniens, confitebatur Domino : et loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. 39. Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth. 40. Puer autem crescebat, et confortabatur plenus sapientia : et gratia Dei erat in illo.

41. Et ibant parentes ejus per omnes annos in Jerusalem, in die sollemni Paschæ. 42. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi. 43. Consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem, et non cognoverunt parentes ejus. 44. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos, et notos. 45. Et non invenientes, regressi sunt in Jerusalem, requirentes eum.

46. Et factum est, post triduum invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia, et responsis ejus. 48.

Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum : Fili, quid fecisti nobis sic ? ecce pater tuus, et ego dolentes quærebamus te. 49. Et ait ad illos : Quid est quod me quærebatis ? nesciebatis quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse ? 50. Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. 51. Et descendit cum eis, et venit Nazareth : et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba hæc in corde suo. 52. Et Jesus proficiebat sapientia, et ætate, et gratia apud Deum, et homines.

CAPUT III.

Joannes mittitur a Domino impleturus sua prædicatione Isaiæ vaticinium : et turbis, publicanis, ac militibus dat consilium : dicit quid singulos facere oporteat : testaturque Christi excellentiam et baptismi ipsius : super quem ab ipso baptizatum descendit columba, ac vox Patris auditur : texiturque ejus genealogia a Joseph usque ad Adam ascendens.

1. Anno autem quintodecimo imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ, et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinæ tetrarcha, 2. Sub principibus sacerdotum Anna, et Caipha : factum est verbum Domini super Joannem, Zachariæ filium, in deserto. 3. Et venit in omnem regionem Jordanis, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, 4. Sicut scriptum est in Libro sermonum Isaiæ prophetæ : Vox clamantis in deserto : Parate viam Domini : rectas facite semitas ejus : 5. Omnis vallis implebitur : et omnis mons, et collis humiliabitur : et erunt prava in directa : et aspera in vias planas : 6. Et videbit omnis caro salutare Dei.

7. Dicebat ergo ad turbas quæ exibant ut baptizarentur ab ipso : Genimina viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira ? 8. Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ, et ne cœperitis dicere : Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 9. Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 10. Et interrogabant eum turbæ, dicentes : Quid ergo faciemus ? 11. Respondens autem dicebat illis : Qui habet duas tunicas, det non habenti : et qui habet escas, similiter faciat.

12. Venerunt autem et publicani ut baptizarentur, et dixerunt ad illum : Magister, quid faciemus ? 13. At ille dixit ad eos : Nihil amplius quam quod constitutum est vobis, faciatis. 14. Interrogabant autem eum et milites, dicentes : Quid faciemus et nos ? Et ait illis : Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis : et contenti estote stipendiis vestris. 15. Existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis

de Joanne, ne forte ipse esset Christus : 16. Respondit Joannes, dicens
omnibus : Ego quidem aqua baptizo vos : veniet autem fortior me, cujus
non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus : ipse vos bapti-
zabit in Spiritu sancto, et igni :

17. Cujus ventilabrum in manu ejus, et purgabit aream suam, et con-
gregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inex-
tinguibili. 18. Multa quidem, et alia exhortans evangelizabat populo. 19.
Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fra-
tris sui, et de omnibus malis, quæ fecit Herodes, 20. Adiecit et hoc super
omnia, et inclusit Joannem in carcere. 21. Factum est autem cum bapti-
zaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est cælum :
22. Et descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in ipsum :
et vox de cælo facta est : Tu es filius meus dilectus, in te complacui
mihi.

23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur,
filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, 24. Qui fuit Levi, qui fuit
Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joseph, 25. Qui fuit Mathathiæ, qui fuit
Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge. 26. Qui fuit Ma-
hath, qui fuit Mathathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joseph, qui fuit Juda,
27. Qui fuit Joanna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel,
qui fuit Neri, 28. Qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit
Elmadam, qui fuit Her, 26. Qui fuit Jesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jo-
rim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, 30. Qui fuit Simeon, qui fuit Juda,
qui fuit Joseph, qui fuit Jona, qui fuit Eleakim, 31. Qui fuit Melea, qui
fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, 32. Qui
fuit Jesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naasson,
33. Qui fuit Aminadad, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares,
qui fuit Judæ, 34. Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit
Thare, qui fuit Nachor, 35. Qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Pha-
leg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, 36. Qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad,
qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, 37. Qui fuit Mathusale, qui
fuit Henoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui Cainan, 38. Qui fuit
Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

CAPUT IV.

Jesus post jejunium quadraginta dierum, ac devictas Satanæ tentationes, in synagoga Nazareth legit factam de se Isaiæ prophetiam ; dicitque prophetam non esse acceptum in patria propria, quapropter volunt eum de monte præcipitare : ejicit in Capharnaum dæmonium, sanatque socrum Simonis, et plures alios, a variis languoribus, ac dæmonia ejicit.

1. Jesus autem plenus Spiritu sancto regressus est a Jordane : et age-
batur a Spiritu in desertum. 2. Diebus quadraginta, et tentabatur a dia-

bolo. Et nihil manducavit in diebus illis : et consummatis illis esuriit. 3.
Dixit autem illi diabolus : Si filius Dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. 4.
Et respondit ad illum Jesus : Scriptum est : Quia non in solo pane vivit
homo, sed in omni verbo Dei. 5. Et duxit illum diabolus in montem ex-
celsum, et ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, 6.
Et ait illi : Tibi dabo potestatem hanc universam, et gloriam illorum :
quia mihi tradita sunt : et cui volo do illa. 7. Tu ergo si adoraveris co-
ram me, erunt tua omnia. 8. Et respondens Jesus, dixit illi : Scriptum
est : Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. 9. Et duxit illum
in Jerusalem, et statuit eum super pinnam templi, et dixit illi : Si filius
Dei es, mitte te hinc deorsum. 10. Scriptum est enim quod Angelis suis
mandavit de te, ut conservent te : 11. Et quia in manibus tollent te, ne
forte offendas ad lapidem pedem tuum. 12. Et respondens Jesus, ait illi :
Dictum est : Non tentabis Dominum Deum tuum. 13. Et consummata
omni tentatione, diabolus recessit ab illo, usque ad tempus.

14. Et regressus est Jesus in virtute Spiritus in Galilæam, et fama exiit
per universam regionem de illo. 15. Et ipse docebat in synagogis eorum,
et magnificabatur ad omnibus. 16. Et venit Nazareth, ubi erat nutritus,
et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam, et
surrexit legere. 17. Et traditus est illi Liber Isaiæ prophetæ. Et ut revol-
vit librum, invenit locum ubi scriptum erat : 18. Spiritus Domini super
me : propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, sanare
contritos corde, 19. Prædicare captivis remissionem, et cæcis visum, di-
mittere confractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptum,
et diem retributionis. 20. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro,
et sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

21. Cœpit autem dicere ad illos : Quia hodie impleta est hæc scriptura
in auribus vestris. 22. Et omnes testimonium illi dabant : et mirabantur
in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius, et dicebant : Nonne hic
est filius Joseph ? 23. Et ait illis : Utique dicetis mihi hanc similitudi-
nem : Medice cura teipsum : quanta audivimus facta in Capharnaum, fac
et hic in patria tua. 24. Ait autem : Amen dico vobis, quia nemo pro-
pheta acceptus est in patria sua. 25. In veritate dico vobis, multæ viduæ
erant in diebus Eliæ in Israel, quando clausum est cælum annis tribus,
et mensibus sex : cum facta esset fames magna in omni terra :

26. Et ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ, ad
mulierem viduam. 27. Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo pro-
pheta : et nemo eorum mundatus est nisi Naaman Syrus. 28. Et repleti
sunt omnes in synagoga ira, hæc audientes. 29. Et surrexerunt, et ejece-
cerunt illum extra civitatem : et duxerunt illum usque ad supercilium
montis, super quem civitas illorum erat ædificata ut præcipitarent eum.
30. Ipse autem transiens per medium illorum ibat. 31. Et descendit in

Capharnaum civitatem Galilææ, ibique docebat illos sabbatis. 32. Et stupebant in doctrina ejus, quia in potestate erat sermo ipsius.

33. Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, et exclamavit voce magna, 34. Dicens : Sine, quid nobis, et tibi Jesu Nazarene ? venisti perdere nos ? scio te quis sis, Sanctus Dei. 35. Et increpavit illum Jesus, dicens : Obmutesce, et exi ab eo. Et cum projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit. 36. Et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes : Quod est hoc verbum, quia in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt. 37. Et divulgabatur fama de illo in omnem locum regionis. 38. Surgens autem Jesus de synagoga, introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus : et rogaverunt illum pro ea.

39. Et stans super illam imperavit febri : et dimisit illam. Et continuo surgens, ministrabat illis. 40. Cum autem sol occidisset : omnes, qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos. 41. Exibant autem dæmonia a multis clamantia, et dicentia : Quia tu es filius Dei : et increpans non sinebat ea loqui : quia sciebant ipsum esse Christum. 42. Facta autem die egressus ibat in desertum locum, et turbæ requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum : et detinebant illum ne discederet ab eis. 43. Quibus ille ait : Quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei : quia ideo missus sum. 44. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

CAPUT V.

Ubi de navicula Petri docuisset, ille laxato ipsius jussu reti conclusit copiosam piscium multitudinem : curatum leprosum mittit ad sacerdotes : paralytico, remissis primum peccatis, jubet ut lectum suum tollat : discumbens cum Levi, quem ex telonio vocaverat, causam dat murmurantibus pharisæis, quare cum peccatoribus conversetur, et cur ipsius discipuli non jejunent.

1. Factum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. 2. Et vidit duas naves stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, et lavabant retia. 3. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. Et sedens docebat de navicula turbas. 4. Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem : Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. 5. Et respondens Simon, dixit illi : Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus : in verbo autem tuo laxabo rete. 6. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum. 7. Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi ut venirent, et adjuvarent eos. Et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

8. Quod cum videret Simon Petrus, procidit ad genua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. 9. Stupor enim circumdederat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant: 10. Similiter autem Jacobum, et Joannem, filios Zebedæi, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Jesus: Noli timere: ex hoc jam homines eris capiens. 11. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

12. Et factum est, cum esset in una civitatum, et ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. 13. Et extendens manum, tetigit eum dicens: Volo: Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. 14. Et ipse præcepit illi ut nemini diceret: sed. Vade, ostende te sacerdoti, et offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moyses, in testimonium illis. 15. Perambulabat autem magis sermo de illo: et conveniebant turbæ multæ ut audirent, et curarentur ab infirmitatibus suis.

16. Ipse autem secedebat in desertum, et orabat. 17. Et factum est in una dierum, et ipse sedebat docens. Et erant Pharisæi sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello Galilææ, et Judææ, et Jerusalem: et virtus Domini erat ad sanandum eos. 18. Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus: et quærebant eum inferre, et ponere ante eum. 19. Et non invenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderunt supra tectum, et per tegulas summiserunt eum cum lecto in medium ante Jesum. 20. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo remittuntur tibi peccata tua.

21. Et cœperunt cogitare Scribæ, et Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus? 22. Ut cognovit autem Jesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad illos: Quid cogitatis in cordibus vestris? 23. Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge, et ambula? 24. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (ait paralytico) Tibi dico, surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. 25. Et confestim consurgens coram illis, tulit lectum, in quo jacebat: et abiit in domum suam magnificans Deum. 26. Et stupor apprehendit omnes, et magnificabant Deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia vidimus mirabilia hodie.

27. Et post hæc exiit, et vidit publicanum nomine Levi, sedentem ad Telonium, et ait illi: Sequere me. 28. Et relictis omnibus, surgens secutus est eum. 29. Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa publicanorum, et aliorum, qui cum illis erant discumbentes. 30. Et murmurabant Pharisæi, et Scribæ eorum dicentes ad discipulos ejus: Quare cum publicanis, et peccatoribus manducatis, et bibitis? 31. Et respondens Jesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico.

sed qui male habent. 32. Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.

33. At illi dixerunt ad eum : Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, et obsecrationes faciunt, similiter et Pharisæorum : tui autem edunt, et bibunt ? 34. Quibus ipse ait : Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare ? 35. Venient autem dies : cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus. 36. Dicebat autem et similitudinem ad illos : Quia nemo commissuram a novo vestimento immittit in vestimentum vetus : alioquin et novum rumpit, et veteri non convenit commissura a novo. 37. Et nemo mittit vinum novum in utres veteres : alioquin rumpet vinum novum utres, et ipsum effundetur, et utres peribunt. 38. Sed vinum novum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur. 39. Et nemo bibens vetus, statim vult novum, dicit enim : Vetus melius est.

CAPUT VI.

Discipulos spicas sabbato vellentes excusat, alioque sabbato manum curat aridam electos duodecim nominat apostolos, et cum illis ac multitudine copiosa stans in loco campestri docet beatitudines aliaque consilia ac præcepta evangelica : de festuca in oculo fratris, et arbore bona ac mala ex fructu dignoscenda : audiens Christi verba cui comparetur si ea opere compleat, et cui si non compleat.

1. Factum est autem in sabbato secundo, primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli ejus spicas, et manducabant confricantes manibus. 2. Quidam autem Pharisæorum, dicebant illis : Quid facitis quod non licet in sabbatis ? 3. Et respondens Jesus ad eos, dixit : Nec hoc legistis quod fecit David, cum esurisset ipse, et qui cum illo erant ? 4. Quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis sumpsit, et manducavit, et dedit his, qui cum ipso erant : quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus ? 5. Et dicebat illis : Quia Dominus est Filius hominis, etiam sabbati. 6. Factum est autem et in alio sabbato, ut intraret in synagogam, et doceret. Et erat ibi homo, et manus ejus dextra erat arida. 7. Observabant autem Scribæ, et Pharisæi si in sabbato curaret : ut invenirent unde accusarent eum. 8. Ipse vero sciebat cogitationes eorum : et ait homini, qui habebat manum aridam : Surge, et sta in medium. Et surgens stetit.

9. Ait autem ad illos Jesus : Interrogo vos si licet sabbatis benefacere, an male : animam salvam facere, an perdere ? 10. Et circumspectis omnibus dixit homini : Extende manum tuam. Et extendit : et restituta est manus ejus. 11. Ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent Jesu. 12. Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, et erat pernoctans in oratione Dei.

13. Et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos : et elegit duodecim ex ipsis (quos et Apostolos nominavit) 14. Simonem, quem cognominavit Petrum, et Andream fratrem ejus, Jacobum, et Joannem, Philippum, et Bartholomæum, 15. Matthæum, et Thomam, Jacobum Alphæi, et Simonem, qui vocatur zelotes, 16. Et Judam Jacobi, et Judam Iscariotem, qui fuit proditor. 17. Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerusalem, et maritima, et Tyri et Sidonis, 18. Qui venerant ut audirent eum, et sanarentur a languoribus suis. Et qui vexabantur a spiritibus immundis, curabantur. 19. Et omnis turba quærebat eum tangere : quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes.

20. Et ipse elevatis oculis in discipulos suos, dicebat : Beati pauperes : quia vestrum est regnum Dei. 21. Beati, qui nunc esuritis : quia saturabimini. Beati, qui nunc fletis : quia redibitis. 22. Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos, et exprobaverint, et ejecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. 23. Gaudete in illa die, et exultate : ecce enim merces vestra multa est in cælo : secundum hæc enim faciebant Prophetis patres eorum.

24. Verumtamen væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram. 25. Væ vobis, qui saturati estis : quia esurietis. Væ vobis, qui ridetis nunc : quia lugebitis et flebitis. 26. Væ cum benedixerint vobis homines : secundum hæc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. 27. Sed vobis dico, qui auditis : Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. 28. Benedicite maledicentibus vobis, et orate pro calumniantibus vos. 29. Et qui te percutit in maxillam, præbe et alteram. Et ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere. 30. Omni autem petenti te, tribue : et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

31. Et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. 32. Et si diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis est gratia ? nam et peccatores diligentes se diligunt. 33. Et si benefeceritis his, qui vobis benefaciunt ; quæ vobis est gratia ? siquidem et peccatores hoc faciunt. 34. Et si mutuum dederitis his, a quibus speratis recipere : quæ gratia est vobis ? nam et peccatores peccatoribus fœnerantur, ut recipiant æqualia. 35. Verumtamen diligite inimicos vestros : benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes : et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos. 36. Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est.

37. Nolite judicare, et non judicabimini : nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittemini. 38. Date, et dabitur vobis : mensuram bonam, et confertam, et coagitatam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis. 39. Dicebat autem illis et similitudinem : Numquid potest cæ-

cus cæcum ducere ? nonne ambo in foveam cadunt ? 40. Non est discipulus super magistrum : perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.

41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras? 42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo : Frater sine ejiciam festucam de oculo tuo : ipse in oculo tuo trabem non videns ? Hypocrita ejice primum trabem de oculo tuo : et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui. 43. Non est enim arbor bona, quæ facit fructus malos : neque arbor mala, faciens fructum bonum. 44. Unaquæque enim arbor de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus : neque de rubo vindemiant uvam. 45. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum : et malus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cordis os loquitur.

46. Quid autem vocatis me Domine, Domine : et non facitis quæ dico ? 47. Omnis, qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos : ostendam vobis cui similis sit : 48. Similis est homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum super petram, inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere : fundata enim erat super petram. 49. Qui autem audit, et non facit similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento : in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit : et facta est ruina domus illius magna.

CAPUT VII.

Admiratus centurionis fidem, absens sanat illius servum : juxta portam civitatis Naim filium unicum viduæ resuscitat : coram discipulis Joannis Baptistæ per eos interrogantis an esset qui venturus erat, multa edit signa : illisque abeuntibus, Joannem plurimum extollit : Judæis nec Joannis nec Christi vita placuit, quos pueris invicem in foro acclamantibus assimilat : a peccatrice muliere pedes inunctus, respondet Simoni ob hoc murmuranti, proposita ad hoc parabola duorum debitorum, et remissis mulieri peccatis.

1. Cum autem implesset omnia verba sua in aures plebis, intravit Capharnaum. 2. Centurionis autem cujusdam servus male habens, erat moriturus : qui illi erat pretiosus. 3. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judæorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus. 4. At illi cum venissent ad Jesum, rogabant eum sollicite, dicentes ei : Quia dignus est ut hoc illi præstes. 5. Diligit enim gentem nostram : et synagogam ipse ædificavit nobis. 6. Jesus autem ibat cum illis. Et cum jam non longe esset a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens : Domine noli vexari : Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres. 7. Propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te : sed dic verbo, et sanabitur puer meus. 8. Nam et ego homo sum sub

potestate constitutus, habens sub me milites : et dico huic, Vade, et vadit : et alii, Veni, et venit : et servo meo, Fac hoc, et facit. 9. Quo audito Jesus miratus est : et conversus sequentibus se tirbus, dixit : Amen dico vobis, nec in Israel tantam fidem inveni. 10. Et reversi, qui missi fuerant domum invenerunt servum, qui languerat, sanum.

11. Et factum est : deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim : et ibant cum eo discipuli ejus, et turba copiosa. 12. Cum autem appropinquaret portæ civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suæ : et hæc vidua erat : et turba civitatis multa cum illa : 13. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi : Noli flere. 14. Et accessit, et tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt.) Et ait : Adolescens, tibi dico, surge. 15. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. 16. Accepit autem omnes timor : et magnificabant Deum, dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis : et quia Deus visitavit plebem suam. 17. Et exiit hic sermo in universam Judæam de eo, et in omnem circa regionem. 18. Et nunciaverunt Joanni discipuli ejus de omnibus his.

19. Et convocavit duos de discipulis suis Joannes, et misit ad Jesum, dicens : Tu es qui venturus es, an alium expectamus ? 20. Cum autem venissent ad eum viri, dixerunt : Joannes Baptista misit nos ad te dicens : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus ? 21. (In ipsa autem hora multos curavit a languoribus, et plagis, et spiritibus malis, et cæcis multis donavit visum.) 22. Et respondens, dixit illi : Euntes renunciate Joanni quæ audistis, et vidistis : Quia cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur : 23. Et beatus est quicumque non fuerit scandalizatus in me :

24. Et cum discessissent nuncii Joannis, cœpit de Joanne dicere ad turbas : Quid existis in desertum videre ? arundinem vento agitatam ? 25. Sed quid existis videre ? hominem mollibus vestimentis indutum ? Ecce qui in veste pretiosa sunt et deliciis, in domibus regum sunt. 26. Sed quid existis videre prophetam ? Utique dico vobis, et plusquam Prophetam : 27. Hic est, de quo scriptum est : Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te. 28. Dico enim vobis : Major inter natos mulierum propheta Joanne Baptista nemo est, qui autem minor est in regno Dei, major est illo. 29. Et omnis populus audiens et publicani, justificaverunt Deum, baptizati baptismo Joannis. 30. Pharisæi autem, et legis periti consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo.

31. Ait autem Dominus : Cui ergo similes dicam homines generationis hujus ? et cui similes sunt? 32. Similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus : Cantavimus vobis tibiis, et non saltastis : lamentavimus, et non plorastis. 33. Venit enim Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, et dicitis : Dæmo-

nium habet. 34. Venit Filius hominis manducans, et bibens, et dicitis : Ecce homo devorator, et bibens vinum, amicus publicanorum, et peccatorum. 35. Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis. 36. Rogabat autem illum quidam de Pharisæis ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi discubuit.

37. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti : 38. Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat, 39. Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens : Hic si esset propheta, sciret utique, quæ, et qualis est mulier, quæ tangit eum : quia peccatrix est. 40. Et respondens Jesus, dixit ad illum : Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait : Magister, dic. 41. Duo debitores erant cuidam fœneratori : unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. 42. Non habentibus illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eum plus diligit ? 43. Respondens Simon dixit : Æstimo quia is, cui plus donavit. At ille dixit ei : Recte judicasti. 44. Et conversus ad mulierem, dixit Simoni : Vides hanc mulierem ? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti : hæc autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis suis tersit.

45. Osculum mihi non dedisti : hæc autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. 46. Oleo caput meum non unxisti : hæc autem unguento unxit pedes meos. 47. Propter quod dico tibi : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. 48. Dixit autem al illam : Remittuntur tibi peccata. 49. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se : Quis est hic, qui etiam peccata dimittit ? 50. Dixit autem ad mulierem : Fides tua te salvam fecit : vade in pace.

CAPUT VIII.

Parabolam de seminante proponit, ac discipulis interpretatur ; nihil occultum quod non manifestetur ; quos dicat suam esse matrem, suosque fratres : in mari a somno excitatus, ventum increpat ; dæmoniacum ferocissimum a dæmonum legione liberat, permittens dæmonibus ut in porcos introeant : tacta fimbria vestimenti ejus mulier a fluxu sanguinis curatur, et filia Jairi archisynagogi verbo ipsius resuscitatur.

1. Et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates, et castella prædicans, et evangelizans regnum Dei : et duodecim cum illo, 2. Et mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a spiritibus malignis, et infirmitatibus : Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua septem dæmonia exierant, 3. Et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ, quæ ministrabant ei de facultatibus suis. 4. Cum autem turba plurima

convenirent, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem :

5. Exiit qui seminat, seminare semen suum : et dum seminat, aliud cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres cæli comederunt illud.
6. Et aliud cecidit supra petram : et natum aruit, quia non habebat humorem. 7. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortæ spinæ suffocaverunt illud. 8. Et aliud cecidit in terram bonam : et ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens clamabat : Qui habet aures audiendi, audiat. 9. Interrogabant autem eum discipuli ejus, quæ esset hæc parabola. 10. Quibus ipse dixit : Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis : ut videntes non videant, et audientes non intelligant. 11. Est autem hæc parabola : Semen est verbum Dei. 12. Qui autem secus viam, hi sunt qui audiunt : deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. 13. Nam qui supra petram : qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum : et hi radices non habent : qui ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.
14. Quod autem in spinas cecidit : hi sunt, qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitæ euntes, suffocantur, et non referunt fructum. 15. Quod autem in bonam terram : hi sunt, qui in corde bono et optimo audientes verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. 16. Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subtus lectum ponit : sed supra candelabrum, ponit, ut intrantes videant lumen.

17. Non est enim occultum, quod non manifestetur : nec absconditum. quod non cognoscatur, et in palam veniat. 18. Videte ergo quomodo audiatis. Qui enim habet, dabitur illi : et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. 19. Venerunt autem ad illum mater, et fratres ejus, et non poterant adire eum præ turba. 20. Et nunciatum est illi : Mater tua, et fratres tui stant foris, volentes te videre.
21. Qui respondens, dixit ad eos : Mater mea, et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt, et faciunt. 22. Factum est autem in una dierum : et ipse ascendit in naviculam, et discipuli ejus, et ait ad illos : Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. 23. Et navigantibus illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum, et complebantur, et periclitabantur. 24. Accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes : Præceptor, perimus. At ille surgens, increpavit ventum, et tempestatem aquæ, et cessavit : et facta est tranquillitas. 25. Dixit autem illis : Ubi est fides vestra ? Qui timentes, mirati sunt ad invicem, dicentes : Quis putas hic est, quia et ventis, et mari imperat, et obediunt ei ?

26. Et navigaverunt ad regionem Gerasenorum, quæ est contra Galilæam. 27. Et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis, et vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. 28. Is, ut vidit Jesum, procidit ante illum : et exclamans voce magna, dixit : Quid mihi, et tibi

est Jesu Fili Dei Altissimi? obsecro te, ne me torqueas. 29. Præcipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, et vinciebatur catenis, et compedibus custoditus, et ruptis vinculis agebatur a dæmonio in deserta. 30. Interrogavit autem illum Jesus, dicens : Quod tibi nomen est? At ille dixit : Legio : quia intraverant dæmonia multa in eum. 31. Et rogabant illum ne imperaret illis ut in abyssum irent. 32. Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte : et rogabant eum, ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis.

33. Exierunt ergo dæmonia ab homine, et intraverunt in porcos : et impetu abiit grex per præceps in stagnum, et suffocatus est. 34. Quod ut viderunt factum qui pascebant, fugerunt, et nunciaverunt in civitatem, et in villas. 35. Exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad Jesum : et invenerunt hominem sedentem, a quo dæmonia exierant, vestitum, ac sana mente ad pedes ejus, et timuerunt. 36. Nunciaverunt autem illis et qui viderant, quomodo sanus factus esset a legione : 37. Et rogaverunt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum ut discederet ab ipsis : quia magno timore tenebantur. Ipse autem ascendens navim, reversus est. 38. Et rogabat illum vir, a quo dæmonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Jesus, dicens : 39. Redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit Deus. Et abiit per universam civitatem, prædicans quanta illi fecisset Jesus. 40. Factum est autem cum rediisset Jesus, excepit illum turba, erant enim omnes expectantes eum.

41. Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, et ipse princeps synagogæ erat : et cecidit ad pedes Jesu, rogans eum ut intraret in domum ejus, 42. Quia unica filia erat ei fere annorum duodecim, et hæc moriebatur. Et contigit, dum iret, a turbis comprimebatur. 43. Et mulier quædam erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari : 44. Accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti ejus : et confestim stetit fluxus sanguinis ejus. 45. Et ait Jesus : Quis est, qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, et qui cum illo erant : Præceptor, turbæ te comprimunt, et affligunt, et dicis : Quis me tetigit? 46. Et dixit Jesus : Tetigit me aliquis, nam ego novi virtutem de me exiisse.

47. Videns autem mulier, quia non latuit, tremens venit, et procidit ante pedes ejus : et ob quam causam tetigerit eum, indicavit coram omni populo : et quemadmodum confestim sanata sit. 48. At ipse dixit ei : Filia, fides tua salvam te fecit : vade in pace. 49. Adhuc illo loquente, venit quidam ad principem synagogæ, dicens ei : Quia mortua est filia tua, noli vexare illum. 50. Jesus autem, audito hoc verbo, respondit patri puellæ : Noli timere, crede tantum, et salva erit. 51. Et cum venisset domum, non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, et Jacobum, et Joannem, et patrem, et matrem puellæ. 52. Flebant autem

omnes, et plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. 53. Et deridebant eum, scientes quod mortua esset. 54. Ipse autem tenens manum ejus clamavit, dicens: Puella, surge. 55. Et reversus est spiritus ejus, et surrexit continuo. Et jussit illi dari manducare. 56. Et stupuerunt parentes ejus, quibus præcepit ne alicui dicerent quod factum erat.

CAPUT IX.

Discipulos ad prædicandum mittens, servanda tradit eis præcepta: Herodes audita Christi fama cupit eum videre: ex quinque panibus et duobus piscibus satiat Jesus quinque virorum millia: Petrus illum confitetur Christum Dei: suam prædicit passionem, et de propria cruce tollenda: transfigurato junguntur Moyses et Elias in majestate: ad preces patris dæmonium a filio ejicit: contentio oritur inter apostolos de primatu; filii Zebedæi volunt igne cælesti consumi Samaritanos nolentes Jesum suscipere: volentem sequi non suscipit: alterum autem vocat, nec permittit ut primum sepeliat patrem.

1. Convocatis autem duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. 2. Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos. 3. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. 4. Et in quamcumque domum intraveritis. ibi manete, et inde ne exeatis. 5. Et quicumque non receperint vos: exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium supra illos. 6. Egressi autem circuibant per castella evangelizantes, et curantes ubique.

7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quæ fiebant ab eo, et hæsitabat eo quod diceretur. 8. A quibusdam: Quia Joannes surrexit a mortuis: a quibusdam vero: Quia Elias apparuit: ab aliis autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit. 9. Et ait Herodes: Joannem ego decollavi: Quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quærebat videre eum. 10. Et reversi Apostoli, narraverunt illi quæcumque fecerunt: et assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. 11. Quod cum cognovissent turbæ, secutæ sunt illum: et excepit eos, et loquebatur illis de regno Dei, et eos, qui cura indigebant, sanabat. 12. Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella, villasque quæ circa sunt, divertant, et inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

13. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes, et duo pisces: nisi forte nos eamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. 14. Erant autem fere viri

quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite illos discumbere per convivia quinquagenos. 15. Et ita fecerunt. Et discumbere fecerunt omnes. 16. Acceptis autem quinque panibus, et duobus piscibus, respexit in cælum, et benedixit illis : et fregit, et distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. 17. Et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim. 18. Et factum est cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli : et interrogavit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbæ? 19. At illi responderunt, et dixerunt : Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero quia unus Propheta de prioribus surrexit. 20. Dixit autem illis : Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit : Christum Dei. 21. At ille increpans illos, præcepit ne cui dicerent hoc.

22. Dicens : Quia oportet filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum, et Scribis, et occidi, et tertia die resurgere. 23. Dicebat autem ad omnes : Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me. 24. Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam : nam qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. 25. Quid enim proficit homo, si lucretur universum mundum, se autem ipsum perdat, et detrimentum sui faciat?

26. Nam qui me erubuerit, et meos sermones : hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua, et Patris, et sanctorum angelorum. 27. Dico autem vobis vere : sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. 28. Factum est autem post hæc verba fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Jacobum, et Joannem, et ascendit in montem ut oraret. 29. Et facta est, dum oraret, species vultus ejus altera : et vestitus ejus albus et refulgens. 30. Et ecce duo viri loquebantur cum illo. Erant autem Moyses, et Elias, 31. Visi in majestate : et dicebant excessum ejus, quem completurus erat in Jerusalem. 32. Petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. Et evigilantes viderunt majestatem ejus, et duos viros, qui stabant cum illo. 33. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Jesum : Præceptor, bonum est nos hic esse : et faciamus tria tabernacula, unum Tibi, et unum Moysi, et unum Eliæ : nesciens quid diceret.

34. Hæc autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos : et timuerunt, intrantibus illis in nubem. 35. Et vox facta est de nube, dicens : Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. 36. Ut dum fieret vox, inventus est Jesus solus. Et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quidquam ex his, quæ viderant. 37. Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. 38. Et ecce vir de turba exclamavit, dicens : Magister, obsecro te, respice in filium meum quia unicus est mihi : 39. Et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dila-

nians eum : 40. Et rogavi discipulos tuos ut ejicerent illum, et non potuerunt.

41. Respondens autem Jesus, dixit : O generatio infidelis, et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos ! Adduc huc filium tuum. 42. Et cum accederet, elisit illum dæmonium, et dissipavit. 43. Et increpavit Jesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri ejus. 44. Stupebant autem omnes in magnitudine Dei : omnibusque mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipulos suos : Ponite vos in cordibus vestris sermones istos : Filium enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. 45. At illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud : et timebant eum interrogare de hoc verbo.

46. Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. 47. At Jesus videns cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, et statuit illum secus se. 48. Et ait illis : quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit : et quicumque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. 49. Respondens autem Joannes dixit : Præceptor, vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem dæmonia, et prohibuimus eum : quia non sequitur nobiscum. 50. Et ait ad illum Jesus : Nolite prohibere : qui enim non est adversum vos, pro vobis est. 51. Factum est autem dum complerentur dies assumptionis ejus, et ipse faciem suam firmavit ut iret in Jerusalem. 52. Et misit nuncios ante conspectum suum : et euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum ut pararent illi.

53. Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jerusalem. 54. Cum vidissent autem discipuli ejus Jacobus, et Joannes, dixerunt : Domine, vis dicimus ut ignis descendat de cælo, et consumat illos ? 55. Et conversus increpavit illos, dicens : Nescitis cujus spiritus estis. 56. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. Et abierunt in aliud castellum. 57. Factum est autem : ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum : Sequar te quocumque ieris. 58. Dixit illi Jesus : Vulpes foveas habent, et volucres cæli nidos : Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. 59. Ait autem ad alterum : Sequere me ; ille autem dixit : Domine permitte mihi primum ire, et sepelire patrem meum. 60. Dixitque ei Jesus : Sine ut mortui sepeliant mortuos suos : tu autem vade, et annuncia regnum Dei. 61. Et ait alter : Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renunciare his, quæ domi sunt. 62. Ait ad illum Jesus : Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

CAPUT X.

Septuaginta duos præmittens ad singulas civitates, tradit præcepta quæ in prædicando observent : et gaudentibus de subjectis sibi dæmonibus, dicit non esse ob hoc potissimum gaudendum : comminatur civitatibus obstinatis, in quibus factæ erant plurimæ virtutes, et exultans in spiritu confitetur Patri ; tentanti legis perito, post recitatum præceptum de dilectione Dei et proximi, ostendit quis sit proximus, per parabolam hominis a Jerusalem descendentis : Marthæ ministranti, et de sorore Maria conquerenti dicit Mariam elegisse optimam partem.

1. Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos, et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. 2. Et dicebat illis : Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam. 3. Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. 4. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. 5. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite : pax huic domui : 6. Et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra : sin autem, ad vos revertetur. 7. In eadem autem domo manete edentes, et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. 8. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis : 9. Et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei. 10. In quamcumque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus, dicite : 11. Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei.

12. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi civitati. 13. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida : quia si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere sedentes pœniterent. 14. Verumtamen Tyro, et Sidoni remissius erit in judicio, quam vobis. 15. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris. 16. Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

17. Reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio, dicentes : Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo. 18. Et ait illis : Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. 19. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, et scorpiones, et super omnem virtutem inimici : et nihil vobis nocebit. 20. Verumtamen hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur : gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis. 21. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit : Confiteor tibi Pater, Domine cœli et terræ, quod abscondisti hæc

a sapientibus, et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Etiam Pater : quoniam sic placuit ante te. 22. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo scit quis sit Filius, nisi Pater : et quis sit Pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. 23. Et conversus ad discipulos suos, dixit : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis.

24. Dico enim vobis, quod multi prophetæ, et reges voluerunt videre quæ vos videtis, et non viderunt : et audire quæ auditis, et non audierunt. 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, et dicens : Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo ? 26. At ille dixit ad eum : In lege quid scriptum est ? quomodo legis ? 27. Ille respondens dixit : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua : et proximum tuum sicut teipsum. 28. Dixitque illi : Recte respondisti : hoc fac, et vives. 29. Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum : Et quis est meus proximus ?

30. Suscipiens autem Jesus, dixit : Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum : et plagis impositis abierunt semivivo relicto. 31. Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : et viso illo præterivit. 32. Similiter et Levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit. 33. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum : et videns eum, misericordia motus est. 34. Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, et vinum : et imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, et curam ejus egit. 35. Et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait : Curam illius habe : et quodcumque supererogaveris ego cum rediero reddam tibi.

35. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones ? 37. At ille dixit : Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Jesus : Vade, et tu fac similiter. 38. Factum est autem, dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum : et mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam, 39. Et huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. 40. Martha autem satagebat circa frequens ministerium : quæ stetit, et ait : Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare ? dic ergo illi, ut me adjuvet. 41. Et respondens dixit illi Dominus : Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. 42. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

CAPUT XI.

Docet discipulos orare, ostendens perseveranti oratione omnia impetrari : ejecto dæmonio muto, confutat dicentes quod in Beelzebub ejiceret dæmonia : mulier quædam dicit beata ubera quæ Jesus suxerat : de signo Jonæ, et regina Austri, et Ninivitis, oculoque simplici et nequam : pharisæum qui ipsum invitaverat reprehendit, murmurantem quod illotis pranderet manibus : taxat hypocrisim pharisæorum et scribarum, dicens quod ab hac generatione exquiretur sanguis omnium prophetarum.

1. Et factum est : cum esset in quodam loco orans, ut cessavit, dixit unus ex discipulis ejus ad eum : Domine, doce nos orare, sicut docuit et Joannes discipulos suos. 2. Et ait illis : Cum oratis, dicite : Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. 3. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 4. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem. 5. Et ait ad illos : Quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi : Amice, commoda mihi tres panes, 6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo quod ponam ante illum : 7. Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubili : non possum surgere, et dare tibi. 8. Et si ille perseveraverit pulsans : dico vobis, etsi non dabit illi surgens eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessarios.

9. Et ego dico vobis : Petite, et dabitur vobis : quærite, et invenietis : pulsate, et aperietur vobis. 10. Omnis enim, qui petit, accipit : et qui quærit, invenit : et pulsanti aperietur. 11. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi ? Aut piscem : numquid pro pisce serpentem dabit illi ? 12. Aut si petierit ovum : numquid porriget illi scorpionem ? 13. Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris : quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se ?

14. Et erat ejiciens dæmonium, et illud erat mutum. Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ : 15. Quidam autem ex eis dixerunt : In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia. 16. Et alii tentantes, signum de cœlo quærebant ab eo. 17. Ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis : Omne regnum in seipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet. 18. Si autem et Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus ? quia dicitis in Beelzebub me ejicere dæmonia. 19. Si autem ego in Beelzebub ejicio dæmonia : filii vestri in quo ejiciunt ? Ideo ipsi judices vestri erunt. 20. Porro si in digito Dei ejicio dæmonia : profecto pervenit in vos regnum Dei. 21. Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possi-bunt. 22. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma

ejus auferet, in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet. 23. Qui non
est mecum, contra me est : et qui non colligit mecum dispergit.
24. Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca ina-
quosa, quærens requiem : et non inveniens dicit : Revertar in domum
meam unde exivi. 25. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam, et
ornatam. 26. Tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum, ne-
quiores se, et ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius
pejora prioribus. 27. Factum est autem, cum hæc diceret : extollens vo-
cem quædam mulier de turba dixit illi : Beatus venter, qui te portavit,
et ubera quæ suxisti. 28. At ille dixit : Quinimmo beati, qui audiunt ver-
bum Dei, et custodiunt illud. 29. Turbis autem concurrentibus cœpit
dicere : Generatio hæc, generatio nequam est : signum quærit, et signum
non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ.
30. Nam sicut fuit Jonas signum Ninivitis : ita erit et Filius hominis
generationi isti. 31. Regina Austri surget in judicio cum viris genera-
tionis hujus, et condemnabit illos : quia venit a finibus terræ audire
sapientiam Salomonis : et ecce plus quam Salomon hic. 32. Viri Nini-
vitæ surgent in judicio cum generatione hac, et condemnabunt illam :
quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, et ecce plus quam
Jonas hic. 33. Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque
sub modio : sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen videant.
34. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex,
totum corpus tuum lucidum erit : si autem nequam fuerit, etiam corpus
tuum tenebrosum. erit. 35. Vide ergo ne lumen, quod in te est, tene-
bræ sint.
36. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam
partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illu-
minabit te. 37. Et cum loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus ut
pranderet apud se. Et ingressus recubuit. 38. Pharisæus autem cœpit in-
tra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. 39. Et
ait Dominus ad illum : Nunc vos Pharisæi quod deforis est calicis, et
catini, mundatis : quod autem intus est vestrum, plenum est rapina, et
iniquitate. 40. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id, quod
deintus est, fecit ? 41. Verumtamen quod superest, date eleemosynam :
et ecce omnia munda sunt vobis. 42. Sed Væ vobis Pharisæis, quia deci-
matis mentham, et rutam, et omne olus, et præteritis judicium, et cha-
ritatem Dei : hæc autem oportuit facere, et illa non omittere.
43. Væ vobis Pharisæis, quia diligitis primas cathedras in synagogis,
et salutationes in foro. 44. Væ vobis, quia estis ut monumenta, quæ non
apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt. 45. Respondens autem
quidam ex Legisperitis, ait illi : Magister, hæc dicens etiam contume-
liam nobis facis. 46. At ille ait : Et vobis Legisperitis væ : quia oneratis
homines oneribus, quæ portare non possunt, et ipse uno digito vestro

non tangitis sarcinas. 47. Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum : patres autem vestri occiderunt illos. 48. Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum : quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. 49. Propterea et sapientia Dei dixit : Mittam ad illos Prophetas, et Apostolos, et ex illis occident, et persequentur. 50. Ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista.

51. A sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare, et ædem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione. 52. Væ vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis. 53. Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Pharisæi, et Legisperiti graviter insistere, et os ejus opprimere de multis, 54. Insidiantes ei, et quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accusarent eum.

CAPUT XII.

Cavendum docet a fermento pharisæorum, et quod omne occultum detegetur : quis etiam timendus sit · de blasphemia in Spiritum sanctum : roborat apostolos adversus persecutiones : non vult se immiscere in dividenda fratrum hereditate : per parabolam divitis revocat ab avaritia, vetans sollicitum esse de victu et vestitu ; hortaturque ut lumbi præcingantur : et quis sit fidelis aut infidelis dispensator : venit ut mittat ignem in terram et separationem : reprehendit quod tempus gratiæ non dijudicent : monet ut quisque conetur ab adversariis se liberare.

1. Multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos : Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. 2. Nihil autem opertum est, quod non reveletur : neque absconditum, quod non sciatur. 3. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur : et quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis. 4. Dico autem vobis amicis meis : Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, et post hæc non habent amplius quid faciant. 5. Ostendam autem vobis quem timeatis : timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere, in gehennam. ita dico vobis, hunc timete.

6. Nonne quinque passeres veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram Deo ? 7. Sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere : multis passeribus pluris estis vos : 8. Dico autem vobis : Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei : 9. Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei. 10. Et omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi : ei autem, qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur. 11. Cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus, et potestates, nolite solli-

citi esse qualiter, aut quid respondeatis, aut quid dicatis. 12. Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

13. Ait autem ei quidam de turba : Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. 14. At ille dixit illi : Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos ? 15. Dixitque ad illos : Videte, et cavete ab omni avaritia : quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his quæ possidet. 16. Dixit autem similitudinem ad illos, dicens : Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit : 17. Et cogitabat intra se dicens : Quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos ? 18. Et dixit : Hoc faciam : Destruam horrea mea, et majora faciam : et illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, et bona mea, 19. Et dicam animæ meæ : Anima, habes multa, bona posita in annos plurimos : requiesce comede, bibe, epulare. 20. Dixit autem illi Deus : Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te : quæ autem parasti, cujus erunt ? 21. Sic est qui sibi thesaurizat, et non est in Deum dives.

22. Dixitque ad discipulos suos : Ideo dico vobis : Nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis : neque corpori quid induamini. 23. Anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum. 24. Considerate corvos quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum, et Deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis ? 25. Quis autem vestrum cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum ? 26. Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris soliciti estis ? 27. Considerate lilia quomodo crescunt : non laborant, neque nent : dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis. 28. Si autem fœnum, quod hodie est in agro, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit : quanto magis vos pusillæ fidei ? 29. Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis : et nolite in sublime tolli : 30. Hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit quoniam his indigetis. 31. Verumtamen quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus : et hæc omnia adjicientur vobis.

32. Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. 33. Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cælis : quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit. 34. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit. 35. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, 36. Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando revertatur a nuptiis : ut, cum venerit, et pulsaverit, confestim aperiant ei. 37. Beati servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes : amen dico vobis, quod præcinget se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. 38. Et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi.

39. Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 40. Et vos estote parati : quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. 41. Ait autem ei Petrus : Domine, ad nos dicis hanc parabolam : an et ad omnes ? 42. Dixit autem Dominus : Quis, putas, est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus supra familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram ? 43. Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem. 44. Vere dico vobis, quoniam supra omnia, quæ possidet, constituet illum. 45. Quod si dixerit servus ille in corde suo : Moram facit dominus meus venire : et cœperit percutere servos, et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari :

46. Veniet dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora, qua nescit, et dividet eum, partemque ejus cum infidelibus ponet. 47. Ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis : 48. Qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo : et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. 49. Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur ? 50. Baptismo autem habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur ? 51. Putatis quia pacem veni dare in terram ? Non, dico vobis, sed separationem : 52. Erunt enim ex hoc quinque in domo una divisi, tres in duos, et duo in tres. 53. Dividentur : pater in filium, et filius in patrem suum, mater in filiam, et filia in matrem, socrus in nurum suam, et nurus in socrum suam.

54. Dicebat autem et ad turbas : Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis : Nimbus venit : et ita fit. 55. Et cum austrum flantem, dicitis : Quia æstus erit : et fit. 56. Hypocritæ faciem cæli et terræ nostis probare : hoc autem tempus quomodo non probatis ? 57. Quid autem et a vobis ipsis non judicatis quod justum est ? 58. Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad judicem, et judex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem. 59. Dico tibi, non exies inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

CAPUT XIII.

Occasione Galilæorum in suis sacrificiis interemptorum, et eorum qui in Siloe corruerant, hortatur ad pœnitentiam, alioqui exterminandos instar ficus infructuosæ : archisynagogum redarguit, indignantem quod sabbato curasset mulierem a spiritu infirmitatis : comparat regnum cœlorum grano sinapis et fermento : de angusta porta, et quod quidam clauso ostio frustra pulsabunt : Herodem dicit vulpem, et Jerusalem ob crudelitatem suam deserendam.

1. Aderant autem quidam ipso in tempore, nunciantes illi de Galilæis,

quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. 2. Et respondens dixit illis : Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt ? 3. Non, dico vobis : sed nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. 4. Sicut illi decem et octo, supra quos cecidit turris in Siloe, et occidit eos : putatis quia et ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Jerusalem ? 5. Non, dico vobis : sed si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis.

6. Dicebat autem et hanc similitudinem : Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invenit. 7. Dixit autem ad cultorem vineæ : Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, et non invenio : succide ergo illam : ut quid etiam terram occupat ? 8. At ille respondens, dicit illi : Domine dimitte illam et hoc anno, usque dum fodiam circa illam, et mittam stercora : 9. Et siquidem fecerit fructum : sin autem, in futurum succides eam. 10. Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. 11. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo : et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. 12. Quam cum videret Jesus, vocavit eam ad se, et ait illi : Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. 13. Et imposuit illi manus, et confestim erecta est, et glorificabat Deum.

14. Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Jesus : dicebat turbæ : Sex dies sunt, in quibus oportet operari : in his ergo venite, et curamini, et non in die sabbati. 15. Respondens autem ad illum Dominus dixit : Hypocritæ, unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum, aut asinum a præsepio, et ducit adaquare ? 16. Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit satanas, ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati ? 17. Et cum hæc diceret, erubescebant omnes adversarii ejus : et omnis populus gaudebat in universis, quæ gloriose fiebant ab eo. 18. Dicebat ergo : Cui simile est regnum Dei, et cui simile æstimabo illud ? 19. Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, et crevit, et factum est in arborem magnam : et volucres cæli requieverunt in ramis ejus. 20. Et iterum dixit : Cui simile æstimabo regnum Dei ?

21. Simile est fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. 22. Et ibat per civitates, et castella docens, et iter faciens in Jerusalem. 23. Ait autem illi quidam : Domine, si pauci sunt, qui salvantur ? Ipse autem dixit ad illos : 24. Contendite intrare per angustam portam : quia multi, dico vobis, quærent intrare, et non poterunt. 25. Cum autem intraverit paterfamilias, et clauserit ostium; incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis: et respondens dicet vobis : Nescio vos unde sitis. 26. Tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti. 27. Et dicet vobis : Nescio vos unde sitis : discedite a me omnes

operarii iniquitatis. 28. Ibi erit fletus, et stridor dentium : cum videritis Abraham, et Isaac, et Jacob, et omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. 29. Et venient ab Oriente, et Occidente, et Aquilone, et Austro, et accumbent in regno Dei.

30. Et ecce sunt novissimi qui erunt primi, et sunt primi qui erunt novissimi. 31. In ipsa die accesserunt quidam Pharisæorum, dicentes illi : Exi, et vade hinc : quia Herodes vult te occidere. 32. Et ait illis : Ite, et dicite vulpi illi : Ecce ejicio dæmonia, et sanitates perficio hodie, et cras, et tertia die consummor. 33. Verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare : quia non capit prophetam perire extra Jerusalem. 34. Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti ? 35. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat cum dicetis : Benedictus, qui venit in nomine Domini.

CAPUT XIV.

In domo principis pharisæorum hydropicum sabbato curat, ostendens legisperitis ac pharisæis hoc licere, et horum notans ambitionem, docet invitatum in novissimo loco recumbere : parabola de invitatis ad cœnam qui se excusarunt : sequens Christum debet omnibus renuntiare, sublata cruce sua, usque ad odium animæ propriæ : volens turrim ædificare computat primum sumptus : commendatio salis.

1. Et factum est cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. 2. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. 3. Et respondens Jesus dixit ad Legisperitos, et Pharisæos, dicens : Si licet sabbato curare ? 4. At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit. 5. Et respondens ad illos dixit : Cujus vestrum asinus, aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati ? 6. Et non poterant ad hæc respondere illi. 7. Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos : 8. Cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo.

9. Et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi : Da huic locum : et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. 10. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco : ut, cum venerit qui te invitavit, dicat tibi : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus : 11. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur. 12. Dicebat autem et ei, qui se invitaverat : Cum facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites : ne forte te et ipsi reinvitent,

et fiat tibi retributio. 13. Sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, et cæcos :

14. Et beatus eris, quia non habent retribuere tibi : retribuetur enim tibi in resurrectione justorum. 15. Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi : Beatus, qui manducabit panem in regno Dei. 16. At ipse dixit ei : Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocavit multos. 17. Et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia jam parata sunt omnia. 18. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei : Villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam : rogo te habe me excusatum. 19. Et alter dixit : Juga boum emi quinque, et eo probare illa : rogo te habe me excusatum. 20. Et alius dixit : Uxorem duxi, et ideo non possum venire.

21. Et reversus servus nunciavit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo : Exi cito in plateas, et vicos civitatis : et pauperes, ac debiles et cæcos, et claudos introduc huc. 22. Et ait servus : Domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. 23. Et ait dominus servo : Exi in vias, et sepes : et compelle intrare, ut impleatur domus mea. 24. Dico autem vobis quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam. 25. Ibant autem turbæ multæ cum eo : et conversus dixit ad illos : 26. Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.

27. Et qui non bajulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discipulus. 28. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum. 29. Ne, posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, 30. Dicentes : Quia hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare ? 31. Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se ? 32. Alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt. 33. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. 34. Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur ? 35. Neque in terram, neque in sterquilinium utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

CAPUT XV.

Scribis et pharisæis murmurantibus quod peccatores reciperet, parabolas proponit de ove et drachma perditis ac inventis, et de filio prodigo ad patrem reverso, benigneque ab ipso suscepto, seniore filio indigne hoc ferente : et quantum sit in cœlo gaudium super peccatore pœnitentiam agente.

1. Erant autem appropinquantes ei publicani, et peccatores ut audirent
illum. 2. Et murmurabant Pharisæi, et Scribæ, dicentes : Quia hic pec-
catores recipit, et manducat cum illis. 3. Et ait ad illos parabolam istam,
dicens : 4. Quis ex vobis homo, qui habet centum oves : et si perdiderit
unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, et vadit ad
illam, quæ perierat, donec inveniat eam ? 5. Et cum invenerit eam, im-
ponit in humeros suos gaudens :
6. Et veniens domum convocat amicos, et vicinos, dicens illis : Con-
gratulamini mihi quia inveni ovem meam, quæ perierat ? 7. Dico vobis
quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore pœnitentiam agente,
quam super nonaginta novem justis, qui non indigent pœnitentia. 8. Aut
quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam,
nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec
inveniat ? 9. Et cum invenerit, convocat amicas, et vicinas, dicens : Con-
gratulamini mihi quia inveni drachmam, quam perdideram ? 10. Ita
dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei super uno peccatore pœni-
tentiam agente. 11. Ait autem : Homo quidam habuit duos filios :
12. Et dixit adolescentior ex illis patri : Pater, da mihi portionem
substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis substantiam. 13. Et non
post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre pro-
fectus est in regionem longinquam, et ibi dissipavit substantiam suam
vivendo luxuriose. 14. Et postquam omnia consummasset, facta est fames
valida in regione illa, et ipse cœpit egere. 15. Et abiit, et adhæsit uni
civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos.
16. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manduca-
bant : et nemo illi dabat.
17. In se autem reversus, dixit : Quanti mercenarii in domo patris mei
abundant panibus, ego autem hic fame pereo ! 18. Surgam, et ibo ad
patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cælum, et coram te : 19.
Jam non sum dignus vocari filius tuus : fac me sicut unum de mercena-
riis tuis. 20. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe
esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens ce-
cidit super collum ejus, et osculatus est eum. 21. Dixitque ei filius : Pa-
ter, peccavi in cælum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius
tuus. 22. Dixit autem pater ad servos suos : Cito proferte stolam pri-

mam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus : Et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus, et epulemur : 24. Quia hic filius meus mortuus erat. et revixit : perierat, et inventus est. Et cœperunt epulari. 25. Erat autem filius ejus senior in agro : et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam, et chorum :

26. Et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hæc essent. 27. Isque dixit illi : Frater tuus venit, et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit. 28. Indignatus est autem, et nolebat introire. Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. 29. At ille respondens, dixit patri suo : Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum præterivi, et numquam dedisti mihi hœdum ut cum amicis meis epularer : 30. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum. 31. At ipse dixit illi : Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt : 32. Epulari autem, et gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, et revixit : perierat, et inventus est.

CAPUT XVI.

Per parabolam de villico iniquitatis hortatur ad faciendas eleemosynas, docens quid mereatur fidelis aut infidelis mammonæ dispensator. quodque nemo servire potest Deo et mammonæ : legem ac prophetas usque ad Joannem fuisse dicit, et nihil de lege periturum : nec dimittendam ullo modo uxorem ut alia ducatur : de divite epulone, et de Lazaro mendico.

1. Dicebat autem et ad discipulos suos : Homo quidam erat dives, qui habebat villicum : et hic diffamatus est apud illum quasi dissipasset bona ipsius. 2. Et vocavit illum, et ait illi : Quid hoc audio de te ? redde rationem villicationis tuæ : jam enim non poteris villicare. 3. Ait autem villicus intra se : Quid faciam quia dominus meus aufert ad me villicationem ? fodere non valeo, mendicare erubesco. 4. Scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

5. Convocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo : Quantum debes Domino meo ? 6. At ille dixit : Centum cados olei : Dixitque illi : Accipe cautionem tuam : et sede cito, scribe quinquaginta. 7. Deinde alii dixit : Tu vero quantum debes ? Qui ait : Centum coros tritici. Ait illi : Accipe litteras tuas, et scribe octoginta. 8. Et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset : quia filii hujus seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 9. Et ego vobis dico : facite vobis amicos de mammona iniquitatis : ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. 10. Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est : et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est.

11. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis : quod verum est,
quis credet vobis? 12. Et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum
est, quis dabit vobis?

13. Nemo servus potest duobus dominis servire : aut enim unum odiet,
et alterum diliget : aut uni adhærebit, et alterum contemnet : non po-
testis Deo servire, et mammonæ. 14. Audiebant autem omnia hæc Pha-
risæi, qui erant avari : et deridebant illum. 15. Et ait illis : Vos estis,
qui justificatis vos coram hominibus : Deus autem novit corda vestra :
quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. 16. Lex, et
prophetæ usque ad Joannem : ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis
in illud vim facit.

17. Facilius est autem cælum, et terram præterire, quam de Lege
unum apicem cadere. 18. Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram
ducit, mœchatur : et qui dimissam a viro ducit, mœchatur. 19. Homo
quidam erat dives, qui induebatur purpura, et bysso : et epulabatur quo-
tidie splendide. 20. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui ja-
cebat ad januam ejus, ulceribus plenus. 21. Cupiens saturari de micis,
quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat : sed et canes venie-
bant, et lingebant ulcera ejus. 22. Factum est autem ut moreretur men-
dicus, et portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem et
dives, et sepultus est in inferno.

23. Elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham
a longe, et Lazarum in sinu ejus : 24. Et ipse clamans dixit : Pater Abra-
ham, miserere mei, et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui
in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. 25.
Et dixit illi Abraham : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et
Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. 26.
Et in his omnibus inter nos, et vos chaos magnum firmatum est : ut hi,
qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc trans-
meare. 27. Et ait : Rogo ergo te pater ut mittas eum in domum patris
mei.

28. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in
hunc locum tormentorum. 29. Et ait illi Abraham : Habent Moysen, et
prophetas : audiant illos. 30. At ille dixit : Non, pater Abraham : sed si
quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. 31. Ait autem illi : Si
Moysen, et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit,
credent.

CAPUT XVII.

Væ scandalizanti pusillos : frater in nos peccans increpandus est, eique pœnitenti ignoscendum : apostolos docet fidei efficaciam : quodque dum omnia ipsi præcepta fecerint, se servos dicant inutiles : decem leprosi mundantur, unico qui Samaritanus erat ad agendas gratias revertente : dicit adventum Filii Dei non occultum fore, sed illustrem, et inexpectato superventurum, sicut diluvium mundo, et Sodomis subversio supervenit.

1. Et ait ad discipulos suos : Impossibile est ut non veniant scandala : væ autem illi : per quem veniunt. 2. Utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum ejus, et projiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis. 3. Attendite vobis : Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum : et si pœnitentiam egerit, dimitte illi. 4. Et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te, dicens : Pœnitet me, dimitte illi. 5. Et dixerunt Apostoli Domino : Adauge nobis fidem.

6. Dixit autem Dominus : Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro : Eradicare, et transplantare in mare : et obediet vobis. 7. Quis autem vestrum habens servum arantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi : Statim transi, recumbe : 8. Et non dicat ei : Para quod cœnem, et præcinge te, et ministra mihi donec manducem, et bibam, et post hæc tu manducabis, et bibes ? 9. Numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quæ ei imperaverat ? 10. Non puto. Sic et vos cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus : quod debuimus facere, fecimus. 11. Et factum est, dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, et Galilæam. 12. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe : 13. Et levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri.

14. Quos ut vidit, dixit : Ite, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. 15. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, 16. Et cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens : et hic erat Samaritanus. 17. Respondens autem Jesus, dixit : Nonne decem mundati sunt ? et novem ubi sunt ? 18. Non est inventus qui rediret, et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. 19. Et ait illi : Surge, vade : quia fides tua te salvum fecit. 20. Interrogatus autem a Pharisæis : Quando venit regnum Dei ? respondens eis, dixit : Non venit regnum Dei cum observatione. 21. Neque dicent : Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.

22. Et ait ad discipulos suos : Venient dies quando desideretis videre unum diem Filii hominis, et non videbitis. 23. Et dicent vobis : Ecce hic, et ecce illic. Nolite ire, neque sectemini. 24. Nam, sicut fulgur coruscans

de sub cælo in ea, quæ sub cælo sunt, fulget : ita erit Filius hominis in die sua. 25. Primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac. 26. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit et in diebus Filii hominis. 27. Edebant, et bibebant : uxores ducebant, et dabantur ad nuptias, usque in diem, qua intravit Noe in arcam : et venit diluvium et perdidit omnes.

28. Similiter sicut factum est in diebus Lot : Edebant, et bibebant : emebant, et vendebant : plantabant, et ædificabant : 29. Qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem, et sulphur de cælo, et omnes perdidit : 30. Secundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur. 31. In illa hora qui fuerit in tecto, et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa : et qui in agro, similiter non redeat retro. 32. Memores estote uxoris Lot. 33. Quicumque quæsierit animam suam salvam facere, perdet illam : et quicumque perdiderit illam, vivificabit eam. 34. Dico vobis : in illa nocte erunt duo in lecto uno : unus assumetur, et alter relinquetur :

35. Duæ erunt molentes in unum : una assumetur, et altera relinquetur : duo in agro : unus assumetur, et alter relinquetur. 36. Respondentes dicunt illi : Ubi Domine ? 37. Qui dixit illis : Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ.

CAPUT XVIII.

Per parabolam de judice iniquitatis et vidua importuna docet semper orandum ; per parabolam vero de pharisæo et publicano, quomodo sit orandum : pueros a se repelli vetat : dives qui a juventute omnia se servasse præcepta dicebat, audito Christi consilio de omnibus relinquendis abiit tristis : et quid erit præmii omnia propter Christum relinquentibus : prædicit suam passionem, et prope Jericho cæcum illuminat.

1. Dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare et non deficere, 2. Dicens : Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, et hominem non reverebatur. 3. Vidua autem quædam erat in civitate illa, et veniebat ad eum, dicens : Vindica me de adversario meo. 4. Et nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se : Et si Deum non timeo, nec hominem revereor : 5. Tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. 6. Ait autem Dominus : Audite quid judex iniquitatis dicit : 7. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit in illis ?

8. Dico vobis quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra ? 9. Dixit autem et ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, et aspernabantur ceteros, parabolam istam : 10. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent : unus Pharisæus, et alter publicanus. 11. Pharisæus stans, hæc

apud se orabat : Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut ceteri hominum : raptores, injusti, adulteri : velut etiam hic publicanus. 12. Jejuno bis in sabbato : decimas do omnium, quæ possideo. 13. Et publicanus a longe stans, nolebat nec oculos ad cælum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori. 14. Dico vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur : et qui se humiliat, exaltabitur.

15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. 16. Jesus autem convocans illos, dixit : Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos, talium est enim regnum Dei. 17. Amen dico vobis : Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud. 18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens : Magister bone, quid faciens vitam æternam possidebo ? 19. Dixit autem ei Jesus : Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi solus Deus. 20. Mandata nosti : Non occides : Non mœchaberis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices : Honora patrem tuum, et matrem. 21. Qui ait : Hæc omnia custodivi a juventute mea.

22. Quo audito, Jesus ait ei : Adhuc unum tibi deest : omnia quæcumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cælo : et veni, sequere me. 23. His ille auditis, contristatus est : quia dives erat valde. 24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit : Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. 25. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26. Et dixerunt qui audiebant : Et quis potest salvus fieri ? 27. Ait illis : Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

28. Ait autem Petrus : Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29. Qui dixit eis : Amen dico vobis, nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum Dei. 30. Et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in sæculo venturo vitam æternam. 31. Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis : Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis.

32. Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur : 33. Et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. 34. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur. 35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans. 36. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. 38. Et clamavit dicens : Jesu fili David miserere mei.

39. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David miserere mei. 40. Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, 41. Dicens :

quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine ut videam. 42. Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. 43. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

CAPUT XIX.

Ad Zachæum plurimis murmurantibus divertit : parabolam refert de homine nobili, qui abiens ad regnum accipiendum tradidit decem servis decem mnas, quem cives super se regnare nolebant : super pullum asinæ intrans cum honore Jerosolymam, flet super illam, prædicitque evertendam, et ingressus in templum ejicit ementes ac vendentes.

1. Et ingressus perambulabat Jericho. 2. Et ecce vir nomine Zachæus : et hic princeps erat publicanorum, et ipse dives : 3. Et quærebat videre Jesum, quis esset : et non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. 4. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum ut videret eum : quia inde erat transiturus. 5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum : Zachæe festinans descende : quia hodie in domo tua oportet me manere. 6. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. 7. Et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. 8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum : Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus : et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.

9. Ait Jesus ad eum : Quia hodie salus domui huic facta est : eo quod et ipse filius sit Abrahæ. 10. Venit enim Filius hominis quærere, et salvum facere quod perierat. 11. Hæc illis audientibus adjiciens, dixit parabolam, eo quod esset prope Jerusalem : et quia existimarent quod confestim regnum Dei manifestaretur. 12. Dixit ergo : Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum et reverti. 13. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos : Negotiamini dum venio. 14. Cives autem ejus oderant eum : et miserunt legationem post illum, dicentes : Nolumus hunc regnare super nos. 15. Et factum est ut rediret accepto regno : et jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.

16. Venit autem primus dicens : Domine, mna tua decem mnas acquisivit. 17. Et ait illi : Euge bone serve, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. 18. Et alter venit, dicens : Domine, mna tua fecit quinque mnas. 19. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. 20. Et alter venit, dicens : Domine, ecce mna tua, quam habui repositam in sudario : 21. Timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. 22. Dicit ei : De ore tuo te judico serve nequam, sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi : 23. Et

quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ?

24. Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. 25. Et dixerunt ei : Domine, habet decem mnas. 26. Dico autem vobis, quia omni habenti dabitur, et abundabit : ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferetur ab eo. 27. Verumtamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc : et interficite ante me. 28. Et his dictis, præcedebat ascendens Jerosolymam. 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage, et Bethaniam ad montem, qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos, 30. Dicens : Ite in castellum, quod contra est : in quod introeuntes, invenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo umquam hominum sedit : solvite illum, et adducite.

31. Et si quis vos interrogaverit : Quare solvitis ? sic dicetis ei : Quia Dominus operam ejus desiderat. 32. Abierunt autem qui missi erant : et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33. Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos : Quid solvitis pullum ? 34. At illi dixerunt : Quia Dominus eum necessarium habet. 35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. 36. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37. Et cum appropinquaret jam ad descensum Montis oliveti, cœperunt omnes turbæ discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant, virtutibus,

38. Dicentes : Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in cælo, et gloria in excelsis. 39. Et quidam Pharisæorum de turbis, dixerunt ad illum : Magister, increpa discipulos tuos. 40. Quibus ipse ait : Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt. 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens : 42. Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. 43. Quia venient dies in te : et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te : et coangustabunt te undique : 44. Et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem : eo quod non cognoveris tempus, visitationis tuæ.

45. Et ingressus in templum, cœpit ejicere vendentes in illo, et ementes, 46. Dicens illis : Scriptum est : Quia domus mea domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et Scribæ, et Principes plebis quærebant illum perdere : 48. Et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

CAPUT XX.

Non dicit sacerdotibus ac scribis qua potestate hæc faciat, quia nec illi respondebant ad propositam de Joannis baptismo quæstionem : parabolam refert de vinitoribus, qui cæsis domini servis etiam filium ejus occiderunt : tentatur Jesus de tributo Cæsari dando, et a sadducæis de resurrectione : quomodo dicunt Christum filium esse David : cavendum a scribis ambitiosis.

1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et
evangelizante, convenerunt principes sacerdotum, et Scribæ cum senio-
ribus, 2. Et aiunt dicentes ad illum : Dic nobis, in qua potestate hæc fa-
cis ? aut : Quis est, qui dedit tibi hanc potestatem ? 3. Respondens autem
Jesus, dixit ad illos : Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete
mihi ? 4. Baptismus Joannis de cælo erat, an ex hominibus ? 5. At illi
cogitabant intra se, dicentes : Quia si dixerimus, De cælo, dicet, Quare
ergo non credidistis illi ? 6. Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs uni-
versa lapidabit nos : certi sunt enim, Joannem prophetam esse. 7. Et
responderunt se nescire unde esset.

8. Et Jesus ait illis : Neque ego dico vobis in qua potestate hæc facio.
9. Cœpit autem dicere ad plebem parabolam hanc : Homo plantavit vi-
neam, et locavit eam colonis : et ipse peregre fuit multis temporibus. 10.
Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineæ darent illi.
Qui cæsum dimiserunt eum inanem. 11. Et addidit alterum servum mit-
tere. Illi autem hunc quoque cædentes, et afficientes contumelia, dimise-
runt inanem. 12. Et addidit tertium mittere : qui et illum vulnerantes
ejecerunt. 13. Dixit autem dominus vineæ : Quid faciam ? mittam filium
meum dilectum : forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14. Quem
cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se, dicentes : Hic est heres, occi-
damus illum, ut nostra fiat hæreditas.

15. Et ejectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis
dominus vineæ ? 16. Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis.
Quo audito, dixerunt illi : Absit. 17. Ille autem aspiciens eos ait : Quid
est ergo hoc, quod scriptum est : Lapidem, quem reprobaverunt ædifi-
cantes, hic factus est in caput anguli ? 18. Omnis, qui ceciderit super
illum lapidem, conquassabitur : super quem autem ceciderit, commi-
nuet illum. 19. Et quærebant principes sacerdotum, et Scribæ mittere in
illum manus illa hora : et timuerunt populum : cognoverunt enim quod
ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut
caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, et potestati præ-
sidis 21. Et interrogaverunt eum, dicentes : Magister, scimus quia recte
dicis, et doces : et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces :
22. Licet nobis tributum dare Cæsari, an non ? 23. Considerans autem

dolum illorum, dixit ad eos : Quid me tentatis? 24. Ostendite mihi denarium : Cujus habet imaginem, et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei : Cæsaris. 25. Et ait illis : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari : et quæ sunt Dei, Deo. 26. Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe : et mirati in responso ejus, tacuerunt.

27. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum, 28. Dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem, et suscitet semen fratri suo : 29. Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis 30. Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. 31. Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt. 32. Novissime omnium mortua est et mulier. 33. In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

34. Et ait illis Jesus : Filii hujus sæculi nubunt, et traduntur ad nuptias : 35. Illi vero, qui digni habebuntur sæculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : 36. Neque enim ultra mori poterunt : æquales enim Angelis sunt, et filii sunt Dei : cum sint filii resurrectionis. 37. Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. 38. Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei. 39. Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti. 40. Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

41. Dixit autem ad illos : Quomodo dicunt Christum, filium esse David? 42. Et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, 43. Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? 44. David ergo Dominum illum vocat : et quomodo filius ejus est? 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis? 46. Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis : 47. Qui devorant domus viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

CAPUT XXI.

Viduam duo minuta offerentem præfert divitibus multa offerentibus : subversionem templi prædicit, variaque prælia, afflictiones et persecutiones ; adversusque roborat apostolos : prædicit quoque subversionem Jerusalem, et Judæorum captivitatem ac dispersionem : de signis præcessuris judicium : cavendum a crapula, ebrietate, curisque hujus vitæ, et vigilandum ac orandum.

1. Respiciens autem vidit eos, qui mittebant munera sua in gazophy-

lacium, divites. 2. Vidit autem et quamdam viduam pauperculam mit-
tentem æra minuta duo. 3. Et dixit : Vere dico vobis, quia vidua hæc
pauper, plus quam omnes misit. 4. Nam omnes hi ex abundanti sibi mi-
serunt in munera Dei : hæc autem ex eo, quod deest illi, omnem victum
suum, quem habuit, misit. 5. Et quibusdam dicentibus de templo quod
bonis lapidibus, et donis ornatum esset, dixit : 6. Hæc, quæ videtis, ve-
nient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non de-
struatur.

7. Interrogaverunt autem illum, dicentes : Præceptor, quando hæc
erunt, et quod signum cum fieri incipient ? 8. Qui dixit : Videte ne sedu-
camini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : et
tempus appropinquavit, nolite ergo ire post eos. 9. Cum autem audieri-
tis prælia, et seditiones, nolite terreri : oportet primum hæc fieri, sed
nondum statim finis. 10. Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem,
et regnum adversus regnum. 11. Et terræmotus magni erunt per loca,
et pestilentiæ, et fames, terroresque de cœlo, et signa magna erunt. 12.
Sed ante hæc omnia injicient vobis manus suas, et persequentur tradentes
in synagogas, et custodias, trahentes ad reges, et præsides propter nomen
meum : 13. Continget autem vobis in testimonium.

14. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodum
respondeatis. 15. Ego enim dabo vobis os, et sapientiam, cui non pote-
runt resistere, et contradicere omnes adversarii vestri. 16. Trademini au-
tem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient
ex vobis : 17. Et eritis odio omnibus propter nomen meum : 18. Et ca-
pillus de capite vestro non peribit. 19. In patientia vestra possidebitis
animas vestras. 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusa-
lem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus : 21. Tunc qui in
Judæa sunt, fugiant ad montes : et qui in medio ejus, discedant : et qui
in regionibus, non intrent in eam. 22. Quia dies ultionis hi sunt, ut
impleantur omnia, quæ scripta sunt.

23. Væ autem prægnantibus, et nutrientibus in illis diebus, erit enim
pressura magna super terram, et ira populo huic. 24. Et cadent in ore
gladii : et captivi ducentur in omnes Gentes, et Jerusalem calcabitur a
Gentibus : donec impleantur tempora nationum. 25. Et erunt signa in
sole, et luna, et stellis, et in terris pressura Gentium præ confusione so-
nitus maris, et fluctuum : 26. Arescentibus hominibus præ timore, et
expectatione, quæ supervenient universo orbi : nam virtutes cœlorum
movebuntur : 27. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nube
cum potestate magna, et majestate. 28. His autem fieri incipientibus,
respicite, et levate capita vestra : quoniam appropinquat redemptio
vestra.

29. Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, et omnes arbores :
30. Cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est æstas.

31. Ita et vos cum videritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. 32. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. 33. Cœlum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt. 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ : et superveniat in vos repentina dies illa : 35. Tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante Filium hominis. 37. Erat autem diebus docens in templo : noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti. 38. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

CAPUT XXII.

Cogitant principes sacerdotum de occidendo Jesu, quem vendit Judas : jubet parari pascha : panem in corpus suum et vinum in sanguinem consecrata tradit discipulis, præcipiens ut idem faciant : contentio discipulorum quis eorum sit major : prædicit trinam Petri negationem, jubens vendi tunicam et emi gladium: post prolixam in agonia orationem, et sudorem instàr sanguinis in terram decurrentis, capitur a Judæis, quorum uni Petrus abscidit auriculam : conqueritur quod ad eum quasi ad latronem capiendum exierint : in domo principis sacerdotum ter a Petro negatur, et a Judæis cæditur ac illuditur, et mane in concilio interrogatus fatetur se Dei Filium.

1. Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha:
2. Et quærebant principes sacerdotum, et Scribæ, quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem. 3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. 4. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. 6. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis. 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8. Et misit Petrum, et Joannem, dicens : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.

9. At illi dixerunt : Ubi vis paremus? 10. Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat. 11. Et dicetis patrifamilias domus : dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? 12. Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. 13. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha. 14. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. 15. Et ait illis : Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17. Et accepto

calice gratias egit, et dixit : Accipite, et dividite inter vos. 18. Dico enim
vobis quod non bibam de generatione vitis donec regnum Dei veniat.

19. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens : Hoc
est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemo-
rationem. 20. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens : Hic est
calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. 21.
Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. 22. Et qui-
dem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit : verumtamen
væ homini illi, per quem tradetur. 23. Et ipsi cœperunt quærere inter
se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. 24. Facta est autem et con-
tentio inter eos, quis eorum videretur esse major.

25. Dixit autem eis : Reges Gentium dominantur eorum : et qui po-
testatem habent super eos, benefici vocantur. 26. Vos autem non sic :
sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut
ministrator. 27. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat ?
nonne qui recumbit ? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui minis-
trat : 28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationi-
bus meis : 29. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus
regnum, 30. Ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo :
et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel. 31. Ait au-
tem Dominus : Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos ut cribraret sicut
triticum : 32. Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu
aliquando conversus confirma fratres tuos. 33. Qui dixit ei : Domine, te-
cum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire.

34. At ille dixit : Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter
abneges nosse me. Et dixit eis : 35. Quando misi vos sine sacculo, et
pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36. At illi dixerunt :
Nihil. Dixit ergo eis : Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et
peram : et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. 37.
Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri
in me : Et cum iniquis deputatus est, Etenim ea, quæ sunt de me, finem
habent. 38. At illi dixerunt : Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit
eis : Satis es. 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in Montem
olivarum.Secuti sunt autem illum et discipuli. 40. Et cum pervenisset
ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem.

41. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis : et positis ge-
nibus orabat, 42. Dicens : Pater si vis, transfer calicem istum a me : Ve-
rumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43. Apparuit autem Angelus
de cælo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. 44. Et fac-
tus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. 45. Et
cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos
dormientes præ tristitia. 46. Et ait illis : Quid dormitis ? surgite, orate,
ne intretis in tentationem. 47. Adhuc eo loquente ecce turba : et qui

vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos, et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum.

48. Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis ? 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei : Domine, si percutimus in gladio ? 50. Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram. 51. Respondens autem Jesus, ait : Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. 52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores : Quasi ad latronem existis cum gladiis, et fustibus ? 53. Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me : sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum : Petrus vero sequebatur a longe.

55. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. 57. At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum. 58. Et post pusillum alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum. 59. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat : nam et Galilæus est. 60. Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus. 61. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia prius quam gallus cantet, ter me negabis.

62. Et egressus foras Petrus flevit amare. 63. Et viri, qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. 64. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus : et interrogabant eum, dicentes : Prophetiza, quis est, qui te percussit ? 65. Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes : Si tu es Christus, dic nobis. 67. Et ait illis : Si vobis dixero, non credetis mihi : 68. Si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. 70. Dixerunt autem omnes : Tu ergo es Filius Dei ? Qui ait : Vos dicitis, quia ego sum. 71. At illi dixerunt : Quid adhuc desideramus testimonium ? ipsi enim audivimus de ore ejus.

CAPUT XXIII.

Accusatus coram Pilato mittitur ad Herodem, qui illum spretum illusit : Pilatus conatur ipsum dimittere, proposito Barabba homicida, et promissa castigatione : Judæis tamen instantibus morti adjudicatur : ductusque ad supplicium, vetat mulieres super se flere : cum latronibus crucifixus, Patrem orat pro crucifigentibus : irridetur a principibus et a militibus acetum offerentibus : posita superscriptione, blasphematur ab uno latronum, alteri vero promittit sui in paradiso consortium : post tenebras aliaque signa clamans expirat : quem centurio justum prædicat, et Joseph corpus ejus sepelit.

1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2.
Cœperunt autem illum accusare, dicentes : Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem
se Christum regem esse. 3. Pilatus autem interrogavit eum, dicens : Tu
es rex Judæorum? At ille respondens ait : Tu dicis. 4. Ait autem Pilatus
ad principes sacerdotum, et turbas : Nihil invenio causæ in hoc homine.
5. At illi invalescebant, dicentes : Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. 6. Pilatus autem audiens
Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset.

7. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. 8. Herodes autem viso
Jesu, gavisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum,
eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo
fieri. 9. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi
respondebat. 10. Stabant autem principes sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum. 11. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu
suo : et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. 12. Et facti sunt
amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem.

13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe. 14. Dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem, quasi
avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. 15. Sed neque
Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est
ei. 16. Emendatum ergo illum dimittam. 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. 18. Exclamavit autem simul universa
turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam, 19. Qui erat
propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus
in carcerem. 20. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. 21. At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

22. Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste? nullam
causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum, et dimittam. 23.
At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur : et invalescebant voces eorum. 24. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.
25. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium, et seditionem

missus fuerat in carcerem, quem petebant, Jesum vero tradidit voluntati eorum. 26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem venientem de villa : et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum : quæ plangebant, et lamentabantur eum.

28. Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. 29. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt. 30. Tunc incipiunt dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos. 31. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? 32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. 33. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum : et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. 34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes.

35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic es Christus Dei electus. 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei. 37. Et dicentes : Si tu es rex Judæorum, salvum te fac. 38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Græcis, et Latinis, et Hebraicis : Hic est rex Judæorum. 39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. 40. Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. 41. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit. 42. Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43. Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso.

44. Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. 45. Et obscuratus est sol : et velum templi scissum est medium. 46. Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens : Vere hic homo justus erat. 48. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. 49. Stabant autem omnes noti ejus a longe : et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa hæc videntes.

50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus, et justus : 51. Hic non consenserat consilio, et actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat et ipse regnum Dei. 52. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu : 53. Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat. 54. Et dies

erat parasceves, et sabbatum illucescebat. 55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. 56. Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta : et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

CAPUT XXIV.

Mulieribus ad Christi monumentum consternatis quod ejus corpus non invenirent, angeli ipsum resurrexisse nuntiant, et illæ apostolis, qui id tamquam deliramentum accipiunt : Petrus ad monumentum currens et ipse admiratur quod corpus non invenerit : duobus in Emmaus euntibus, Jesus scripturas interpretatur, et in fractione Panis ab eis agnoscitur : congregatis discipulis palpandum se præbet, et cum eis edens aperit sensum ut scripturas intelligant, ac promisso Spiritu sancto in cælum ascendit.

1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata : 2. Et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3. Et ingressæ non invenerunt corpus Domini Jesu. 4. Et factum est, dum mente consternatæ essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5. Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas : Quid quæritis viventem cum mortuis? 6. Non est hic, sed surrexit : recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilæa esset, 7. Dicens : Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. 8. Et recordatæ sunt verborum ejus. 9. Et regressæ a monumento nunciaverunt hæc omnia illis undecim, et ceteris omnibus.

10. Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceteræ, quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc. 11. Et visa sunt ante illos, sicut deliramentum verba ista : et non crediderunt illis. 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum : et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. 13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus. 14. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus, quæ acciderant. 15. Et factum est, dum fabularentur, et secum quærerent : et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis : 16. Oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17. Et ait ad illos : Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

18. Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? 19. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt : De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere, et sermone coram Deo, et omni populo : 20. Et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. 21. Nos autem spe

rabamus quia ipse esset redempturus Israel : et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. 22. Sed et mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum. 23. Et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.

24. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum : et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt. 23. Et ipse dixit ad eos : O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ ! 26. Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ? 27. Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant. 28. Et appropinquaverunt castello quo ibant : et ipse se finxit longius ire. 29. Et coegerunt illum, dicentes : Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. 30. Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. 31. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum, et ipse evanuit ex oculis eorum.

32. Et dixerunt ad invicem : Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas ? 33. Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem : et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant, 34. Dicentes : Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. 35. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in via : et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. 36. Dum autem hæc loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere. 37. Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre. 38. Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra ?

39. Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte : quia spiritus carnem, et ossa non habet, sicut me videtis habere. 40. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et pedes. 41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus præ gaudio, dixit : Habetis hic aliquid, quod manducetur ? 42. At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. 44. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. 44. Et dixit ad eos : Hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. 45. Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas. 46. Et dixit eis : Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die : 47. Et prædicári in nomine ejus pœnitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma.

48. Vos autem testes estis horum. 49. Et ego mitto promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 40. Eduxit autem eos foras in Bethaniam : et elevatis mani-

bus suis benedixit eis. 51. Et factum est, dum benediceret illis, recessit
ab eis, et ferebatur in cælum. 52. Et ipsi adorantes regressi sunt in Je-
rusalem cum gaudio magno : 53. Et erant semper in templo, laudantes,
et benedicentes Deum. Amen.

SANCTUM

JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM JOANNEM.

CAPUT I.

Verbum est Deus, vita, et lux omnem hominem illuminans ; per quod omnia facta sunt: et quod homo factum est ; cui testimonium perhibet Joannes, dicens se vocem, et indignum qui illius solvat corrigiam calceamenti, eumque esse agnum Dei qui tollit peccatum mundi : Andreas alter duorum Joannis discipulorum qui Jesum secuti sunt, adducit ad illum etiam Simonem fratrem suum : Philippus quoque a Jesu vocatus, adducit ad eum Nathanaël.

1. In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat
verbum. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta
sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est, 4. Et ipso vita erat,
et vita erat lux hominum : 5. Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam
non comprehenderunt. 6. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joan-
nes. 7. Hic venit in testimonium ut testimonium perhiberet de lumine,
ut omnes crederent per illum. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium
perhiberet de lumine.

9. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc
mundum. 10. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mun-
dus eum non cognovit. 11. In propria venit, et sui eum non receperunt.
12. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,
his, qui credunt in nomine ejus. 13. Qui non ex sanguinibus, neque ex
voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

14. Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis : et vidimus glo-
riam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre plenum gratiæ, et veritatis.
15. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens : Hic erat,
quem dixi : Qui post me venturus est, ante me factus est : quia prior me
erat. 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro

gratia. 17. Quia lex per Moysen data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est. 18. Deum nemo vidit umquam : unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.

19. Et hoc est testimonium Joannis, quando miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes et Levitas ad eum, ut interrogarent eum : Tu quis es? 20. Et confessus est, et non negavit : et confessus est : Quia non sum ego Christus. 21. Et interrogaverunt eum : Quid ergo? Elias es tu? Et dixit : Non sum. Propheta es tu : Et respondit : Non. 22. Dixerunt ergo ei : Quis es, ut responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicis de teipso? 23. Ait : Ego vox clamantis in deserto : Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. 24. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. 25. Et interrogaverunt eum, et dixerunt ei : Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? 26. Respondit eis Joannes dicens: Ego baptizo in aqua : medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis.

27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est : cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti. 28. Hæc in Bethania facta sunt trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans. 29. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. 30. Hic est, de quo dixi : Post me venit vir, qui ante me factus est : qui prior me erat. 31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium perhibuit Joannes, dicens : Quia vidi Spiritum descendentem quasi columbam de cælo, et mansit super eum. 33. Et ego nesciebam eum : sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.

34. Et ego vidi : et testimonium perhibui quia hic est Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Joannes, et ex discipulis ejus duo. 36. Et respiciens Jesum ambulantem, dicit : Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt Jesum. 38. Conversus autem Jesus, et videns eos sequentes se, dicit eis : Quid quæritis? Qui dixerunt ei : Rabbi, (quod dicitur interpretatum Magister) ubi habitas. 39. Dicit eis : Venite, et videte. Venerunt, et viderunt ubi maneret, et apud eum manserunt die illo : hora autem erat quasi decima. 40. Erat autem Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant a Joanne, et secuti fuerant eum. 41. Invenit hic primum fratrem suum Simonem, et dicit ei : Invenimus Messiam, (quod est interpretatum Christus.)

42. Et adduxit eum ad Jesum. Intuitus autem eum Jesus, dixit : Tu es Simon filius Jona : tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galilæam, et invenit Philippum. Et dicit ei Jesus : Sequere me. 44. Erat autem Philippus a Bethsaida, civitate Andreæ, et Petri. 45. Invenit Philippus Nathanael, et dicit ei : Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetæ, invenimus Jesum filium Joseph a Naza-

reth. 46. Et dixit ei Nathanael : A Nazareth potest aliquid boni esse ? Dicit ei Philippus : Veni, et vide.

47. Vidit Jesus Nathanael venientem ad se, et dicit de eo : Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael : Unde me nosti ? Respondit Jesus, et dixit ei : Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, et ait : Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israel. 50. Respondit Jesus, et dixit ei : Quia dixi tibi : Vidi te sub ficu, credis : majus his videbis. 51. Et dicit ei : Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, et Angelos Dei ascendentes, et descendentes supra Filium hominis.

CAPUT II.

Jesus ad nuptias invitatus, aquam in vinum convertit, et a Capharnaum veniens Jerosolymam, ejicit de templo negotiatores ; ac signo a Judæis petito, dicit : Solvite templum hoc, etc.; multi propter signa crediderunt in nomine Jesu, quibus ipse non se credebat.

1. Et die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ : et erat mater Jesu ibi. 2. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus ad nuptias. 3. Et deficiente vino, dicit mater Jesu ad eum : Vinum non habent. 4. Et dicit ei Jesus : Quid mihi, et tibi est mulier ? nondum venit hora mea. 5. Dicit mater ejus ministris : Quodcumque dixerit vobis, facite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7. Dicit eis Jesus : Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. 8. Et dicit eis Jesus : Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. 9. Ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam : vocat sponsum architriclinus, 10. Et dicit ei : Omnis homo primum bonum vinum ponit : et cum inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est : Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc.

11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ : et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli ejus. 12. Post hoc descendit Capharnaum ipse, et mater ejus, et fratres ejus, et discipuli ejus : et ibi manserunt non multis diebus. 13. Et prope erat Pascha Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam : 14. Et invenit in templo vendentes boves, et oves, et columbas, et numularios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de templo, oves quoque, et boves, et numulariorum effudit æs, et mensas subvertit. 16. Et his, qui columbas vendebant, dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

17. Recordati sunt vero discipuli ejus quia scriptum est : Zelus domus

tuæ comedit me. 18. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Quod signum ostendis nobis quia hæc facis ? 19. Respondit Jesus, et dixit eis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Judæi : Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud ? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli ejus, quia hoc dicebat, et crediderunt scripturæ, et sermoni, quem dixit Jesus. 23. Cum autem esset Jerosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine ejus, videntes signa ejus, quæ faciebat. 24. Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, 25. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine : ipse enim sciebat quid esset in homine.

CAPUT III.

Nicodemum nocte edocet de renascendo ex aqua et Spiritu, ac de sui instar ænei serpentis exaltatione, quodque Deus Filium suum misit ad salvandum mundum : facta quæstione de purificatione, Joannes suis discipulis de Christo murmurantibus, laudat ipsum, dicens illum crescere oportere, se autem minui, et quod Pater omnia dederit in manu ejus ; ut qui in eum credit, habeat vitam æternam ; qui vero non credit, maneat ira Dei super eum.

1. Erat autem homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum. 2. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei : Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister, nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Jesus, et dixit ei : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus : Quomodo potest homo nasci, cum sit senex ? numquid potest in ventrem matris suæ iterato introire, et renasci ? 5. Respondit Jesus : Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est : et quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixit tibi : oportet vos nasci denuo.

8. Spiritus ubi vult spirat : et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat : sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, et dixit ei : Quomodo possunt hæc fieri ? 10. Respondit Jesus, et dixit ei : Tu es magister in Israel, et hæc ignoras ? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, et non creditis : quomodo, si dixero vobis cælestia, credetis ? 13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto : ita exaltari oportet Filium hominis : 15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non judicatur : qui autem non credit, jam judicatus est : quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem judicium : quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem : erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim, qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus : 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.

22. Post hæc venit Jesus, et discipuli ejus in terram Judæam : et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. 23. Erat autem et Joannes baptizans in Ænnon, juxta Salim : quia aquæ multæ erant illic, et veniebant, et baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Joannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione. 26. Et venerunt ad Joannem, et dixerunt ei : Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Joannes, et dixit : Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.

28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim : Non sum ego Christus : sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est : amicus autem sponsi, qui stat, et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 31. Qui desursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, et de terra loquitur. Qui de cælo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, et audivit, hoc testatur : et testimonium ejus nemo accipit. 33. Qui accepit ejus testimonium, signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur : non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium : et omnia dedit in manu ejus. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam : qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

CAPUT IV.

Jesus cum muliere Samaritana loquitur de aqua viva, et adorando Deo in spiritu, manifestans ei se esse Messiam promissum : et discipulis dicit se cibum habere, quem illi nesciunt, nempe Patris, obedientiam : de messe et metente ac seminante : multi Samaritanorum credunt in eum : filium reguli sanitati restituit.

1. Ut ergo cognovit Jesus quia audierunt Pharisæi quod Jesus plures discipulos facit, et baptizat, quam Joannes, 2. (Quamquam Jesus non

baptizaret, sed discipuli ejus) 3. Reliquit Judæam, et abiit iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar : juxta prædium, quod dedit Jacob Joseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Jesus : Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim ejus abierant in civitatem ut cibos emerent.)

9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana : Quomodo tu Judæus cum sis, bibere a me poscis, quæ sum mulier Samaritana ? non enim coutuntur Judæi Samaritanis. 10. Respondit Jesus, et dixit ei : Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi : Da mihi bibere : tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam. 11. Dicit ei mulier : Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est : unde ergo habes aquam vivam ? 12. Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus, et pecora ejus ? 13. Respondit Jesus, et dixit ei : Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum : qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum : 14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 15. Dicit ad eum mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam : neque veniam huc haurire.

16. Dicit ei Jesus : Vade, voca virum tuum, et veni huc. 17. Respondit mulier, et dixit : Non habeo virum, Dicit ei Jesus : Bene dixisti, quia non habeo virum : 18. Quinque enim viros habuisti, et nunc, quem habes, non est tuus vir : hoc vere dixisti. 19. Dicit ei mulier : Domine, video quia Propheta es tu. 20. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. 21. Dicit ei Jesus : Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis Patrem.

22. Vos adoratis quod nescitis : nos adoramus quod scimus, quia salus ex Judæis est. 23. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nam et Pater tales quærit, qui adorent eum. 24. Spiritus est Deus : et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. 25. Dicit ei mulier : Scio quia Messias venit, (qui dicitur Christus.) cum ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia. 26. Dicit ei Jesus : Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo venerunt discipuli ejus : et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Nemo tamen dixit : Quid quæris, aut quid loqueris cum ea ?

28. Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus : 29. Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcumque feci : numquid ipse est Christus ? 30. Exierunt ergo de civitate, et veniebant ad eum. 31. Interea rogabant eum discipuli, dicentes : Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis : Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant ergo discipuli ad invicem : Numquid ali-

quis attulit ei manducare? 34. Dicit eis Jesus : Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis : Levate oculos vestros, et videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.

36. Et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam æternam : ut, et qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum : quia alius est qui seminat, et alius est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod vos non laborastis : alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. 39. Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis : Quia dixit mihi omnia quæcumque feci. 40. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. 41. Et multo plures crediderunt in eum propter sermonem ejus. 42. Et mulieri dicebant : Quia : jam non propter tuam loquelam credimus : ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.

43. Post duos autem dies exiit inde : et abiit in Galilæam. 44. Ipse enim Jesus testimonium perhibuit quia Propheta in sua patria honorem non habet. 45. Cum ergo venisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidissent quæ fecerat Jerosolymis in die festo : et ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. 47. Hic cum audisset quia Jesus adveniret a Judæa in Galilæam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium ejus : incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Jesus ad eum : Nisi signa, et prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus : Domine, descende prius quam moriatur filius meus.

50. Dicit ei Jesus : Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Jesus, et ibat. 51. Jam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nunciaverunt dicentes, quia filius ejus viveret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei : Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus : Filius tuus vivit : et credidit ipse, et domus ejus tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Jesus, cum venisset a Judæa in Galilæam.

CAPUT V.

Jesus ad piscinam sanato ægroto qui 38 annis languerat, jubet sabbato tollere grabatum ; et Judæis id calumniantibus respondet se omnia sua simul cum Patre operari, mortuosque vivificare, ac judicem ab illo constitutum esse omnium, cui et Joannes et propria opera ac Pater, imo et Moyses ipse testimonium perhibent.

1. Post hæc erat dies festus Judæorum, et ascendit Jesus Jerosolymam. 2. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraice Bethsaida, quinque porticus habens. 3. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum expectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam : et movebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Jesus jacentem, et cognovisset quia jam multum tempus haberet, dicit ei : Vis sanus fieri ?

7. Respondit ei languidus : Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam : dum venio enim ego, alius ante me descendit. 8. Dicit ei Jesus : Surge, tolle grabatum tuum, et ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille : et sustulit grabatum suum, et ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat : Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis : Qui me sanum fecit, ille mihi dixit : Tolle grabatum tuum, et ambula. 12. Interrogaverunt ergo eum : Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, et ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Jesus enim declinavit a turba constituta in loco.

14. Postea invenit eum Jesus in templo, et dixit illi : Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, et nunciavit Judæis quia Jesus esset, qui fecit eum sanum. 16. Propterea sequebantur Judæi Jesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Jesus autem respondit eis : Pater meus usque modo operatur, et ego operor. 18. Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere : quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Jesus, et dixit eis : 19. Amen, amen dico vobis : non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem : quæcumque enim ille fecerit, hæc et Filius similiter facit.

20. Pater enim diligit Filium, et omnia demonstrat ei, quæ ipse facit : et majora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut enim Pater suscitat mortuos, et vivificat : sic et Filius, quos vult, vivifi-

cat. 22. Neque enim Pater judicat quemquam : sed omne judicium dedit Filio, 23. Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem : qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, et in judicium non venit, sed transit a morte in vitam. 25. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei : et qui audierint, vivent.

26. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso : sic dedit et Filio habere vitam in semetipso : 27. Et potestatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei : 29. Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ : qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. 30. Non possum ego a meipso facere quidquam. Sicut audio, judico : et judicium meum justum est : quia non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. 31. Si ergo testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum. 32. Alius est, qui testimonium perhibet de me : et scio quia verum est testimonium, quod perhibet de me.

33. Vos misistis ad Joannem : et testimonium perhibuit veritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio : sed hæc dico ut vos salvi sitis.. 35. Ille erat lucerna ardens, et lucens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce ejus. 36. Ego autem habeo testimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea : ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me : 37. Et qui misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me : neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis. 38. Et verbum ejus non habetis in vobis manens : quia quem misit ille, huic vos non creditis.

39. Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere : et illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me : 40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis : et gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis ? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi : de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis credetis ?

CAPUT VI.

Quinque panibus et duobus piscibus satiat quinque virorum millia : fugit volentes ipsum facere regem : super mare ad discipulos vento agitatos ambulat : de pane cælesti docet, quodque ipse sit panis vitæ, et caro ejus cibus quem oporteat manducare, sanguisque ejus potus quem oporteat bibere : quidam discipuli offensi ejus sermone deserunt ipsum, apostoli autem cum eo permanent ; quorum tamen unum dicit esse diabolum.

1. Post hæc abiit Jesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis : 2.
Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quæ faciebat
super his, qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Jesus : et ibi se-
debat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha dies festus
Judæorum. 5. Cum sublevasset ergo oculos Jesus, et vidisset quia multi-
tudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum : Unde ememus panes,
ut manducent hi ? 6. Hoc autem dicebat tentans eum : ipse enim sciebat
quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus : Ducentorum denariorum
panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit
ei unus ex discipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri : 9. Est puer unus
hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces : sed hæc quid
sunt inter tantos ?

10. Dixit ergo Jesus : Facite homines discumbere. Erat autem fœnum
multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.
11. Accepit ergo Jesus panes : et cum gratias egisset, distribuit discum-
bentibus : similiter et ex piscibus quantum volebant. 12. Ut autem im-
pleti sunt, dixit discipulis suis : Colligite quæ superaverunt fragmenta,
ne pereant. 13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos
fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his,
qui manducaverant. 14. Illi ergo homines cum vidissent quod Jesus fece-
rat signum, dicebant : Quia hic est vere propheta, qui venturus est in
mundum. 15. Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent
eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

16. Ut autem sero factum est, descenderunt discipuli ejus ad mare.
17. Et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in Capharnaum :
et tenebræ jam factæ erant : et non venerat ad eos Jesus. 18. Mare autem
vento magno flante, exurgebat. 19. Cum remigassent ergo quasi stadia
viginti quinque aut triginta, vident Jesum ambulantem supra mare, et
proximum navi fieri, et timuerunt. 20. Ille autem dicit eis : Ego sum,
nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in navim : et statim
navis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba, quæ stabat
trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non
introisset cum discipulis suis Jesus in navim, sed soli discipuli ejus abiis-

sent : 23 Aliæ vero supervenerunt naves a Tiberiade juxta locum ubi manducaverant panem, gratias agente Domino.

24. Cum ergo vidisset turba quia Jesus non esset ibi, neque discipuli ejus, ascenderunt in naviculas, et venerunt Capharnaum quærentes Jesum. 25. Et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei : Rabbi, quando huc venisti ? 26. Respondit eis Jesus, et dixit : Amen, amen dico vobis : quæritis me non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis. 27. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signavit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum : Quid faciemus ut operemur opera Dei ? 29. Respondit Jesus, et dixit eis : Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

30. Dixerunt ergo ei : Quod ergo tu facis signum ut videamus, et credamus tibi ? quid operaris ? 31. Patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est : Panem de cælo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Jesus : Amen, amen dico vobis : Non Moyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, et dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum : Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Jesus : Ego sum panis vitæ : qui venit ad me, non esuriet : et qui credit in me, non sitiet umquam. 36. Sed dixi vobis quia et vidistis me, et non creditis. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet : et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras : 38. Quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

39. Hæc est autem voluntas ejus, qui misit me, Patris : ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die. 40. Hæc est autem voluntas Patris mei, qui misit me : ut omnis, qui videt Filium, et credit in eum, habeat vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. 41. Murmurabant ergo Judæi de illo, quia dixisset : Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi, 42. Et dicebant : Nonne hic est Jesus filius Joseph, cujus nos novimus patrem, et matrem ? Quomodo ergo dicit hic : Quia de cælo descendi ? 43. Respondit ergo Jesus, et dixit eis : Nolite murmurare in invicem. 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum et ego resuscitabo eum in novissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.

46. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis : Qui credit in me, habet vitam æternam. 48. Ego sum panis vitæ. 49. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. 50. Hic est panis de cælo descendens : ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. 51. Ego sum panis vivus. qui de cælo descendi. 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum : et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litiga-

bant ergo Judæi ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

54. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. 56. Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. 58. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui manducat me, et ipse vivet propter me. 59. Hic est panis, qui de cælo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. 60. Hæc dixit in synagoga docens, in Capharnaum.

61. Multi ergo audientes ex discipulis ejus, Dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? 62. Sciens autem Jesus apud semetipsum quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem ubi erat prius? 64. Spiritus est, qui vivificat: caro non prodest quidquam, verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro: et jam non cum illo ambulabant.

68. Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid et vos vultis abire? 69. Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. 70. Et nos credidimus, et cognovimus quia tu es Christus Filius Dei. 71. Respondit eis Jesus: Nonne ego vos duodecim elegi: et ex vobis unus diabolus est? 72. Dicebat autem Judam Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

CAPUT VII.

Ad scenopegiæ festum quasi in occulto ascendens convincit de ipsius doctrina Judæos, quod ipsum injuste calumniarentur de curato homine sabbato: sitientes ad se vocat. et de ipso turba varie loquitur: ministri qui ad eum apprehendendum missi erant, audita ejus prædicatione collaudant ipsum: sed et Nicodemus ipsum defendens, male audit a pontificibus et pharisæis.

1. Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare: quia quærebant eum Judæi interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Judæorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judæam, ut et discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, et

quærit ipse in palam esse : si hæc facis, manifesta teipsum mundo. 5. Neque enim fratres ejus credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Jesus : Tempus meum nondum advenit : tempus autem vestrum semper est paratum.

7. Non potest mundus odisse vos : me autem odit : quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera ejus mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum : quia meum tempus nondum impletum est. 6. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut autem ascenderunt fratres ejus, tunc et ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto 11. Judæi ergo quærebant eum in die festo, et dicebant : Ubi est ille ? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant : Quia bonus est. Alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Judæorum. 14. Jam autem die festo mediante, ascendit Jesus in templum, et docebat.

15. Et mirabantur Judæi, dicentes : Quomodo hic litteras scit, cum non didicerit ? 16. Respondit eis Jesus, et dixit : Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem ejus facere : cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego a me ipso loquar. 18. Qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quærit, qui autem quærit gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustitia in illo non est. 19. Nonne Moyses dedit vobis legem : et nemo ex vobis facit legem ? 20. Quid me quæritis interficere ? Respondit turba, et dixit : Dæmonium habes : quis te quærit interficere ? 21. Respondit Jesus, et dixit eis : Unum opus feci, et omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis circumcisionem : (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) et in sabbato circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi : mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato ?

24. Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate. 25. Dicebant ergo quidam ex Jerosolymis : Nonne hic est, quem quærunt interficere ? 26. Et ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus ? 27. Sed hunc scimus unde sit : Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Jesus in templo docens, et dicens : Et me scitis, et unde sim scitis : et a me ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego scio eum : quia ab ipso sum et ipse me misit. 30. Quærebant ergo eum apprehendere : et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus. 31. De turba autem multi crediderunt in eum, et dicebant : Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quæ hic facit ?

32. Audierunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hæc : et miserunt principes, et Pharisæi ministros ut apprehenderent eum. 33. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum tempus vobiscum sum : et vado ad eum,

qui me misit. 34. Quæretis me, et non invenietis : et ubi ego sum, vos
non potestis venire. 35. Dixerunt ergo Judæi ad semetipsos : Quo hic itu-
rus est, quia non inveniemus eum ? numquid in dispersionem Gentium
iturus est, et docturus Gentes ? 36. Quis est hic sermo, quem dixit : Quæ-
retis me, et non invenietis : et ubi sum ego, vos non potestis venire ?
37. In novissimo autem die magno festivitatis stabat Jesus, et clamabat,
dicens : Si quis sitit, veniat ad me, et bibat. 38. Qui credit in me, sicut
dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. 39. Hoc autem
dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum : nondum enim
erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus.

40. Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones ejus, dicebant : Hic
est vere propheta. 41. Alii dicebant : Hic est Christus. Quidam autem
dicebant : Numquid a Galilæa venit Christus ? 42. Nonne Scriptura dicit :
Quia ex semine David, et de Bethlehem castello, ubi erat David, venit
Christus ? 43. Dissensio itaque facta est in turba propter eum. 44. Qui-
dam autem ex ipsis volebant apprehendere eum : sed nemo misit super
eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, et Pharisæos. Et
dixerunt eis illi : Quare non adduxistis illum ? 46. Responderunt minis-
tri : Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt
ergo eis Pharisæi : Numquid et vos seducti estis ? 48. Numquid ex prin-
cipibus aliquis credidit in eum, aut ex Pharisæis ?

49. Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledicti sunt. 50. Dixit
Nicodemus ad eos, ille, qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis :
51. Numquid lex nostra judicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et
cognoverit quid faciat ? 52. Responderunt, et dixerunt ei : Numquid et
tu Galilæus es ? Scrutare Scripturas, et vide quia a Galilæa propheta non
surgit. 53. Et reversi sunt unusquisque in domum suam.

CAPUT VIII.

Mulierem in adulterio deprehensam scribens in terra absolvit ab accusatoribus : dicit se lucem mundi, et pharisæos in peccato suo morituros : qui etiam vere sint ejus discipuli, quive servi aut liberi : dicit illos neque ex Deo neque ex Abraham, sed ex patre diabolo esse, qui veritatem dicenti non crederent : blasphemantibus dicit se dæmonium non habere, sed Patrem honorificare, et antequam Abraham fieret, se esse ; volentibusque eum lapidare, auferens sui prospectum exit de templo.

1. Jesus autem perrexit in montem Oliveti : 2. Et diluculo iterum ve-
nit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos. 3.
Adducunt autem Scribæ, et Pharisæi mulierem in adulterio deprehen-
sam : et statuerunt eam in medio, 5. Et dixerunt ei : Magister, hæc mu-
lier modo deprehensa est in adulterio. 4. In lege autem Moyses manda-
vit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis ? 6. Hoc autem dicebant

tentantes eum, ut possent accusare eum. Jesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis : Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus : et remansit solus Jesus, et mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Jesus, dixit ei : Mulier, ubi sunt, qui te accusabant ? nemo te condemnavit ? 11. Quæ dixit : Nemo Domine. Dixit autem Jesus : Nec ego te condemnabo : Vade, et jam amplius noli peccare.

12. Iterum ergo locutus est eis Jesus, dicens : Ego sum lux mundi : qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. 13. Dixerunt ergo ei Pharisæi : Tu de te ipso testimonium perhibes : testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Jesus, et dixit eis : Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum : quia scio unde veni, et quo vado : vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem judicatis : ego non judico quemquam : 16. Et si judico ego, judicium meum verum est, quia solus non sum : sed ego, et qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso : et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

19. Dicebant ergo ei : Ubi est Pater tuus ? Respondit Jesus : Neque me scitis, neque Patrem meum : si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis. 20. Hæc verba locutus est Jesus in gazophylacio, docens in templo : et nemo apprehendit eum quia necdum venerat hora ejus. 21. Dixit ergo iterum eis Jesus : Ego vado, et quæretis me, et in peccato vestro moriemini. Quo ego vado, vos non potestis venire. 22. Dicebant ergo Judæi : Numquid interficiet semetipsum, quia dixit : Quo ego vado, vos non potestis venire ?

23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis, ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo : 24. Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. 25. Dicebant ergo ei : Tu quis es ? Dixit eis Jesus : Principium, qui et loquor vobis. 26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare, sed qui me misit, verax est : et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. 27. Et non cognoverunt quia Patrem ejus dicebat Deum. 28. Dixit ergo eis Jesus : Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, et a meipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor : 29. Et qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum : quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

30. Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. 31. Dicebat ergo Jesus ad eos, qui crediderunt ei, Judæos : Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis : 32. Et cognoscetis veritatem et veritas

liberabit vos. 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus, et nemini servivimus unquam : quomodo tu dicis : Liberi eritis ? 34. Respondit eis Jesus : Amen, amen dico vobis : quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati. 35. Servus autem non manet in domo in æternum : filius autem manet in æternum. 36. Si ergo vos filius liberaverit, vere liberi eritis. 37. Scio quia filii Abrahæ estis : sed quæritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis.

38. Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor : et vos quæ vidistis apud patrem vestrum, facitis. 39. Responderunt, et dixerunt ei : Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus : Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. 40. Nunc autem quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum, quam audivi a Deo : hoc Abraham non fecit. 41. Vos facitis opera patris vestri. Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum. 42. Dixit ergo eis Jesus : Si Deus pater vester esset : diligeretis utique me, ego enim ex Deo processi, et veni : neque enim a me ipso veni, sed ille me misit. 43. Quare loquelam meam non cognoscitis ? Quia non potestis audire sermonem meum.

44. Vos ex patre diabolo estis : et desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit : quia non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, et pater ejus. 45. Ego autem si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me de peccato ? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi ? 47. Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Judæi, et dixerunt ei : Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, et dæmonium habes ? 49. Respondit Jesus : Ego dæmonium non habeo : sed honorifico Patrem meum, et vos inhonorastis me. 50. Ego autem non quæro gloriam meam : est qui quærat, et judicet. 51. Amen, amen dico vobis : si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.

52. Dixerunt ergo Judæi : Nunc cognovimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus est, et Prophetæ : et tu dicis : Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in æternum. 53. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mortuus est ? et Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis ? 54. Respondit Jesus : Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est : est Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est, 55. Et non cognovistis eum : ego autem novi eum : Et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, et sermonem ejus servo. 56. Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum : vidit, et gavisus est. 57. Dixerunt ergo Judæi ad eum : Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ? 58. Dixit eis Jesus : Amen, amen dico dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum : Jesus autem abscondit se, et exivit de templo.

CAPUT IX.

Cæcum a nativitate sabbato illuminat : cujus miraculi gloriam pharisæi multis technis laborant Christo detrahere : et quia is qui cæcus fuerat Christum tuetur, extra synagogam ejicitur : sed a Christo edoctus credit, et adorat ipsum, qui in judicium se in mundum venisse ait.

1. Et præteriens Jesus vidit hominem cæcum a nativitate : 2. Et inter-
rogaverunt eum discipuli ejus : Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes
ejus, ut cæcus nasceretur? 3. Respondit Jesus : Neque hic peccavit, ne-
que parentes ejus : sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet
operari opera ejus, qui misit me, donec dies est : venit nox, quando nemo
potest operari. 5. Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hæc cum
dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super
oculos ejus, 7. Et dixit ei : Vade, lava in natatoria Siloe (quod interpreta-
tur Missus.) Abiit ergo, et lavit, et venit videns. 8. Itaque vicini, et qui
viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant : Nonne hic est, qui se-
debat, et mendicabat ? Alii dicebant : Quia hic est. 9. Alii autem : Ne-
quaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat : Quia ego sum.

10. Dicebant ergo ei : Quomodo aperti sunt tibi oculi ? 11. Respondit :
Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit : et unxit oculos meos, et dixit
mihi : Vade ad natatoria Siloe, et lava. Et abii, et lavi, et video. 12. Et
dixerunt ei : Ubi est ille? Ait : Nescio. 13. Adducunt eum ad Phari-
sæos, qui cæcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum quando lutum fecit Je-
sus, et aperuit oculos ejus. 15. Iterum ergo interrogabant eum Phari-
sæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis : Lutum mihi posuit super
oculos, et lavi, et video. 16. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam : Non
est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Alii autem dicebant :
Quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et schisma erat inter
eos. 17. Dicunt ergo cæco iterum : Tu quid dicis de illo, qui aperuit ocu-
los tuos ? Ille autem dixit : Quia propheta est.

18. Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset et vidisset,
donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat : 19. Et interrogaverunt eos,
dicentes : Hic est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est ?
Quomodo ergo nunc videt ? 20. Responderunt eis parentes ejus, et dixe-
runt : Scimus quia hic est filius noster, et quia cæcus natus est : 21.
Quomodo autem nunc videat, nescimus : aut quis ejus aperuit oculos, nos
nescimus : ipsum interrogate : ætatem habet, ipse de se loquatur. 22.
Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timebant Judæos : jam enim con-
spiraverant Judæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra syna-
gogam fieret. 23. Propterea parentes ejus dixerunt : Quia ætatem habet,
ipsum interrogate. 24. Vocaverunt ergo rursum hominem, qui fuerat

cæcus, et dixerunt ei : Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est.

25. Dixit ergo eis ille : Si peccator est, nescio : unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos ? 27. Respondit eis : Dixi vobis jam, et audistis : quid iterum vultis audire? numquid et vos vultis discipuli ejus fieri ? 28. Maledixerunt ergo ei, et dixerunt : Tu discipulus illius sis : nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, et dixit eis : In hoc enim mirabile est quia vos nescitis unde sit, et aperuit meos oculos : 31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit : sed si quis Dei cultor est, et voluntatem ejus facit, hunc exaudit. 32. A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.

34. Responderunt, et dixerunt ei : In peccatis natus es totus, et tu doces nos ? Et ejecerunt eum foras. 35. Audivit Jesus quia ejecerunt eum foras : et cum invenisset eum, dixit ei : Tu credis in Filium Dei ? 36. Respondit ille, et dixit : Quis est, Domine, ut credam in eum ? 37. Et dixit ei Jesus : Et vidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait : Credo Domine. Et procidens adoravit eum. 39. Et dixit Jesus : In judicium ego in hunc mundum veni : ut qui non vident videant, et qui vident cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei : Numquid et nos cæci sumus ? 41. Dixit eis Jesus : Si cæci essetis, non haberetis peccatum, nunc vero dicitis : Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

CAPUT X.

Christus verum describens pastorem et mercenarium, dicit se ostium ovium et bonum pastorem ; qui et alias habeat oves ad idem ovile adducendas : animam suam ponit, ut iterum sumat eam : Judæi lapidare ipsum volunt, quia se ad opera sua referens, dicebat unum esse cum Patre et Filium Dei ; quod tamen ostendit non esse blasphemiam.

1. Amen, amen dico vobis : qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde : ille fur est, et latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium. 3. Huic ostiarius aperit, et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. 4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit : et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo : quia non noverunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Jesus : Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ovium. 8. Omnes quot-

quot venerunt, fures sunt, et latrones, et non audierunt eos oves. 9. Ego
sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur : et ingredietur, et egre-
dietur, et pascua inveniet.

10. Fur non venit nisi ut furetur, et mactet, et perdat. Ego veni ut
vitam habeant, et abundantius habeant. 11. Ego sum pastor bonus.
Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. 12. Mercenarius autem,
et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venien-
tem, et dimittit oves, et fugit : et lupus rapit, et dispergit oves : 13. Mer-
cenarius autem fugit : quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de
ovibus. 14. Ego sum pastor bonus : et cognosco meas, et cognoscunt me
meæ. 15. Sicut novit me Pater, et ego agnosco Patrem : et animam meam
pono pro ovibus meis.

16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili : et illas oportet me
adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor. 17.
Propterea me diligit Pater : quia ego pono animam meam, ut iterum
sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me : sed ego pono eam a meipso, et
potestatem habeo ponendi eam : et potestatem habeo iterum sumendi
eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19. Dissensio iterum facta est inter
Judæos propter sermones hos. 20. Dicebant autem multi ex ipsis : Dæmo-
nium habet, et insanit : quid eum auditis ? 21. Alii dicebant : Hæc verba
non sunt dæmonium habentis : numquid dæmonium potest cæcorum ocu-
los aperire ?

22. Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis : et hiems erat. 23. Et
ambulabat Jesus in templo, in porticu Salomonis. 24. Circumdederunt
ergo eum Judæi, et dicebant ei : Quousque animam nostram tollis ? si tu
es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Jesus : Loquor vobis, et
non creditis, opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimo-
nium perhibent de me : 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex ovi-
bus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt : et ego cognosco eas, et
sequuntur me : 28. Et ego vitam æternam do eis : et non peribunt in
æternum, et non rapiet eas quisquam de manu mea.

29. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est : et nemo potest
rapere de manu Patris mei. 30. Ego, et Pater unum sumus. 31. Sustule-
runt ergo lapides Judæi, ut lapiderent eum. 32. Respondit eis Jesus :
Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus
me lapidatis ? 33. Responderunt ei Judæi : De bono opere non lapidamus
te, sed de blasphemia : et quia tu homo cum sis, facis teipsum Deum. 34.
Respondit eis Jesus : Nonne scriptum est in lege vestra : quia Ego dixi,
dii estis ? 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non po-
test solvi scriptura : 36 Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum,
vos dicitis : Quia blasphemas : quia dixi, Filius Dei sum ? 37. Si non
facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio : et si
mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, et credatis

quia Pater in me est, et ego in Patre. 39. Quærebant ergo eum appre-
hendere : et exivit de manibus eorum.
40. Et abiit iterum trans Jordanem in eum locum, ubi erat Joannes
baptizans primum : et mansit illic : 41. Et multi venerunt ad eum, et
dicebant : Quia Joannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem
quæcumque dixit Joannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in
eum.

CAPUT XI.

Jesus Lazarum quatuor diebus mortuum resuscitat, præfatus multa cum discipulis et cum Martha : quapropter dum propter hoc miraculum multi in Christum crederent, pontifices et pharisæi, inito consilio statuerunt eum occidere, Caipha pontifice prophetante oportere Jesum mori, ne totus populus periret : Jesus autem secedit in civitatem Ephrem.

1. Erat autem quidam languens Lazarus a Bethania, de castello Mariæ,
et Marthæ sororis ejus. 2. (Maria autem erat, quæ unxit Dominum un-
guento, et extersit pedes ejus capillis suis : cujus frater Lazarus infirma-
batur.) 3. Miserunt ergo sorores ejus ad eum dicentes : Domine, ecce
quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Jesus dixit eis : Infirmitas hæc
non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.
5. Diligebat autem Jesus Martham, et sororem ejus Mariam, et Lazarum.
6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco
duobus diebus. 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis : Eamus in Ju-
dæam iterum.
8. Dicunt ei discipuli : Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, et
iterum vadis illuc ? 9. Respondit Jesus : Nonne duodecim sunt horæ diei ?
Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt :
10. Si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non est in eo. 11.
Hæc ait, et post hæc dixit eis : Lazarus amicus noster dormit : sed vado
ut a somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli ejus : Domine, si
dormit, salvus erit. 13. Dixerat autem Jesus de morte ejus : illi autem
putaverunt quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Jesus dixit
eis manifeste : Lazarus mortuus est : 15. Et gaudeo propter vos, ut cre-
datis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas,
qui dicitur Didymus, ad condiscipulos : Eamus et nos, ut moriamur cum
eo. 17. Venit itaque Jesus : et invenit eum quatuor dies jam in mo-
numento habentem.
18. (Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.)
19. Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, et Mariam, ut conso-
larentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audivit quia Jesus venit,
occurrit illi : Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Je-

sum : Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus : 22. Sed et nunc scio quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Jesus : Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha : Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. 25. Dixit ei Jesus : Ego sum resurrectio, et vita : qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet : 26. Et omnis, qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc ?

27. Ait illi : Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum hæc dixisset, abiit, et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens : Magister adest, et vocat te. 29. Illa ut audivit, surgit cito, et venit ad eum : 30. Nondum enim venerat Jesus in castellum : sed erat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. 31. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, et consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit, et exiit, secuti sunt eam dicentes : Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Jesus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, et dicit ei : Domine, si fuisses hic non esset mortuus frater meus.

33. Jesus ergo, ut vidit eam plorantem, et Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, et turbavit seipsum. 34. Et dixit : Ubi posuistis eum ? Dicunt ei : Domine, veni, et vide. 35. Et lacrymatus est Jesus. 36. Dixerunt ergo Judæi : Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt : Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur ? 38. Jesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum, erat autem spelunca : et lapis superpositus erat ei. 39. Ait Jesus : Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mortuus fuerat : Domine, jam fœtet, quatriduanus est enim.

40. Dicit ei Jesus : Nonne dixi tibi quoniam si credideris, videbis gloriam Dei ? 41. Tulerunt ergo lapidem : Jesus autem elevatis sursum oculis, dixit : Pater gratias ago tibi quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi : ut credant quia tu me misisti. 43. Hæc cum dixisset, voce magna clamavit : Lazare veni foras. 44. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes, et manus institis, et facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Jesus : Solvite eum, et sinite abire. 45. Multi ergo ex Judæis, qui venerant ad Mariam, et Martham, et viderant quæ fecit Jesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, et dixerunt eis quæ fecit Jesus.

47. Collegerunt ergo Pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant : Quid facimus, quia hic homo multa signa facit ? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum : et venient Romani, et tollent nostrum locum, et gentem. 49. Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis : Vos nescitis quidquam, 50. Nec cogitatis quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

51. Hoc autem a semetipso non dixit : sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente, 52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

53. Ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum.

54. Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Judæorum : et ascenderunt multi Jerosolymam de regione ante Pascha, ut sanctificarent se ipsos. 56. Quærebant ergo Jesum : et colloquebantur ad invicem, in templo stantes : Quid putatis, quia non venit ad diem festum ? Dederant autem Pontifices, et Pharisæi mandatum, ut si quis cognoverit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

CAPUT XII.

Apud Martham et Lazarum receptus, unguento a Maria ungitur, murmurante Juda fure : cogitarunt autem principes sacerdotum etiam Lazarum occidere : Jesus asello vectus, cum honore Jerusalem ingreditur : et gentibus eum videre cupientibus, dicit horam suæ clarificationis instare, sed granum frumenti prius mortificandum : vox Patris auditur de clarificando nomine suo : princeps hujus mundi foras ejiciendus : de excæcatione Judæorum prophetata ab Isaia : in Christo honoratur aut spernitur Pater.

1. Jesus ergo ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi : et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis : et domus impleta est ex odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus : 5. Quare hoc unguentum non væniit trecentis denariis, et datum est egenis ? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea, quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Jesus : Sinite illam ut in diem sepulturæ meæ servet illud. 8. Pauperes enim semper habetis vobiscum : me autem non semper habetis. 9. Cognovit ergo turba multa ex Judæis quia illic est : et venerunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. 10. Cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et Lazarum interficerent. 11. Quia multi propter illum abibant ex Judæis, et credebant in Jesum.

12. In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam : 13. Acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant : Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14. Et invenit Jesus asellum, et

sedit super eum, sicut scriptum est : 15. Noli timere filia Sion : ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognoverunt discipuli ejus primum : sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo : et hæc fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. 18. Propterea et obviam venit ei turba : quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos : Videtis quia nihil proficimus ? ecce mundus totus post eum abiit.

20. Erant autem quidam Gentiles ex his, qui ascenderant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat a Bethsaida Galilææ, et rogabant eum, dicentes : Domine, volumus Jesum videre. 22. Venit Philippus, et dicit Andreæ : Andreas rursum, et Philippus dixerunt Jesu. 23. Jesus autem respondit eis, dicens : Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ; 25. Ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam : et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

26. Si quis mihi ministrat, me sequatur : et ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, salvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater, clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo : Et clarificavi, et iterum clarificabo. 29. Turba ergo, quæ stabat, et audierat, dicebat tonitruum esse factum Alii dicebant : Angelus ei locutus est. 30. Respondit Jesus, et dixit : Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. 31. Nunc judicium est mundi : nunc princeps hujus mundi ejicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum 33. (Hoc autem dicebat, significans quia morte esset moriturus.)

34. Respondit ei turba : Nos audivimus ex lege, quia Christus manet in æternum : et quomodo tu dicis. Oportet exaltari Filium hominis? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Jesus : Adhuc modicum, lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebræ comprehendant : et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat. 36. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis. Hæc locutus est Jesus : et abiit, et abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum : 38. Ut sermo Isaiæ prophetæ impleretur, quem dixit : Domine, quis credidit auditui nostro ? et brachium Domini cui revelatum est? 39. Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias :

40. Excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum : ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. 41. Hæc

dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, et locutus est de eo. 42. Verumtamen et ex principibus multi crediderunt in eum : sed propter Pharisæos non confitebantur, ut e synagoga non ejicerentur. 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei. 44. Jesus autem clamavit, et dixit : Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni : ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

47. Et si quis audierit verba mea, et non custodierit : ego non judico eum, non enim veni ut judicem mundum, sed ut salvificem mundum. 48. Qui spernit me, et non accipit verba mea : habet qui judicet eum, sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. 50. Et scio quia mandatum ejus vita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

CAPUT XIII.

Jesus ad cœnam linteo præcinctus, lavat pedes discipulorum, renuente primum Petro, exhortans ut idem invicem faciant : proditorem suum Joanni indicat ; quo post buccellam egresso, dicit se clarificatum : de novo mandato dilectionis : Petro trinam prædicit sui abnegationem.

1. Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem : cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 2. Et cœna facta, cum diabolus jam misisset in cor ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ : 3. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit, et ad Deum vadit : 4. Surgit a cœna, et ponit vestimenta sua : et cum accepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in pelvim, et cœpit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo, quo erat præcinctus.

6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus : Domine, tu mihi lavas pedes ? 7. Respondit Jesus, et dixit ei : Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Petrus : Non lavabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Jesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Petrus : Domine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. 10. Dicit ei Jesus : Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes.

12. Postquam ergo lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua : cum recubuisset iterum, dixit eis : Scitis quid fecerim vobis ? 13. Vos vocatis me Magister, et Domine : et bene dicitis : sum etenim. 14. Si ergo ego

lavi pedes vestros, Dominus, et Magister : et vos debetis alter alterius lavare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis. 16. Amen, amen dico vobis : Non est servus major Domino suo : neque apostolus major est eo, qui misit illum. 17. Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea.

18. Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed ut adimpleatur Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. 19. Amodo dico vobis, priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis : Qui accipit si quem misero, me accipit : qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit. 21. Cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu : et protestatus est, et dixit : Amen, amen dico vobis : Quia unus ex vobis tradet me. 22. Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret. 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.

24. Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei : Quis est, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei : Domine, quis est ? 26. Respondit Jesus : Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judæ Simonis Iscariotæ. 27. Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus : Quod facis, fac citius. 28. Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus : Eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret. 30. Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox. 31. Cum ergo exisset, dixit Jesus : Nunc clarificatus est filius hominis : et Deus clarificatus est in eo.

32. Si Deus clarificatus est in eo, et Deus clarificabit eum in semetipso : et continuo clarificabit eum. 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me : et sicut dixi Judæis : Quo ego vado, vos non potestis venire : et vobis dico modo. 34. Mandatum novum do vobis : Ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. 36. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis ? Respondit Jesus : Quo ego vado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea. 37. Dicit ei Petrus : Quare non possum te sequi modo ? animam meam pro te ponam. 38. Respondit ei Jesus : Animam tuam pro me pones ? Amen, amen dico tibi : non cantabit gallus, donec ter me neges.

CAPUT XIV.

Consolando discipulos ait multas in domo Patris esse mansiones, seque rursum illos assumpturum : Thomæ dicit se esse viam, veritatem et vitam ; Philippo autem, Patrem in se videri ; illosque accepturos quidquid suo nomine petierint, et se alium Paraclitum a Patre eis missurum ; docet quis ipsum diligere dicendus sit, et qualem pacem relinquat discipulis, qui de ipsius discessu merito gaudere deberent.

1. Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. 2. In
domo Patris mei mansiones multæ sunt, si quo minus dixissem vobis :
Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, et præparavero vobis lo-
cum : iterum venio, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos
sitis. 4. Et quo ego vado scitis, et viam scitis. 5. Dicit ei Thomas : Do-
mine, nescimus quo vadis : et quo modo possumus viam scire ? 6. Dicit
ei Jesus : Ego sum via, et veritas, et vita, nemo venit ad Patrem, nisi
per me. 7. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis :
et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum.
8. Dicit ei Philippus : Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis.
9. Dicit ei Jesus : Tanto tempore vobiscum sum : et non cognovistis me ?
Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis : Ostende no-
bis Patrem ? 10. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba,
quæ ego loquor vobis, a me ipso non loquor. Pater autem in me manens,
ipse facit opera. 11. Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est ?
12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui
credit in me, opera, quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum fa-
ciet : quia ego ad Patrem vado.
13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam : ut
glorificetur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc
faciam. 15. Si diligitis me : mandata mea servate. 16. Et ego rogabo Pa-
trem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum,
17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt
eum, nec scit eum, vos autem cognoscetis eum : quia apud vos manebit,
et in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos : veniam ad vos. 19.
Adhuc modicum : et mundus me jam non videt. Vos autem videtis me :
quia ego vivo, et vos vivetis.
20. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, et vos in
me, et ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, et servat ea : ille est,
qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo : et ego dili-
gam eum, et manifestabo ei me ipsum. 22. Dicit ei Judas, non ille Isca-
riotes : Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum,
et non mundo ? 23. Respondit Jesus, et dixit ei : Si quis diligit me, ser-
monem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus,

et mansionem apud eum faciemus : 24. Qui non diligit me, sermones
meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus : sed ejus,
qui misit me, Patris. 25. Hæc locutus sum vobis apud vos manens. 26.
Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, et
ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vo-
bis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo
mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.

28. Audistis quia ego dixi vobis : Vado, et venio ad vos. Si diligeretis
me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem : quia Pater major me est.
29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat : ut cum factum fuerit, credatis.
30. Jam non multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi hujus,
et in me non habet quidquam. 31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo
Patrem, sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus
hinc.

CAPUT XV.

Christus vitis, Pater agricola, discipuli vero palmites : præceptum Christi de mutua dilectione frequenter iteratum : apostoli amici Christi, quibus secreta sua communicavit, et elegit eos ut fructum perpetuum afferrent ; quos roborat adversus mundi odium ac persecutiones, dicens Judæos excusationem non habere de peccato suo.

1. Ego sum vitis vera : et Pater meus agricola est. 2. Omnem palmi-
tem in me non ferentem fructum, tollet eum : et omnem, qui fert fruc-
tum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. 3. Jam vos mundi estis
propter sermonem, quem locutus sum vobis. 4. Manete in me : et ego in
vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit
in vite : sic nec vos, nisi in me manseritis. 5. Ego sum vitis, vos palmi-
tes : qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum : quia sine
me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non manserit : mittetur foras
sicut palmes, et arescet, et colligent eum, et in ignem mittent, et ardet.

7. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint : quodcumque
volueritis petetis, et fiet vobis. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, ut
fructum plurimum afferatis, et efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit
me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. 10. Si præcepta
mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei præ-
cepta servavi, et maneo in ejus dilectione. 11. Hæc locutus sum vobis :
ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc
est præceptum meum ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. 13. Majorem
dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.
14. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.

15. Jam non dicam vos servos : quia servus nescit quid faciat dominus
ejus. Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audivi a Patre meo,

nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis : sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis : et fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis. 17. Hæc mando vobis, ut diligatis invicem. 18. Si mundus vos odit : scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si de mundo fuissetis : mundus quod suum erat diligeret : quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis : Non est servus major domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur : si sermonem, meum servaverunt, et vestrum servabunt.

21. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum : quia nesciunt eum qui misit me. 22. Si non venissem, et locutus fuissem eis, peccatum non haberent : nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit : et Patrem meum odit. 24. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent : nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum. 25. Sed ut adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est : Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me : 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

CAPUT XVI.

Discipulis prædicit futuras persecutiones, et quod eis expediat ut ipse vadat, quo veniat Paraclitus qui mundum arguat, ipsosque doceat, et Christum clarificet : declarat quod dixerat, Modicum et jam non videbitis me, etc. ; addens similitudinem de muliere pariente ; hortatur ut a Patre petant ipsius nomine ; prædicitque ipsorum fugam.

1. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. 2. Absque synagogis facient vos : sed venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. 3. Et hæc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me. 4. Sed hæc locutus sum vobis : ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. 5. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram : Et nunc vado ad eum, qui misit me ; et nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis? 6. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis : expedit vobis ut ego vadam : si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos : si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio.

9. De peccato quidem : quia non crediderunt in me : 10. De justitia vero : quia ad Patrem vado : et jam non videbitis me : 11. De judicio autem : quia princeps hujus mundi jam judicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis dicere : sed non potestis portare modo. 13. Cum autem venerit

ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem : non enim loquetur a semetipso : sed quæcumque audiet loquetur, et quæ ventura sunt annunciabit vobis. 14. Ille me clarificabit : quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi : quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. 16. Modicum, et jam non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me : quia vado ad Patrem.

17. Dixerunt ergo ex discipulis ejus ad invicem : Quid est hoc, quod dicit nobis : Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me, et quia vado ad Patrem ? 18. Dicebant ergo : Quid est hoc, quod dicit, Modicum ? nescimus quid loquitur. 19. Cognovit autem Jesus, quia volebant eum interrogare, et dixit eis : De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, et non videbitis me : et iterum modicum, et videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis : quia plorabitis, et flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus : cum autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium : quia natus est homo in mundum.

22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum : et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 25. Hæc in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciabo vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis : et non dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis : 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis, et credidistis, quia ego a Deo exivi. 28. Exivi a Patre, et veni in mundum : iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem.

29. Dicunt ei discipuli ejus : Ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis. 30. Nunc scimus quia scis omnia, et non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi. 31. Respondit eis Jesus : Modo creditis ? 32. Ecce venit hora, et jam venit, ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquatis : et non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.

CAPUT XVII.

Oratio Christi ad Patrem pro utriusque clarificatione, pro discipulis et iis qui per illos in ipsum essent credituri, ut serventur a malo, et omnes sint unum, mundusque cognoscat ipsum fuisse a Patre missum.

1. Hæc locutus est Jesus : et sublevatis oculis in cælum, dixit : Pater
venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te : 2. Sicut de-
disti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam
æternam. 3. Hæc est autem vita æterna : Ut cognoscant te, solum Deum
verum, et quem misisti Jesum Christum. 4. Ego te clarificavi super ter-
ram : opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam : 5. Et nunc clari-
fica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam
mundus esset, apud te. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos de-
disti mihi de mundo : Tui erant, et mihi eos dedisti : et sermonem tuum
servaverunt. 7. Nunc cognoverunt quia omnia, quæ dedisti mihi, abs te
sunt : 8. Quia verba, quæ dedisti mihi dedi eis : et ipsi acceperunt et co-
gnoverunt vere quia a te exivi, et crediderunt quia tu me misisti.

9. Ego pro eis rogo : Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti
mihi : quia tui sunt : 10. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt : et
clarificatus sum in eis : 11. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo
sunt, et ego ad te venio. Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos de-
disti mihi : ut sint unum, sicut et nos. 12. Cum essem cum eis, ego ser-
vabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodivi : et nemo ex eis
periit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad
te venio : et hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum imple-
tum in semetipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos
odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de
mundo.

15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. 16. De
mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. 17. Sanctifica eos in
veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu me misisti in mundum, et
ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico meipsum : ut sint
et ipsi sanctificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed et
pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me : 21. Ut omnes unum
sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint :
ut credat mundus, quia tu me misisti.

22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis : ut sint unum, si-
cut et nos unum sumus. 23. Ego in eis, et tu in me : ut sint consummati
in unum : et cognoscat mundus quia tu me misisti, et dilexisti eos, sicut
et me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi
sint mecum : ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi : quia di-

lexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater juste, mundus te non cognovit, ego autem te cognovi : et hi cognoverunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam : ut dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis.

CAPUT XVIII.

Jesus a Judæis capitur, illis primum ad ipsius verbum in terram cadentibus : ad Annam et Caipham ducitur : respondens interroganti pontifici, alapa cæditur : ter a Petro negatur : ductus in prætorium, dicit Pilato suum regnum non esse de hoc mundo : Judæi Jesum mori cupiunt, soluto Barabba.

1. Hæc cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. 2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum : quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus, et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis : Quem quæritis ? 5. Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7. Iterum ergo interrogavit eos : Quem quæritis? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. 8. Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quæritis, sinite hos abire.

9. Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum : et percussit pontificis servum : et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? 12. Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum : 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis : Quia expedit, unum hominem mori pro populo.

15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariæ : et introduxit Petrum. 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius ? Dicit ille : Non sum. 18. Stabant autem servi, et ministri ad prunas : quia frigus erat, et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de

discipulis suis, et de doctrina ejus. 20. Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judæi conveniunt : et in oculto locutus sum nihil.

21. Quid me interrogas ? interroga eos, qui audierunt quid locutus sum ipsis : ecce hi sciunt quæ dixerim ego. 22. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens : Sic respondes pontifici ? 23. Respondit ei Jesus : Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me cædis ? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es ? Negavit ille, et dixit : Non sum. 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo ? 27. Iterum ergo negavit Petrus : et statim gallus cantavit.

28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit : Quam accusationem affertis adversus hominem hunc ? 30. Responderunt, et dixerunt ei : Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus : Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi : Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

33. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei : Tu es rex Judæorum ? 34. Respondit Jesus : A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me ? 35. Respondit Pilatus : Numquid ego Judæus sum ? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi : quid fecisti ? 36. Respondit Jesus : Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis : nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus : Ergo rex es tu ? Respondit Jesus : Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati : omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. 38. Dicit ei Pilatus : Quid est veritas ? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis : Ego nullam invenio in eo causam. 39. Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum ? 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes : Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro.

CAPUT XIX.

A Pilato flagellatus, variisque modis afflictus, et spinis coronatus, ad mortem deposcitur : rursumque a Pilato examinatus, ostendit illum desuper tantum habere in ipsum potestatem : Pilatus meticulosus, Jesum, quem regem dicit Judæorum, morti adjudicat : Jesus bajulans sibi crucem, inter latrones crucifigitur ; posito a Pilato super crucem titulo, divisisque a militibus vestimentis, et sorte de tunica missa : Jesus matri Joannem, matremque Joanni commendat ; et sitiens aceto potatur, consummatisque omnibus tradit spiritum : fractis latronum cruribus, ex aperto Christi latere sanguis et aqua profluit : ejusque corpus myrrha et aloe conditum sepelitur.

1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. 2. Et milites
plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus : et veste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave rex
Judæorum : et dabant ei alapas. 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et
dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum :) Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent
eum Pontifices, et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige eum. Dicit
eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo
causam.

7. Responderunt ei Judæi : Nos legem habemus, et secundum legem
debet mori, quia filium Dei se fecit. 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc
sermonem, magis timuit. 9. Et ingressus est prætorium iterum : et dixit
ad Jesum : Unde es tu ? Jesus autem responsum non dedit ei. 10. Dicit
ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris ? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te ? 11. Respondit Jesus : Non
haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.
Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12. Et exinde
quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : Si
hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim, qui se regem facit,
contradicit Cæsari.

13. Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum :
et sedit pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem
Gabbatha. 14. Erat autem parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis : Ecce rex vester. 15. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige
eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam ? Responderunt Pontifices : Non habemus regem, nisi Cæsarem. 16. Tunc ergo tradidit eis
illum ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. 17. Et
bajulans sibi crucem exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum, Hebraice autem Golgotha : 18. Ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios
duos hinc et hinc, medium autem Jesum. 19. Scripsit autem et titulum

Pilatus : et posuit super crucem. Erat autem scriptum : Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

20. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt : quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus : Et erat scriptum Hebraice, Græce, et Latine. 21. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum : Noli scribere, Rex Judæorum : sed quia ipse dixit : Rex sum Judæorum. 22. Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi : et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt.

25. Stabant autem juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ : Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo : Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit :Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Judæi ergo, (quoniam Parasceve erat ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur.

32. Venerunt ergo milites : et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, 34. Sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit : et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit : ut et vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc ut Scriptura impleretur : Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia Scriptura dicit : Videbunt in quem transfixerunt.

38. Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathæa, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. 39. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, et aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus : et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

CAPUT XX.

Maria Magdalene prima venit ad monumentum, deinde Petrus et Joannes : illa plorans ad monumentum videt angelos, tandemque Jesum agnoscit : qui apparens apostolis, pacem illis optat ; et ostensis manibus ac latere, dat eis Spiritum sanctum, ut peccata remittant ac retineant ; rursumque non credenti Thomæ apparens cum reliquis discipulis, corpus præbet palpandum ; beatos dicens qui in ipso non viso crediderunt : multa Christi signa non sunt in hoc libro scripta.

1. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ essent, ad monumentum : et vidit lapidem sublatum a monumento.
2. Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum, et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis : Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5. Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit.

6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7. Et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8. Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum : et vidit, et credidit : 9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans : Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : 12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu.

13. Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras ? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum : et nescio ubi posuerunt eum. 14. Hæc cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. 15. Dicit ei Jesus : Mulier, quid ploras ? quem quæris ? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam. 16. Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister.) 17. Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis : Quia vidit Dominum, et hæc dixit mihi.

19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum : venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21.

Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. 22. Hæc cum dixisset, insufflavit : et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt. 24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Jesus. 25. Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam.

26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus : et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit : Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomæ : Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum : et noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, et dixit ei : Dominus meus, et Deus meus. 29. Dixit ei Jesus : Quia vidisti me Thoma, credidisti : beati, qui non viderunt, et crediderunt. 30. Multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. 31. Hæc autem scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei : et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.

CAPUT XXI.

Piscantibus discipulis comprehendere facit Jesus copiosam piscium multitudinem : quo signo Petrus per Joannem Dominum agnoscens, mittit se in mare ; et facto prándio de amore in Christum ter interrogatus, ter accipit pascendas ipsius oves ; et de futura passione sua admonetur, frustra de Joannis morte curiose scrutatus : non omnia Christi facta scripta sunt.

1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic : 2. Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilææ, et filii Zebedæi, et alii ex discipulis ejus duo. 3. Dicit eis Simon Petrus : Vado piscari. Dicunt ei : Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim : et illa nocte nihil prendiderunt. 4. Mane autem facto stetit Jesus in littore : non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5. Dixit ergo eis Jesus : Pueri numquid pulmentarium habetis ? Responderunt ei : Non. 6. Dicit eis : Mittite in dexteram navigii rete : et invenietis. Miserunt ergo : et jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro : Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare.

8. Alii autem discipuli navigio venerunt : (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et pa-

nem. 10. Dicit eis Jesus : Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis Jesus : Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum : Tu quis es ? scientes, quia Dominus est. 13. Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter. 14. Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.

15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus : Simon Joannis diligis me plus his ? Dicit ei : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum : Simon Joannis, diligis me ? Ait illi : Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei : Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertio : Simon Joannis, amas me ? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me ? et dixit ei : Domine tu omnia nosti : tu scis quia amo te. Dixit ei : Pasce oves meas. 18. Amen, amen dico tibi : cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas : cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. 19. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei : Sequere me.

20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, et dixit : Domine quis est qui tradet me ? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine hic autem quid ? 22. Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus : Non moritur, sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad ad te. ? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perbibet de his, et scripsit hæc : et scimus, quia verum est testimonium ejus. 25. Sunt autem et alia multa, quæ fecit Jesus : quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

INDEX.

ANALYSIS MYSTICA EVANGELII SANCTI MARCI COMMENDANTIS CHRISTI PROPHETICAM DIGNITATEM.

ANALYSIS MYSTICA EVANGELII SACERDOTALIS VICTIMÆ SECUNDUM LUCAM.

ANALYSIS MYSTICA EVANGELII VERBI-INCARNATI SECUNDUM JOANNEM.

FINIS.

Nota. Aliquoties erronee scriptum est *diversimodè* pro *diversè*.